13 9bre 1899 Baldassar Bonanni ... n.n.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
15 B
36

x Bibliotheca
jori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12
4
9

HIPPOCRATIS APHORISMI,

Id eſt, ſelectæ maximéque ratæ ſententiæ, interprete Guglielmo Plantio Cenomano.

GALENI IN EOSDEM Commentarij ſeptem, ab eodem Plantio latinè redditi, & annotationibus illuſtrati.

EX SECVNDA INTERpretis recognitione.

IN VIRTVTE,



ET FORTVNA.

LVGDVNI,

APVD GVLIELMVM Rouillium, ſub ſcuto Veneto.

1561.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA
BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Extraict des lettres du priui-lege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, eſt permis à Guillaume Rouille Libraire de Lyon, d'imprimer, ou faire imprimer vne foys ou pluſieurs, *Hippocratis aphoriſmi cum Gal. commentarijs ex verſione Gulielmi Plantij medici è Græco in Latinū, cū annotationibus eiuſdē in aliquot aphoriſmos. Et denuo correcti, adiecti atq; emendati ab ipſo autore.* Et faict deffences de par ledict Seigneur à tous autres Libraires, Imprimeurs, & perſonnes quelconques, de non imprimer, ne faire imprimer, vendre ne diſtribuer, en ſes païs, terres & Seigneuries ledict liure, ainſi corrigé & augmēté ſans le vouloir & conſentement dudict Rouille: ſur les peines contenues eſdictes lettres de priuilege: & ce iuſques au temps & terme de dix ans, à compter du iour & datte que ſera paracheuee la premiere impreſsion: & outre veut & entend ledict Seigneur qu'en metant par bref le contenu eſdictes lettres au commēcement ou à la fin de chacun deſdictz liures, que cela ſoit de tel effect, force & vertu que ſi elles eſtoient en leur original ſignifiees à chacun des Libraires, Imprimeurs, & autres cōtreuenans: comme plus-à-plein eſt contenu eſdictes lettres de priuilege, ſur ce donnees à Fontaine Bleau L'an de grace 1560.

Par le Roy à voſtre relation.

Signé de Vabres:

Et ſeelé du grand Seau, en cire iaune, à ſimple queüe.

IOANNI FERNELIO MEDICO EXIMIO GVLIELMVS PLANTIVS S.

*

ETSI non ignorabam fore multos qui noſtrum laborem fruſtrà poſt tot interpretes ſuſceptum eſſe, atque inutilem miniméque neceſſarium ducerent, nec defuturos qui reprehenderent etiam & cauillarentur, ipſéq; mihi conſcius erã quàm parũ pro impenſa opera emolumenti & laudis reportarent, qui ex vna lingua in alteram aliorum ſcripta transfunderent: mea tamen ſemper fuit ratio, atque ita in animum induxi meum, vt poſt primos artium & diſciplinarum inuẽtores Græcos, ij mihi imprimis laude digni viderentur, qui meliore quadam natura præditi, diſciplinísque

& philoſophiæ ſtudio exculti quæ à Græcis acce-piſſent excolerent faceréntque meliora, aut ab illis excitati noua ipſi ad hominum vtilitatem con derent. Deinde eos etiam nō parum de ſuis mereri crederem, qui peregrinarum linguarum cognitione instructi, fideliter & purè quãtúmque res ipſa pateretur latinè veterum monumenta interpretarentur. Qui verò nec ipſi per ſe quicquam ad hominum aut tuendam aut excolendam vitam inuenirēt, nec aliorum laboribus vti vellent, ſed aut contemnerent aut riderent, eos in illud genus quod eſt ab Heſiodo tertio loco poſitum homi num inertium nec vlla reipublicæ parte vtilium referendos eſſe putarem. Hæc tamen ſola cauſa non fuit, quamobrem hoc maximè tempore græca latinè reddenda ſuſciperem, ſed aliæ multæ & graues cauſæ ad id me impulerunt. Primùm tacita quædam indignatio & dolor quòd medicinæ parenti Hippocrati ſua non constaret dignitas in eo præſertim opere, quod totius artis quoddam eſt veluti promptuarium, ipſius præcipua continens capita. Deinde diutius ferendum non videbatur quòd quum multis Leoniceni verſio ſuſpecta meritò ad hunc vſque diem eſſet habita, vt potè deprauata & corrupta multíſque locis parùm fidelis, nullus tamen ex profeſſo instaurandam, aut nouam cōdendam ſuſcepiſſet, ſed in ſuis ſcriptis alij emēdationes quaſdam edidiſſent, alij

enar

enarrationes in aphoriſmos Hippocratis ſcribere profeſſi, bonam commentationis partem conſumpſiſſent in caſtiganda verſione. Quos viros præſtitiſſet, ſiquidem inemendabilis Leoniceni videbatur verſio, nouam ipſos ſcribere: aut ſi inſtaurari poterat, ſuppletis quæ deſyderabantur, & correctis quæ deprauata erant, eam interpolare & renouare multo fuiſſet melius. Hæc fecerunt vt ad nouam aphoriſmorum Hippoc. interpretationem accingeremur, in qua quid præſtiterimus alios iudicare malumus quàm hîc pluribus prædicare. Fideliorem omninò & paulò latiniorem eſſe nullus meo quidem iudicio negauerit qui diligenter & beneuolè legerit. Adnotationes etiam in locos obſcuriores partim in margine adſcripſimus addito minore aſteriſco, partim in libri finem reiecimus, quoties ſcilicet in margine maiuſculus occurrit aſteriſcus. Fuiſſet autem hoc loco abs lectoribus erratorum quæ inter imprimendum admitti ſolent deprecanda venia, niſi Gulielmus Rouillius nobilis typographus, vt homo eſt publicæ vtilitatis ſtudioſiſſimus nullis peperciſſet ſumptibus, vt quàm humanitus fieri poteſt emendatiſſimum & nouis characteribus elegantiſſimè conformatum opus veniret in manus hominum. Tibi verò docte Ferneli hanc ingenij noſtri fœturam nuncupare viſum eſt, non quòd ea aut ad nominis celebritatem egeas,

(es enim libris editis clariſſimus) aut ad lectionem, qui Græcè calles & Græca legere mauis: ſed quia & ex ea ratione qua præceptori diſcipulus debet aliquid, & priuatim etiam aliis nominibus me tibi obligatum eſſe ſciam: tùm etiam ſi fortè labor noſter tibi probabitur, fructum ipſius ampliſſimum cepiſſe me putem. Vale.

* GAL

GALENI IN APHORISMOS,

Id eſt, ſelectas máximéque ratas Hippocratis ſententias,

COMMENTARIVS PRIMVS,

GVLIELMO PLANTIO Cenomano, interprete.

*

I.

Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιεῦντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

Vita breuis, ars longa, occaſio volucris, experientia periculoſa, iudicium difficile. Nec verò ſat eſt ſuum feciſſe officium, niſi ſuum quoque ægrotus, ſuum aſtantes faciant, ſintq́; externa ritè comparata.

Quòd hæc oratio ſiue vnus ſit aphoriſmus ſiue duo, procemium ſit totius operis, pro confeſſo habetur apud omnes ferè ipſius interpretes. Quid verò ſibi Hippocrat. tali procemio velit, dictu difficillimum eſt. fortè id ipſum inueniemus, ſi ſingulas orationis partes prius cõſiderauerimus. Quòd itaque vitam dixerit breuem artis comparatione, conſtat inter omnes ferè libri explicatores. Artem verò ipſam hac ratione arbitror longam putare, tùm quia omniũ ferè operationũ particulariũ occaſionem habeat momentaneam, & ob id captu difficilem: vt nemo eam internoſcat, niſi qui diu in hac fuerit exercitatus: tùm verò quia ex duobus inſtrumentis ad artes inueniendas neceſſariis vnum, experientia ſcilicet, offenſatrix ſit & periculoſa, alterum, per rationem iudicium haudquaquam facile exiſtat, ſed ſiquid aliud, maximam habeat difficultatem. Eſt volucris occaſio, quia materia circa quam ars verſatur, fluxa eſt. Corpus ſiquidem noſtrum mutationibus eſt obnoxium, neque à cauſis externis tantùm, ſed etiam ab internis facilè alteratur. Experientia verò periculoſa, propter materiæ dignitatem, non ob eiuſdem mutan-

dæ

dæ facilitatem. hæc enim occaſionis volubilitate momentanea continetur. Iudicium autem ſi quis (quæ mea eſt ſententia) pro ratione accipiat, conſtat profectò ipſam eſſe difficillimam, quum ad hanc vſque ætatem ambigua permanſerit: ſi verò, quo modo Empirici nonnulli, per iudicium intelligat de rei euentu iudicationem per experientiam, ſic quoque conſtat eam maximè eſſe perplexam. Sed libri auctorem dogmaticum eſſe toto oſtenditur opere. Atque ita prior procemij pars ad hunc locum terminatur. Secundam ſcribit non quaſi pronuntiet, ſed conſulat hoc modo, Nec verò ſat eſt, ſuum feciſſe officium, niſi ſuum quoque ægrotus, ſuum aſtantes faciant, nihil adhæc rebus externis obſicientibus. quorum verborum vis eſt eiuſmodi, Si placet eorum quæ in hoc libro ſcribuntur explorare & examinare veritatem, non modò medicum ipſum oportet omnia ritè gerere, ſed & ægrum & miniſtros, nec eſſe præterea quod de rebus externis queri poſsis. Prior itaque pars orationis hoc vnum ſummatim complectitur, vita breuis, ars longa. nam quæ ſequuntur reliqua artem longam eſſe de-

monſtrant. poſt quam ſecūda pars quoddam veluti conſilium continet vel quoddam pactum cum iis faciendum qui librum lecturi ſunt, & de eo ſententiam laturi, quaſi ita diceret, paciſcor vobiſcū & ſpondeo quæ dicturus ſum omnia vera eſſe, modo nihil à medico, ægro, miniſtris, aut externis peccetur. Sed quidnam ſibi vult, dum ſtatim initio libri breuem eſſe vitam ſcribit, ſi cum artis magnitudine conferatur? nam & hoc ipſum quærere ab initio propoſueramus. Sunt qui volunt id egiſſe Hippocratem exhortādi hominū cauſa ad artem ſedulò exercendam. Nonnulli contrà dehortandi gratia. Quidam veluti eorum animos periclitandi & internoſcendi cauſa qui vel gnauiter vel ſecus in arte eſſent verſaturi. Alij cenſent cauſam attuliſſe quamobrē oportuit ſcribere cōmentarios: quidā addunt, aphoriſticos. Sunt & qui hoc ſermone velint ipſum cauſas reddidiſſe, propter quas hæc ars ſit coniectatrix. Alij quòd de cauſis contingat medicos fine ſuo fruſtrari. Verùm ij (vt à poſtremis incipiam) nihil omninò ad rem dicere videntur. Quæ enim eſſe poſſet doctrina, aut digna Hippocrate ſententia, ſtatim initio operis docere

cere, vel quòd ars quædam cõiectatrix ſit medicina, vel quòd eius fruſtremur fine, ſiue id noſtra accidat ignorãtia, ſiue artis magnitudine fiat? Sed vel verba illa, Nec verò ſolùm oportet ſuũ feciſſe officium, niſi idem ab ægrotante quoque & miniſtris fiat, vnà conſpirantibus rebus externis, contrarium omninò demonſtrãt. Hæc ſcribere eum magis deceat, qui profiteatur omnia quæ continentur hoc libro vera eſſe, quàm qui ob multas cauſas fateatur ſe propoſitum finem non attingere. neque enim dixiſſet, Nec verò ſolùm oportet, ſed poſt illa verba, Vita breuis, ars longa, occaſio volucris, experientia periculoſa, iudicium difficile, ſtatim ſubiunxiſſet, Sed & medicus ipſe delinquit, & ægri & eorum miniſtri. Sed nec illi qui dicunt voluiſſe auocare à ſtudio medicinæ, quum diceret vitam breuem eſſe, artem longam, videntur cõſentanea propoſito dicere. Nã extremę eſſet demẽtiæ, conſcripta commentaria ſimul tradere poſteritati ad vitæ vtilitatem, ſimúlque initio ſtatim non à legendo ſolùm atque diſcendo quæ ſcripſeris dehortari, ſed ab arte vniuerſa cuius tute doctrinam profitearis, abalienare. Qui verò voluiſſe aiũt,

homines ad artē maiore ſtudio capeſſendam excitare (neque enim aliter longam ipſam, breui tempore totam perdiſci poſſe) ij etſi veri aliquid dicunt, mihi tamen videntur proœmium nec viri ſententia dignum nec iis quæ ſcribuntur hoc libro ſatis congruens reddere. quemadmodum & qui arbitrantur hoc genus ſermonis fuiſſe ab Hipp. vſurpatū eorum tentandi gratia qui ad artem accederēt. Etſi enim verum eſt quod à Platone quoque eſt traditum, hac maximè via periculū cuiuſq; animi fieri qui artem quamlibet ſit percepturus, ſi magnā & difficilem eius perceptionem oſtenderimus, mutuis tamen id colloquiis non per librum agi ſolet: cum eo quòd præſenti cōmentationi cōgruere non videatur. Siquidem proœmiū debet iis quę toto libro ſcribenda ſunt, conſentaneum eſſe. Niſi fortè velit Hippo. omniū primos eſſe legendos aphoriſmos, atque ideò libri principio communem fecerit de vniuerſa arte ſermonē, quo oſtendat non omnes pro arbitrio tam longam artē medicam poſſe diſcere, ſed illos duntaxat quibus & ad diſcendū tēpus abundè ſuppetat, & adſit ad eā rem apta idoneáque natura. Et vt omninò probabile

appar

appareat, hanç totius artis cõmunẽ præfationem eſſe, non tamen protinus ſunt reprehendẽdi, qui cauſam explicaſſe aiũt Hippocratem, cur commentari de re medica oporteat. Præmiſit autẽ ei libro qui de Medici officina inſcribitur, omnium quæ tota arte leguntur commune proœmium, quemadmodum in eiuſdem libri expoſitione demonſtrauimus. Quicũque igitur vel cur genere docendi aphoriſtico vſus ſit, vel omninò de re medica ſcribẽdum ſibi eſſe duxerit, cauſam in proœmio attuliſſe volunt, ij profectò mihi cæteris rectius ſentire videntur. Nam & genus doctrinæ aphoriſticũ,*vt pote omnes rei proprietates paucíſsimis verbis circũſcribens, vtiliſsimum iis eſt qui breui longam artem docere volunt: & velle deniq; ſuas propterea cõmentationes literis mãdare, quia vita ſit breuis, ſi eam cum artis longitudine cõferas, ea demum mihi ratio ſcribendi iuſtiſsima eſſe videtur. Nemo enim noſtrum queat eandem artem inchoare ſimul & abſoluere, ſed ſatis videri debet, ſi quæ multorum annorũ ſpatio maiores inuenêre, iis velut per manus acceptis poſteri addãt aliquid, nóſque ita aliquando artem abſoluamus. Nam vel propter

** Aphoriſtica doctrina veluti ſeminariũ medicinæ.*

propter horũm alterum, vel vtrũque mihi videtur tali vſus eſſe procemio, ac ſi ita ſcripſiſſet, Quandoquidem artis magnitudo vitam ſuperat humanam, adeò vt ab homine quantũuis diligenti ac induſtrio nequeat & inchoari & ad finẽ vſque perduci, propterea operæprecium fuerit, quæ quiſque didicit, ea mandare literis, & eo ſcribendi genere poſteritati tradere quod rerum docendarũ naturam omnem exactè & breuiter & apertè explicet. Longã porrò artem eſſe oſtendunt verba ſequentia, Occaſio volucris, experientia periculoſa, iudicium difficile. quaſi ita diceret, ideo vita breuis, ars longa, quia & occaſio volucris & experientia periculoſa & iudicium difficile. Propterea enim etiã ars longa, quoniam occaſionem agẽdorum habet admodum volucrem, hoc eſt anguſtiſſimam & vix temporis momento durantem. Adhæc quũ duo ſint inueniẽdorum remediorũ inſtrumenta, ratio & experiẽtia, hæc periculoſa eſt, illa difficilis, quoniam non cuiuis innoteſcat. Atque ſingula hæc quàm vera ſint, facilè paucis oſtendere licet. Occaſio enim volucris eſt propter materiæ circa quam ars verſatur fluxum & inconſtantiã, puta corporis quod

continenter fluit & momento temporis mutatur. Experiētia verò periculoſa materiæ etiā dignitatis ratione. Neque enim lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, coria artis medicæ ſicuti aliarum ſunt materia: in quibus multifariam citra cuiuſquam offenſam licet quid poſsis experiri, & circa eam materiā ad theorematum meditationem & confirmationē verſari. quod in lignis fabri lignarij faciunt, in coriis coriarij. Ligna enim & coriū ſi malè tractando labefactauerint, nullum inde cuiquam imminet periculū. In corpore autem humano ea tentare quæ nō ſunt experientia cōprobata, periculo non vacat, quum temerariæ experientiæ finis ſit totius animatis interneciō. Quinetiam iudicatio (quæ certè ipſa eſt ratio, quòd tanquam arbitra quædam de iis quæ gerēda ſunt cēſeat & iudicet) difficilis & rara inuentu res eſt, miniméq; vulgaris, vera certè quidem illa ratio. quod ſectarum multitudo & opinionū diuerſitas in arte medicinali facilè oſtendit. neque enim ſi veritas eſſet inuentu facilis, tot ac tanti viri in ea quærēda occupati, in tam cōtrarias ſectas fuiſſent vnquam diſpertiti. Verùm Empiricis non videtur ratio dici iudiciū,

q. nō sūt experientia comprobata nō tētanda.

ſed

ſed eorum quæ per experientiam inuenta ſunt auxiliorum quidam delectus & diiudicatio. Nam, vt verum fateamur, hæc difficilis quoque res eſt & rara inuentu, quũ poſt multa remedia adhibita ægrotanti, quoddam ex iis in cauſa fuiſſe dicitur vt melius peiúsve habeat, vt ſi exempli cauſa is benè dormierit, deinde vnctus fuerit, poſtea emplaſtrũ adhibitum, deinde clyſter iniectus, vel ſponte naturæ ſecuta fuerit alui deiectio, poſtquam comederit, & tales cibos ſumpſerit, & poſt hæc omnia ſenſerit iuuamen aut nocumentum; non facile inquam dictu eſt quodnam ex iis quæ circa eum ſunt geſta, aut iuuerit, aut nocuerit. His igitur de cauſis omnibus iudicium perdifficile. Iam itaque ſermonẽ totum in pauca contrahamus, Ars longa eſt, ſi eam vnius hominis vita metiamur. Quare operæpretium eſt in poſterorum gratiam libros ſcribere compendioſos præſertim atque aphoriſticos. Nam tale doctrinæ genus & ad ipſam primam diſciplinam, & ad ea quæ didicerimus memoria retinẽda, vel ſi fortè exciderint in memoriam reuocãda, longè eſt vtiliſsimum. Aſtipulatur his quod ſubiũgit. poſtquàm enim operi ipſi atque iis quæ toto opere

dicer

dicerentur præfationē prætexuiſſet, conuenientem orationi clauſulā addidit his verbis, Oportet autē non ſolùm ſeipſum rebus ritè adminiſtrandis ſedulū præſtare,ſed & ægrotū & aſtantes, vnà cum his conſentientibus rebus externis.quaſi ita diceret, Si quis ſcire velit quàm vera ſint ea quæ hoc libro ſcribuntur,is non ſolùm ſeipſum præſtare debet diligentem rebus rectè gerendis,nihílque quod ægro poſsit conducere prætermittere,ſed & æger ipſe parêre medico debet, nec quicquam propriæ indulgere voluptati: miniſtri etiam idonei aſsideāt oportet.adhæc probè ſint res omnes externæ comparatæ. Nam per eas plerunque vel prognoſim vel curationem vel vtranque interpellari atque impediri contingit. Externæ res ſunt habitationes idoneæ vel turbarum plenæ vel turba vacantes & tumultu:adhæc ea quæ nunciantur aut aguntur, iram, triſtitiam aut alium quempiam affectum ægrotanti adferentia: ſimiliter & quæ ſomnum noctu interrūpunt, quæ infinita poſſunt accidere.Si igitur, inquit, rectè atque ordine ſe habuerint hæc omnia, nihil eorū quæ hoc libro ſcribūtur,falſum eſſe comperietur.

II.

ΕΝ τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν· ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. Οὕτω δὲ καὶ ἡ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἵη δεῖ γίνεσθαι γίνηται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν· ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ.

Vide aphor. 7. lib. 4. et 22. et aphor. x. lib. 7.

In turbationibus alui & vomitionibus quæ ſponte fiunt, ſi qualia oportet purgentur, confert & facilè ferunt: Sin minus, contrà fit. Sic & vaſorum depletio: ſi qualem fieri oportet, fiat, confert & facilè ferunt: Sin minus, contrà accidit. Proinde & regionis & temporis & ætatis & morborum habenda eſt ratio, pro quibus talia vacuari conueniat, necne.

Non de quãtitate vacuandorum Hippocrati ſermo eſt, vt nonnulli ſunt arbitrati, ſed de ſola qualitate: quod apertè indicant duo verba, qualia & qualem. Nam in iis quæ ſponte naturæ fiunt vacuationibus dixit, ſi qualia oportet purgentur, confert & facilè ferũt: in iis verò quæ medici opera fiunt, dixit, Si qualis fieri debet, fiat vaſorum depletio. Alioqui poterat dicere, ſi quantum oportet purgetur:

&

& rurſus, ſi quanta debet, vaſorum fiat vacuatio. Idem etiam oſtenditur per verbum purgari. Neq; enim abs re eſt, quòd non dixerit, ſi qualia oportet vacuentur: ſed ſi qualia oportet purgentur. Eſt enim purgatio, humorum qualitate moleſtorũ vacuatio. In his itaque cùm multi errant interpretes, qui neque verba neque hominis mentem aſſequuntur, tum verò maxime peccant, quum vaſorum depletionem nonnulli pro inedia, alij pro venæ ſectione accipiunt. Omnem ſiquidem vacuationem Hippocrates ſolet ab euentu appellare vaſorum depletionem, quoniam in omnibus vacuationibus vaſa depleri contingat. Eſt igitur nunc ipſi ſermo de qualitate eorum quæ vacuantur. Porrò quemadmodum paſsim adhortatur quæ rectè à natura fiant, ea artis operibus imitari medicum, ſic nunc à ſpontinis vacuationibus ſuam exorſus eſt orationem: In quibus ſi qualia oportet purgentur (ea autem ſunt quæ corpus infeſtant) confert, & leuiter ferunt. Nam ſi aliorum quorundam fiat euacuatio, non eorum quæ corpora noſtra malè habent, contrarium ſolet euenire. Neque enim confert, & grauiter

purgatio qd

Medicus imitator naturæ.

ter ferunt ægrotantes. Eodem ſanè modo ſiquam medicus moliatur humorum vacuationem, eorum fieri debet, qui corpora noſtra grauant, quemadmodum ipſe alibi iubet, vbi humorem duntaxat noxium, non pro eo alium conſulit vacuandum eſſe. Si itaque pituita redundet, hanc modis omnibus vacuare oportet. Si alterutra bilis infeſtet, abſtinendum à pituita, & infeſtans bilis vacuanda. Sic & humor ſanguineus in corpore modum ſi exceſſerit, ſanguinem vacuare oportet, vt & eius ſerum, ſi in corpore abundauerit. At verò ex humoribus qui redundet, ex colore licet coniectare, præter quàm quum in corpus altum quidam ſe receperunt. Color enim in cute ſimilis effloreſcit humoribus contentis, niſi intrò refluxerint. Atque in iis maximè qui intrò receſſerunt, nec æquabiliter ſunt per totum corpus diffuſi; ſpectandum tempus eſt, & regio, & ætas, & morbi in quibus conueniat necne huius aut illius humoris vacuationem ſuſcipere. Quanquam enim habet humor quiſque in corpore abundans propria indicia, de quibus infrà dicturi ſumus: ad maiorem

tamen

tamen rei cognitionem tum pars anni præſens, tum regio in qua degunt ægrotantes, tum ipſorum ætas, tum denique morbi ſpecies conſyderanda. Sint, exempli cauſa, flauæ bilis in corpore redundantis indicia, vnà cum iis videndum an tempus ſit æſtiuum, an locus calidus, an æger ætate florente. Eadem de pituita quoque ineunda eſt ratio, an hyems adſit, an regio frigida, an homo ſenex. Præter hæc omnia ipſam morbi ſpeciem conſyderare oportet, vt quòd tertiana (ſi ita ſors tulit) à flaua bile fiat modum excedente, quartana ab atra, quotidiana à pituita, cancer ab atra bile, eryſipelas à flaua, atque eodem modo ſingula aliorum morborum genera. Si enim hæc omnia diſtinxerimus, cum maiore & certiore animi fiducia ad noxij humoris vacuationem accedemus. Interpretes porrò illi alieniſsima à propoſito loquûtur, qui Hippocra. de ſola inedia quæ in febribus imperatur verba facere arbitrantur, quũ tamen febrium nominatim non meminerit, ſed de omnibus generatim habeatur ſermo quæ ſunt prẹter naturam, quorum nos docet indicationes, ad quas reſpiciẽtes non quantitatem ſed qualitatem va-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cuationis inueniamus. Nam de quantitate proximo aphoriſmo diſſerit. Quo autem morbi tempore aggredienda ſit vacuatio, & quo modo facienda, in aliis ſequentibus aphoriſmis explicabitur. Quare in præſentia de iis dicere non habeo neceſſe. Sic enim noſtra doctrina nemo euaderet prudentior, & noſtræ commentationes ad immenſam miniméque neceſſariam prolixitatem deuenirent.

III.

Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν· οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδ' ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. τούτων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα· μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν, σφαλερὸν γάρ, ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραὶ καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραί.

Athletarum plenior corporis habitus, ſi ad ſummum ſit plenitudinis gradum perductus, lubricus eſt. neque enim eodem permanere aut conſiſtere poteſt: quum vero non conſiſtat, nec iam

poſsit

poſſit in melius proficere, ſupereſt vt recidat in deterius. Quamobrem plenior illa corporis habitudo haud cunctanter eſt ſoluenda, quò corpus nouæ nutricationis initium capiat. Non tamen vacuando vſque eò pergi velim, vt vaſa in ſe penitus conſidant, hoc enim tutum non eſt: ſed quatenus natura feret, eò vſque progredi oportet. Sic & extremæ vacuationes periculoſæ: contráque repletiones extremæ ſi fuerint, ſimiliter periculoſæ.

Præcedentem aphoriſmum fuiſſe de vacuandorum qualitate oſtendimus. In hoc autem & ſequentibus de eorumdem humorum quantitate agit, ab immodica repletione & euacuatione ſumpto initio, atque in hoc ſimiliter ac ſuperiore aphoriſmo quodam propoſito exemplo, ad quod tanquam normam (qui ipſi faciendi mos eſt) orationem dirigat. id autem ipſi eſt Gymnaſtica εὐεξία. qualis eorum eſt qui per totam vitam in gymnaſticis exercitiis verſati, nullum aliud ſtudium habuere quàm vt alios ſupplantarent & deiicerent, quales ſunt Athletæ. nam quæ abſolutè εὐεξία nominatur (qualem habitudinem complures agricolæ habent humo fodienda, metendíſque ſegetibus, & aliis ruralibus la-

Conſueuit Hipp. exemplo propoſito rem quã docere vult oſtẽdere, q̃ euidentiſſ. ſit eiuſmodi probatio.

boribus exercitati) ea ad immodicam repletionem non pertinet. Athletarum autem plenior ille habitus in hanc non leuem reprehenſionem incurrit, quòd ipſi carnis molem corpori adiicere, & proinde humorum quoque cumulare copiam ſtudeant. Hi enim apparatus quidam ſunt ad totius corporis nutritionẽ, qui niſi ipſi præſto adſint, fieri non poteſt vt corpora in tumorem attollãtur immodicum. quo fit, vt neceſſariò eiuſmodi ſit corporis affectio periculoſa. quum enim vaſa cibo ac potu fuerint ſupra modũ repleta, periculum eſt ne aut ipſa rumpantur, aut calor ipſe natiuus ſuffocetur atque extinguatur. quod iam Athletis quibuſdam vſu venit, qui ad ſummam corporis plenitudinem perducti, derepentè ſunt mortui. Verùm quæ ad naturæ functiones vtilis eſt habitudo & εὐεξία, imminẽs nullum eiuſmodi habet periculum, quia nunquàm ad extremam venit repletionem, quare nec eam ſoluere oportet, ſicuti Athleticam quum ad extremum peruenerit. hãc enim ſoluere oportet haud cunctantes, ſed anteuertentes ſolutione periculum. Quamobrem verò ipſam ſoluere oporteat, ipſe his verbis cauſam attulit, neque enim eodem

dem permanere, aut conſiſtere poteſt. Quum enim ſemper natura coctionem alimenti, diſtributionem, in ſanguinem mutationem, adiectionem, agglutinationem & aſsimilationem moliatur, quando nihil adiici poteſt ſolidis corporis partibus, & refertæ venæ non habent iam quo diſtributum alimẽtum recipiant, tùm neceſſariò periculum adfertur ne aut vas aliquod rũpatur, aut ſuffocato calore natiuo mors ſequatur repentina. Vt igitur in corpore alteri ſit nutricationi locus, pleniorem illam habitudinem oportet ſine mora ſoluere. quæ nimirum eius ſolutio per euacuationem fieri debet. ſed cautio adhibenda ne vacuando vltra modũ progrediamur. Immodica nanque vacuatio non minus quàm immoderata repletio periculoſa. Quantum autẽ vacuare oporteat non humor abundans modò, ſed & natura, id eſt vires indicabunt eius vnde eſt vacuandum. Alij enim aliis minus magíſve ferunt vacuationes. Atque hæc ipſi de Athletica euexia ſunt dicta: quæ ipſa per ſe vtilia ſunt iis qui genus vitæ Athletarum ſequi volunt, medicis verò ſunt velut exemplum rei quam ſequẽti oratione docet. Inquit enim, Similiter & euacua-

Calor multitudine ſubitò obruitur & ſtrãgulatur, aut paulatim contabeſcit & emoritur, aut aëris cõmunione priuat⁹ ſuffocatur.

Vnde indicatio petatur humoris vacuandi.

tiones quæ ad extremum ſunt perductæ, periculoſæ: & contrà virium & corporis reparationes & recreationes ſi extremæ fuerint, párum tutæ: toto eo ſermone nihil aliud nos docere volens, quàm quòd nec vacuare nec replere præter modum oporteat. Cui rei documento eſſe poteſt Athletarum euexia, quę alioqui ipſa nihil habens quod queri poſsis (nam & probis abundant humoribus Gymnaſtæ & viriũ robore valent) hoc ſolum malum habet maximum, quòd ad extremã venerit repletionem: quapropter breui eam ſoluere expedit. Et rurſum quemadmodum qui tali ſunt habitudine præditi, ad extremã non ſunt vacuationem perducẽdi, ſic nec qui alia quauis vacuatione egẽt, ſunt præter modum vacuandi. Et vt in vniuerſum præcipiatur, ægrotantis vires ſpectare & ſolerti coniectura æſtimare oportet, & quoad ſuſtinere necdũ fatiſcere videbuntur, omne ſtudium & operam conferre ad exuperantis humoris vacuationem. At ſi deficere ſentias, etiãſi reſtet ſuperflui aliquid, vacuatione ea ſuperſedere debes. Iam verò illud, contráque repletiones & refectiones corporũ ſi ad extremum peruenerint periculoſæ, ſi quis ad exemplum,

paulò

paulò ſuprà de Athletis poſitum referat tanquam ei reddi iungíque debeat, ne imperfecta & membro vno defecta oratio eſſe videatur, id de extrema repletione dici videbitur, quam iubeat vitari, nec adeò vſque refici corpora vt ad extremam veniant repletionem. Si verò ad dicendi formam diligentius attenderis, vt ex interpretibus quidam fecerunt, de eadē re bis ipſum locutum aliter atque aliter fuiſſe ſuſpicabere. vt quū diceret, ſic & vacuationes quæ ad extremum peruenerunt, periculoſæ, ibi ſolùm præcipere, fugiēdas eſſe immodicas euacuationes, quoniā admodum ſint periculoſæ: Quum verò vt conſequens adderet, Et rurſus corporum refectiones ſi extremæ fuerint, parum tutæ, tum interdicere immoderatas vacuationes, quoniàm & refectiones ſequentes haudquaquam ſecuræ exiſtāt, quia natura nimia vacuatione imbecillior facta, iam non poſsit alimentum probè coquere, diſtribuere & aſsimilare. Verùm ſi quis ita accipiat, altera doctrinæ pars de extrema ſcilicet repletione omnìnò prætermittenda erit, & exemplum de gymnaſtica habitudine fruſtra fuerit allatum. Quin vel particula, Rurſum ſeu contrà orationi

addita

addita ſententiam noſtram indicare videtur, quum diceret, Et rurſus ſeu Cōtráq; refectiones corporum ſi in extremo ſint, periculoſæ. Quaſi enim de re alia loqueretur, ſic orationem extulit, Contráque.

IIII.

Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, καὶ ἐν τοῖσι μακροῖσιν αἰεὶ πάθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, ὅυ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται, χαλεπαί. καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι, χαλεπαί.

Victus tenuis & exquiſitus & in morbis longis ſemper, & in acutis vbi non conuenit, parum tutus. Rurſúmque victus qui ad extremam peruenerit tenuitatem, moleſtus. Siquidem quæ ad ſummam plenitudinem perducta ſunt repletiones, moleſtæ.

Quum ſuperiore Aphoriſmo generatim de omni immodica repletione & vacuatione ſit locutus, in hoc de ægrotantium victu diſſerit, iubens in morbis quidem longis ſemper victum vitandum eſſe tenuem, in acutis verò non ſemper. Ex iis ſiquidem complures tenui, quoſdā etiam ſummè tenui victu indigere videmus. fuerit autem ſummè tenuis victus, quū ſola ſe inedia aut melicrato ægrotantes tolerant

rant ad criſim vſque: tenuis verò, quum paucis aut parum nutrientibus cibariis ſe ſuſtentant, qualis eſt ptiſſanæ ſuccus. Victus porrò tenuitatis finis eſſe debet virium imminutio. harum ſiquidem tuendarum gratia alimus ægrotantes. In ſanis itaque corporibus ſeruandum ſemper eſt naturæ robur, aut augēdum alimentis, nō frangēdum. Ac vires quidem auget cibus plenior, tuetur & conſeruat moderatus, quem ſymmetrum Græci vocant. imminuit tenuis. Hunc igitur ſecunda valetudine ſemper fugere oportet. At reliquorū alterutro, ſiue is ſit plenior, ſiue reficiēdis tuendíſque viribus proportione reſpondeat, vti conueniet, prout præſens ſtatus poſtulare videbitur. In ægrotantibus autem rarò fit, vt vires quàm inuenerimus maiores reddamus: ſed ferè ſemper operam damus, vt in longis quidem morbis eaſdem retineamus ac tueamur. In acutis verò modicè imminutas conſeruemus. nam ſi in iis ſemper vel quales accepimus ſeruare, vel etiā augere ſtuduerimus, morbum proculdubio augebimus. Cæterùm qui nam ſint acuti morbi, qui victum requirant ſummè tenuiſsimū, & qui tenuiſſimum quidem ſed non ſummè, & qui tenuem

nuem eo libro qui de victus ratione quæ morbis acutis debeatur, vel vt nonnullis placet, de ptiſſana inſcribitur, pluribus docuit Hip. & ipſi noſtris in eundem librum commentariis vt tota ea res & planior & abſolutior eſſet perfecimus. nunc itaque ſatis ſit monuiſſe in morbis omnibus quibus intra primam tetrada plenus morbi impetus & iudicatio ſit futura, modò natura robuſta ſit, in perpetua inedia ægrotum eſſe continendum: qui victus eſt longè tenuiſsimus. In quibus autem criſis primam hebdómada nó ſit ſuperatura, valida exiſtente natura, ſolò vtẽdũm eſſe melicrato, quæ viuendi ratio fuerit tenuiſsima, non tamen ſummè. Si verò non ſatis fidimus viribus, ptiſſanæ ſucco vtemur: & hæc quoque victus ratio tenuis meritò appelletur. quemadmodum & quæ ordeacea ptiſſana cõſtat, nõ iam propriè tenuis, niſi omninò pauca ſumatur dici poteſt, non tamen propterea iam plena fuerit; qualis quæ ouis & alica & piſcibus & id genus aliis cibariis perficitur. Quod igitur in mentione morborum acutorum addidit, vbi non conueniat, id propter morbos peracutos factum eſt. ipſe enim de iis dicet, vbi morbus eſt peracutus, protinus

ſæuiſsimi

ſæuiſsimi affligunt dolores, & victu ſummè tenuiſsimo eſt vtendum.

V.

Ἐν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες, διὸ μᾶλλον βλάπτονται. πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα, ὃ ἂν γένηται, μέγα γίνεται μᾶλλον, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι. διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν σμικρὸν ἁδροτέρων.

In tenui victu peccant ægroti, quo fit vt magis lædantur. Siquidem quoduis peccatum grauius hîc quàm in paulò pleniore victu ſolet eſſe. Eadem de cauſa ſanis etiam valde tenuis, ſtatáque & exquiſita victus ratio parum tuta, quia errata grauius ferunt. Quare tenuis exactúsque victus paulò pleniore exiſtit maxima ex parte periculoſior. *

Huius Aphoriſmi initium etiam aliter ſcriptum inuenitur, hoc ferè modo, In tenui victu duo plerunque ab ægrotis peccantur, vnde fit vt magis lædantur. atque pleriſque hoc initium altero, magis placet, per id ſibi voluiſſe Hippocratem arbitrantibus, quia in tenui victu bifariã peccetur

cetur ab ægrotis, propterea eos magis offendi.nam &.quia à medicis tenuis imperatus eſt victus, clàm ipſis cogi eos cibum capeſſere, indéq; accidere vt maius capiāt detrimentum, quàm ſi tali victu vſi non fuiſſent. Deinde etiā quòd debilitatis iam & laborantibus propter ſuperiorem cibi indigentiam viribus,plus cibi capiant, ſic quoq; ab ipſis peccari grauiter. Mihi tamē melior videtur ſuperior lectio,vtpote quæ & hāc complectatur, & generaliorem efficiat orationem, de omni ſcilicet errato intelligendam,ſiue id volentibus ægrotis, ſiue nolentibus accidat,vt talis ſit orationis ſententia, Quodcunque peccatum fuerit eorum qui ita tenui victu vtuntur, id tum propter vires per talem diætam debilitatas, tum propter inſolentem in eam mutationem, grauius eſſe ſolere: ſuffragantur huic lectioni ea quæ de ſanis ſunt dicta, in quibus tenuem diætam parum tutam eſſe confirmat, quia errata grauius ferant, non quòd propter eiuſdem tenuitatem delinquere cogantur. Quæ ſequuntur in aphoriſmo ſunt manifeſta.

V I.

Ες δὲ τὰ, ἔσχατα νοσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισται.

AD extremos morbos extrema exquiſitè comparata remedia, optima.

Morbos extremos appellauit maximos, vltra quos alij non ſint. itaque in iis iubet vniuerſam curationem adhiberi exquiſitiſsimam, & victum nimirum tenuiſsimum. Eiuſmodi autem fuerint omnino morbi peracuti. Propterea tanquam huius clauſulam ſequentem ſubdit aphoriſmum.

VII.

Ὅκου μὲν οὖν κάτοξυ τὸ νόσημα, αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾶν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον, ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

Cùm itaque morbus peracutus eſt, extremos protinus labores habet; ſumméque tenuiſsimo victu eſt vtendum: Quum verò non eſt, ſed pleniorem victum licet exhibere, tantum de extrema victus tenuis ratione remittẽdum, quanto extremis morbus fuerit remiſsior.

Quemadmodum morbos extremos appellauit maximos, ita in præſentia labores extremos maximos vocat, per labores intelligens aut concitationes morborum ſeu irritationes, aut omnia abſolutè ſymptomata. morbus ſiquidem per-

acutus primis ſtatim diebus motiones concitatas, quas paroxyſmos Græci appellant, & omnia abſolutè ſymptomata habet maxima. In eos ſiquidem morbi vigor incidit, qui aliud quicquam non eſt quàm morbi maximum ſymptoma. atqui peracutus morbus is fuerit, qui ſtatim adultus viget. per ſtatim autẽ intelligendum, circiter primos quatuor dies, aut paulò poſt. Hoc igitur nomine conuenit ſummè tenuem victum præſcribere, ſiquidem morbis vigentibus ægroti tenuiſsimè ſunt habendi, vt ipſe libro de ratione victus in morbis acutis, & hoc ipſo aphoriſmo docuit. at morbi peracuti vigor primis ſtatim diebus cõſiſtere ſolet. Optima autem ratione fieri vt vigentibus morbis tenuiſsimus imperetur victus, alibi nos multis demonſtrauimus. In præſentia ſatis ſit monuiſſe hoc tantum, Si propter inflammationes, aut febres quæ ſemper comitantur morbos acutos, cibi vereatur aliquis præbere pluſculum, in vigore certè morbi hoc facere multò magis verebitur. Tum enim maximæ ſunt inflammationes, quas ipſe in libro de ratione victus in morbis acutis phlegmaſias appellabat, ſiue eo nomine propriè appellatas phlegmonas

gmonas intelligi velis, ſiue vnà febres quoque complectaris ſecũdum veterem nominis acceptionẽ. Adhæc præſtat naturam ſinere coctioni morbi vacare per eius vigorem, quàm indè eam ad cibum modò ſumptum mitigandum conficiendúmque abſtrahere. His igitur de cauſis, morborum certè durante vigore, tenuiſsimè ægrotum alere oportet. Hoc poſito, hinc iam in aliis morbis qui poſterius ſuæ naturæ perfectionem & vigorem ſunt aſſecuturi, longè tenuiſsimum ſtatim ab initio victũ imperare nõ licet. ſic enim prius homo morietur, quàm ad vigorem morbus perueniat. At in quibus primo quoque tempore, id eſt primis quatuor diebus vigor eſt futurus, in iis ſummè tenuiſsimo victu vti poſsis, modò vires vel meram inediam, vel ſolius melicrati ſorbitionẽ, vel ptiſſanæ cremoris omnino exiguum ferre poſsint. Eiuſmodi ſiquidẽ eſt victus ratio tenuiſsima: quæ verò hac minus eſt tenuis, quam pleniorem ipſe appellauit, eorum morborum qui poſterius ſunt ad ſummum ſui incrementum peruenturi eſt propria, in quibus tantum de tenuitate victus remittendum eſſe dicit, quãto ab extremis, id eſt à vigore morbus

abfuerit longius. qui vigor propè ſi adſit, paulò plenius, quàm ſi iã adeſſet, alere oportebit: ſi verò longius abſit, plenius tanto alendum erit. Deniq; quanto tardius citiúſve ídq; paulò multóve fore vigorem ſperabimus, tanto plus minúſve victus formam immutabimus.

VIII.

Ὁκόταν δ' ἀκμάζῃ τὸ νόσημα, τότε καὶ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

Quum morbi vis eſt maxima, tum vel tenuiſsimo victu eſt vtendum.

Et hic aphoriſ. pars Hip. eſt artis diæteticæ, ſic Græcis dictæ, quòd debitum ægrotis victum præſcribat. qui quidem à quibuſdam per ſe ſcribitur, vt habet paulò ſuprà poſita dictio: ab aliis ſuperiori annectitur aphoriſmo, quo loco ab ipſis ſcriptus inuenitur. nos autem vtrobi ſcriptus inueniatur, vnam eandémq; præſcribendi victus rationem docet, bono pręcipiente Sene per morbi vigorem tenuiſsimo vtendum eſſe victu, ídq; nimirum tum propter ſymptomatum magnitudinem, tum morbi concoctionem. neque enim ad alteram nouam coctionem abſtrahere oportet, vehementer in humorum morbidorum coctione per id temporis occupatam, & quamprimum niſi

ὁ παλαιὸς & a atis & eruditionis prærogatiua Hippocrates intelligitur.

niſi impediatur, ſuperaturam. Sic enim demonſtrauimus in cõmentariis de Criſibus: quo opere nobis tota de iis morbis conſumpta eſt oratio, in quibus diæta omninò & curatione nitimur & confidimus, quales ſunt in quibus vigorem remiſsio excipit. nam in quibus vigorem mors ſequitur, ſola artis præſagiendi parte vtimur, ſcilicet id quod futurum eſt prædicentes, ne rei euentus nobis poſtea imputetur. Vna igitur hæc tibi erit ad victus formã conſtituendam ex temporibus morbi ſumpta indicatio: altera ab ægrotantis viribus ſumetur, de qua ſequenti agit aphoriſmo.

I X.

Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα, εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νόσου, καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει, καὶ ἀμβλυνεῖται.

Sed & ex ægroto coniecturam facere oportet, an is cum præſcripto victu perſtet ad morbi vſque vigorem, anve prius deficiat, imparque cum tali victu ſuccumbat, quàm cedat morbus & obtundatur.

Quum ſuperiore aphoriſmo tantum de extremo victu tenui remittẽdum eſſe iuſsiſſet, quãto tempore morbus vigore

ipſo eſſet remiſsior, nunc alteram hoc loco addit indicationem, vt certius nos & perfectius quãtum de extrema victus tenuitate recedendum ſit percipiamus. ea autem indicatio ab ægrotantis viribus ſumitur, quarum gratia alere licet: neque enim morbi ipſius cauſa. Nam quum eius ea fuerit naturæ firmitas & robur, vt ſpes ſit toto eo tempore quod ad vigorẽ intercedit poſſe ſuſtinere cum tali victus forma, tùm exactè quantum concedendum ſit tenebimus. Si verò imbecillior appareat, aliquid adiiciendum ad ſuperiorem victum, & tanto alendum plenius, quantum virium imbecillitas ſuadere videbitur. Ea ſiquidem de cauſa interdum in ipſo etiam morbi vigore alere cogimur, quum ſcilicet tale ſymptoma ſuperuenerit, quod vires reſoluat. Atque hæc oratio pars eius eſt vniuerſæ quæ de victus ratione præcipit. Quòd ſi quis ex omnibus, præſenti ſcilicet aphor. & eo qui præceſsit & qui ſequitur vnum faciat, is non malè agat. Ego verò qua potui facilitate diuiſos particulatim explicare malui.

X.

ΟΚόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾷν· ὁκόσοισι δὲ ἐς ὕστερον

ρον ἢ ἀκμὴ, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον· ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾷν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quibus itaque vigor ſtatim futurus eſt, tenuiter ſtatim habere oportet: quibus autem poſterius, & in ipſo vigoris tempore, & paulo ſub ipſum de victu demendum: Antea verò plenius alendum, vt ægrotus perferre queat. vide apho. 9. in margine, nam id ... huic repugnare.

Eandem quoq; ſentẽtiam habet hæc oratio, ſed generalius elata eſt quàm ſuperior. Suprà enim in morbis peracutis dicebat protinus tenuiſsimo victu eſſe vtendũ. In hac verò de omnibus abſolutè pronunciat morbis quorum ſtatim futurus eſt vigor. id eſt nõ ita multo poſt primum inſultum morbi, alendum eſſe tenuiter. Quæ ſequuntur ſunt manifeſta eandem indicantia ſententiam.

X I.

ΕΝ τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρὴ, τὸ προστιθέναι γὰρ βλάπτει· καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.

In ipſis tamen exarcerbationibus cibum adimere oportet, nam præbere noxium. Et cum per circuitus redeunt morbi, in ipſis acceſſionibus abſtinendum. idem lib. 3 humoribus comm. 1.

Vniuerſam præſcribendi victus formam & rationẽ in vno quoq; morbo ex

duabus indicationibus ineundam eſſe præcepit, morbi ſcilicet totius futuro vigore, & ægrotantis viribus. Nunc in hac oratione quo modo etiam ſigillatim cibum dare conueniat docet, concitatiores morbi motus (paroxyſmos Græci appellant) ſine cibo habendos eſſe iubens. Sed euidẽtius id lib. de ratione victus in morbis acutis dixit, nimirum ne quum iam adſunt paroxyſmi, aut iamiam ſunt adfuturi, cibum præbeamus: ſed quum inclinantur ac deſinunt.

XII.

Τοὺς δὲ παροξυσμοὺς καὶ τὰς καταστάσιας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἀντεπιδόσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται. ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον, ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται, ἀρχομένου βραχύνει· ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα, ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

Acceßiones verò & conſtitutiones morborum iudicabunt tum morbi ipſi, tum tempora anni, tum periodorum proportionis inter ſe obſeruatio, ſiue ea quotidie, ſiue alternis, ſiue maiore

iore interuallo fiant. Sed & ex ijs quæ poſtea apparent, indicia ſumuntur, velut in pleuritide ſputum ſi ſtatim initio appareat, breuem fore denunciat, ſi verò poſterius conſpiciatur, longam. Quinetiam vrinæ, alui fæces, ſudores & iudicatu faciles aut difficiles, & breues aut longos morbos fore, quum ſuperueniunt, demonſtrant.

Vide aphor: 5. et 23. lib. 3. nec nō 16. et 33. lib. 6.

Si quæ ſuprà de victus ratione dixit recordemur, in quem vſum iſta nūc dicat, manifeſtum euadet. erant autem eiuſmodi. Vniuerſæ diætæ inſtituendæ formam ad duos referebat ſcopos, ęgrotis videlicet virtutem & morbi ſtatū ſeu conſtitutionē. Nam an morbus ſit peracutus aut acutus aut diuturnus futurus, & quo maximè tēpore vigorem aſſequi debeat, ſi quis conſyderet, is propriè conſtitutionē morbi & ſtatum ſpectare dicetur. Singillatim verò & particulatim præbēdi cibi occaſionem ex ſingulis captabat acceſsionibus. Quum igitur ad rectè & perfectè victum inſtituēdum & ordinandum tria ſint quæ ſpectari debent, vires primùm ægrotantis, deinde morbi ſtatus, poſtremò ſingulę acceſsiones, ex iis primo ſtatim ad ægrotū aditu medicus vires de pulſu & aliis ſignis quę ipſe in prognoſticis explicauit, deprehē-

dere poteſt. Vnde nullus virium magnitudinem negauit teneri poſſe: ſed ſi minus poſſumus exactè earum menſuram inuenire, at coniectura certè artificioſa proximè accedere poſſe, nemo non fatebitur. Conditionem verò morbi qualis ſit futura, & ſingulas acceſsiones medicis compluribus viſum eſt dignoſci non poſſe, non tamen Hip. Sed in iis, vt & in aliis exactè ſæpè, propéq; dixerim ſcientiâ certa, ſæpè etiam coniecturis, ſed non citra artem factis à veritate non longè abfuimus, ſed propè atque etiam proximè acceſsimus, futurum vigorem, & quales acceſsionum futuræ eſſent inter ſe viciſsitudines prouidentes. Verùm hæc latius tũ in prognoſtico, tum libris Epidemiων docuit. & nos Senis verba in primum librũ de criſibus trãſcripta iuxta eius ſententiã explanauimus. & quo maxime modo futurus vigor prouideri queat, oſtendimus, nunc verò quicquid ea de re breuiter dici potuit, ſummatim comprehẽſum eſt ab Hip. id quod & ipſi ſumus quàm fieri poterit breuiſsimè declaraturi. Si cui verò diligentius hæc omnia diſcendi inceſsit cupiditas, is ſe ad ea quæ de criſibus ſcripſimus conferat.

Morbi ipſi. Morbi igitur ipſi tùm quã inter ſe proportion

portionem ſeruaturę ſint acceſsiones, tũ ſuã ipſorũ conditionẽ & cõſtitutionem indicabunt. exempli gratia inter febres quæ intermittũt tertianam celerem obtinere iudicationem, longam verò eſſe quotidianam, eáque longiorem quartanam. Inter continuas autem, ardentes (quas καυσώδεις appellant Græci) acutas eſſe, fumantes verò cum incenſi humoris copia, quas iidem τυφώδεις dicunt his diuturniores eſſe, & inter has medias eſſe ſemitertianas. quas omnes febres quo modo quis vel primo ſtatim inſultu noſcitare poſsit, ipſi ſecundo de criſibus copioſiſsimè diſſeruimus. Quare minimè neceſſariũ eſſe duximus, quæ in aliis locis priùs rectè nobis ſunt dicta, huc trãsferre, ne ſæpius eadẽ inculcandi ſtudio diuerſis locis videamur dicere voluiſſe, ſed ſolùm in memoriã redigere oportet, ſi initio tertiana ſimul vt inuaſit agnoſci queat, ex ea ipſa licere ſumere, tũ citã eius fore criſim, tũ etiã acceſsiones tertio quoq; die redituras: atq; hoc ipſum eſt quod ab Hip. dicitur, acceſsiones, & ſtatũ morborũ indicabunt morbi ipſi. nã & nos ſępè quartanarũ initia primo ſtatim die quũ cognouiſſemus, nihil iã acceſsionis alternationẽ morati, protinus

Τυφὼν ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως συστροφὴ, πρὶν ἐκπυρωθῆναι.

tinus ab initio victus modum conſtituimus qui morbo deberetur plurimo pòſt tempore ad vigorem ſuíq; ſummum incremẽtũ peruenturo. Sic in quotidiana & tertiana fecimus, pro cuiuſq; proprio & ſtatuto vigoris tẽpore conuenientem victus formam imperantes. Et vt in febribus, ſic in aliis quoq; morbis ſe res habet. Pleuritis enim & peripneumonia & phrenitis acuti ſunt morbi: ſynanche, quam anginam vocant, & cynanche & cholera & tetanus, peracuti. Hydrops verò & melancholia & empyema & tabes, phthoẽ Græcis dicta, affectione ſunt diuturnæ. Ac pleuritidi quidem & phrenetidi tertio ferè quoque die fiunt paroxiſmi. iis verò qui ventre malè affecto & hepate morbi committũtur, item empyemati & tabi quotidie magíſque ſub noctem. Splenicis verò & omnino melancholicis quarto quoq; die. Quod deinde additum eſt, & anni tempora, ad ea quæ ſunt de morbis dicta referri debet. Nam & morbi naturam & paroxiſmos anni tempora vnà cum morbo poſſunt indicare. neque enim ſolùm ſcire quartanam eo die inuaſiſſe, ſatis fuerit ad victus formam rationemq; ab initio aduerſus morbum diuturnũ prouidendam

Anni tempora.

dam

dam ac conſtituendam, ſed hyeméne etiam an vere, æſtate an autumno febris inceperit ſimul cōſyderare oportet. Aeſtiuæ ſiquidem quartanæ magnam partem breues, autumnales lōgę, præſertim ſi ad hyemē pertineant, ſolent eſſe, vt ipſemet poſtea nobis eſt traditurus. Quin etiā tertiana, licet ipſa ſit alioqui celeris iudicatiònis, æſtate tamen celerius multo quàm hyeme iudicari ſolet. Singuliſque adeò aliis morbis celeritatē æſtas, tarditatē hyems addere ſolet. Paroxyſmi etiā in totum ferè dixerim tertio per æſtatem quoque die, quarto per autumnum, per hyemē ſingulis diebus aut noctibus fieri conſueuêre. Porro autem vt in partibus anni, ſic in temperamētis ſimiliter ſe res habet. De quibus Hippocrates ipſe quum ſæpe diſſeruiſſet, hîc quicquā dicere noluit, noſtræ permittēs prudentiæ ex vno recordari reliqua. nā quæ tēpeſtas æſtiua, eadem quoq; corporis ægrotantis tēperatio ſi ea natura calidior extiterit & ſiccior, eadem ætas ſi integra & adulta fuerit, eadem denique locus indicabit ſi calidus ſit & ſiccus. Inſtitutum etiā vitæ & conſuetudo & aëris nos circunſtantis præſens ſtatus eadem ſi ſimiliter habeant indicabūt. de quibus

ipſe

ipſe poſtea. Similiter quæcunque de tem peſtate autumnali indicia ad morbi ſtatum prouidendum & acceſsionum iterationem ſumebantur, eadem etiam ab ægrotantis ætate, natura ſeu tẽperatione, vitæ genere, conſuetudine, & regione vbi ægrotat & præſenti cœli ſtatu ſumere poſſumus. Ex iis igitur cõſtat nos, & morbi ſtatũ conſtitutionémue, & acceſsiones cognoſcere poſſe. vt per ſtatũ, vtrũ peracutus morbus ſit an diuturnus (quæ res etiam ad vigoris prouidẽtiam eſt neceſſaria), per acceſsiones, an tertio quartóve quoq; die aut quotidie & qua diei noctísve hora inuadere debeãt, intelligamus. Deinceps autem expendamus id quod ad finem aphoriſmi eſt additum, an noſtram ſententiam cõprobare videatur. Nam quum ait Hip. & commutationes periodorũ inter ſe ſiue quotidie, ſiue alternis, ſiue maiore interuallo fiant, conſtat eum per periodorũ commutationes, paroxyſmorum qui in ipſis periodis fiunt incrementa intelligere, quæ & tempus augeſcentis morbi & certum ſtatúmque futuri vigoris diem oſtendũt. Et quo rem facilius aſſequaris, ſecundæ acceſsionis ſupra prçcedentem incrementum, in tribus hiſce ſpectatur,

Quid σύστασις νόσου, id eſt morbi conſtitutio.

hora

hora qua incœpit, longitudine acceſsionis, & magnitudine. nec quicquam refert ſi pro magnitudine acceſsionis vehementiam dixeris. ambo ſiquidẽ apud medicos recepta ſunt nomina, & pro eadem re ab ipſis ſæpè vſurpata, vt quũ maiorem interdum febrem quàm anteà, interdum vehementiorem fuiſſe dicunt. Vſu porrò venit vt vehementior hæc febris totidem horis atq; antea, aut paucioribus, aut pluribus affligat ægrotantem. quæ longitudo paroxyſmi erit non magnitudo ſeu vehemẽtia. Hoc autem loco per paroxyſmũ, totius circuitus deteriorem partẽ intelligere par eſt, quæ iam inde à prima inuaſione ad vigorem extendi ſolet, quẽadmodum reliquam inde inclinationem, periodi meliorem partem dicere conuenit. Quum itaque paroxyſmus, ſiue tertio quartóve quoq; die, ſiue quotidie fiat, proportionem anticipauerit, eáque anticipata, & in longius tẽpus productus & vehementior factus fuerit, tum manifeſtum erit morbi incrementum, qui quantũ inauctus ſit, ſingula hæc quæ retulimus indicabũt. Paroxyſmus enim qui maiore tẽpore anteuerterit & plus durauerit, & vehemẽtius afflixerit, haud pœnitẽdum indicabit

indicabit morbi incremẽtum, celerémque eius motionem eſſe, & in proximo vigorem oſtendet. Neque enim magnas additiones paroxyſmi ſortiẽtur, & non erit vigor proximus. Cõtrà paroxyſmus qui horum ſigillatim paruas ſibi fecerit acceſsiones, quod ad eam rem attinet, longius vigorem abfore indicabit. Hoc igitur ex periodorum incremẽto diſcemus, nempe coniecturam facere quanto pòſt tẽpore morbi ſit futurus vigor, ſimúlque certam & præſtitutam inuaſionis paroxyſmi horam tenebimus. quorũ prius ad conſtituendam vniuerſæ victus rationis ideam & formam quandam, poſteriùs ad ſingula cibo dando accõmoda tempora cognoſcenda, eſt vtile. quorum indicationes docere ab initio eius erat propoſitũ. Quòd autem periodum vocet, eodem ſimilem reditum neminem latere puto. Sed & ex iis quæ poſtea apparent & conſequuntur, tum paroxyſmi, tum totius morbi ſtatus & conſtitutionis coniecturam ducendam eſſe ait. quæ quidem ſiue ſymptomata, ſiue ſigna appelles, intererit prorſus nihil. Sed illud potius de omnibus & ſymptomatis & ſignis ſtatuere prꝗſtiterit, nempe quòd ex iis nonnulla ſint pathognomonica

Periodus quid.

Quæ ſuperueniũt.

monica, id eſt affectionum indicātia, alia morbos comitentur, alia ſint decretoria, alia coctionis cruditatíſve indicatiua, quędā item ſalutaria, contrà exitialia nonulla. Ac pathognomonica quidem vnà cum morbo inuadunt. Comitantia verò interdum ſimul cum morbo bo vnà adoriuntur, interdum ſuperueniunt, nonnunquā omninò etiā abſunt. neque enim à morbo ſunt inſeparabilia, neque eius eſſentiam conſtituunt, ſed proprias differentias efficiunt. Criſima verò Hippo. dicta, id eſt decretoria ſymptomata, omninò primo ſtatim morbi initio inuadere non ſolent, ſed vnà cum duobus aliis principiis (de quibus paulò poſt) accidere poſſunt. Quanquam ne in iis quidem ſæpè, ſed in morborum potius augmento & vigore apparere cōſueuerunt. Coctionis pariter ſigna nunquam morbi primo initio conſpiciuntur, ſed principiū illud quod veluti pars eſt totius morbi, terminant. Cruditatis autem ſigna & primo morbi initio apparent, & interdum poſtea, ſicut & exitialia ſpectantur. nam & horum ortus morbi principium ſubſequitur. Morbi autem appellandum principium (vt in commentariis de criſibus demonſtraui-

Morbi principiū quodda eſt pla-

nè indiuiduũ, quoddam tanquã totius morbi pars, & quoddã in tertium vſque diẽ pertinet.

mus) tum inuaſionem primam illam latitudine vacantem, tum illud quod tanquam totius morbi pars eſt, quum ſcilicet in principium, augmentum, vigorem & declinationem ſit diuiſio, tum illud quod in tertium vſque diem extenditur. In eodem quoque opere, ſymptomatum quæ recenſuimus omniũ facultates docuimus interpretatione ad id neceſſariorum Hippocratis verborum adiecta. de ipſis tamen in præſentia quantum compendio licet dicemus. Totam verò ſi quis de his Hippo. artem perdiſcere velit, is ad eam ſe conferat cõmentationem. Conſulit igitur ex iis quæ in morbis apparẽt Græcis ἐπιφαινόμενα dicta, cõiecturam de totius morbi conſtitutione & ſtatu faciendam eſſe. deinde ex ipſis quoddam in medium proferẽs, exempli gratia inquit, in pleuriticis ſputum ſi ſtatim appareat morbi initio, eũ breuiat, ſi verò poſteriùs conſpiciatur, eundem trahit. Verùm quo res ſit manifeſtior, ego tibi ex tertio Epidemiωn huc tranſcribam quæ eo loco de Anaxione pleuritico prodidit Hippo. quem ægrotum Anaxionem in primo etiam de criſibus mea interpretatione illuſtraui.
95 Sic habet Hippocrat. dictio, Abderis (quæ

(quæ Thraciæ eſt ciuitas) Anaxionem "
qui ad Pylas Thracias decumbebat, fe- "
bris corripuit acuta, lateris dextri dolor "
continuus, tuſsis ſicca, nihil per primos "
dies ſpuebat, ſitibundus, peruigil, colora "
tior vrina, multa, tenuis. Sexto delira- "
bat, nec quicquam ad fomenta leuaba- "
tur: Septimo grauius habuit. tum enim "
& febris inualeſcebat, nec dolores re- "
mittebãtur, & tuſſes infeſtabant, atque "
ægrè ſpirabat. Octauo in cubito ve- "
nam ſecui. ſanguis copioſus qualem o- "
portebat manauit. labores remiſsiores, "
ſiccæ tamen tuſſes perſeuerabant. Vnde- "
cimo febris remiſſa eſt, parum circa ca- "
put ſudauit. tuſſes & quæ ex pulmone "
educebantur humidiora. Decimoſepti- "
mo cœpit pauca quædam concocta ex- "
creare. Viceſimo ſudauit, febréque le- "
uatus eſt. Poſt criſim leuius habuit, ſiti- "
bundus tamen erat, & quæ ex pulmone "
expurgabantur, minimè bona. Viceſi- "
moſeptimo reuertit febris, tuſsiit, cocta "
multa expuit. In vrinis hypoſtaſis multa "
alba, omninóque ſiti leuatus eſt & ſpi- "
randi difficultate. Triceſimoquarto to- "
to corpore ſudor manauit, atque in to- "
tum modo decretorio febre eſt leuatus. "
Quum itaque ab initio pleuriticus eſſet

hic Anaxion, nihil initio ſpuebat, ſed octauo etiam die tuſsis ipſi ſicca perſeuerabat, vt ait Hippo. Quo factũ eſt, vt bona ratione totius morbi ſolutio in 34. diem ſit reiecta, licet pleuritis plurimùm habeat quartumdecimum criſeωs terminum: aut ſi non hunc, at certè omninò viceſimum. Quòd ſi ante tertiũ ſpuere contigiſſet, circa ſeptimum aut nonum, aut tardiſsimùm vndecimum ſoluta fuiſſet. Ac ſi ipſo tertio die cœpiſſet ſpuere, non vltra fuiſſet decimumquartũ diem progreſſa. Vſu enim in omnibus venit inflammationibus, duntaxat quæ denſo operimento non teguntur, quales in externa cute exiſtunt, quoſdam exudari ichores, id eſt ſaniẽ initio tenuem, poſtea ſi coquatur & proficiat in melius, craſſiorem. quã ipſam craſsiorẽ factam, magis minúsq; cõcoqui accidit. hoc ipſum in omnibus oris & oculorũ inflammationibus cernere eſt, nec hiſce minus in alia etiã quauis parte, quãdo ſimul cum totius cutis diuiſione, pars quæpiam interior inflammatione laborat. talis enim ab eiuſmodi vlceribus profluit ſanies, qualem modò commemoraui. Si quando verò cum tali pororum coarctatione inflammatio fuerit, vt nihil foras effluat,

fluat, tum & coctu difficilem & diuturnam eam inflammationem fore eſt neceſſe. Quæ quum ita habeant, in pleuritide quoque (quãdo & ipſa de genere eſt inflammationum) coctionis ſignis animum diligẽter aduertere oportet. Crudiſsima ſiquidem eſt in qua nihil omnino ſpuitur. ſecundum cruditatis locum obtinet in qua ἰχῶρες tenues. tertium in qua craſsiores, quartum in qua perfectè cocti apparuerint. qui ſi circa tertiũ aut quartum diem exiſtant, vt ſeptimum morbus ſuperet fieri non poteſt. Sic in ſingulis aliis morbis pro coctionis modo, temporis conſequatur menſura eſt neceſſe. Quemadmodum igitur ſputum perfectæ coctionis eſt ſignum, quum album læue & æquale, nec ſupra modum humida aut craſſa eius cohærentia fuerit: ſic ſummam cruditatem ſignificat, quum omninò non ſpuitur. Quod ſi ſpuatur, ſed tenue adhuc ſit, debilis & obſcuræ coctionis eſt ſignũ. Si ſincerum miniméque permixtum fuerit, vel flauum, vel rufum, improbandum. ſi liuidum aut ærugini ſimile, aut nigrũ, pernicioſiſsimũ. Quum itaque nobis diſtincta ſint tum coctionis, tum crudiatis ſigna, tum etiã exitialia: ex iis tenendum

memoria coctionis ſigna ſemper bona eſſe, vt quæ morbi ſolutionem breui fore oſtendant, quemadmodũ exitialium ſignorum genus, ægrotantis mortẽ breui fore minitari ſolere. Cruditatis verò ſigna diuturnum neceſſariò futurũ morbum portẽdere quidem, non tamen moriturum aut euaſurum hominem, quod quidem in ipſis eſt, indicare. diligentius tamen ſi antè vires ægrotantis expẽderis, iſta etiam licebit prouidere. Aliud quoq; ipſi eſt ſignorum genus, quæ criſima id eſt, decretoria appellat. cuiuſmodi ſunt ſudores, hæmorrhagia, rigor, aluus copioſè deiecta, vomitus multus, capitis dolor derepẽtè natus, dyſpnœa inopinata & vehemens, cardiogmus, id eſt cordis vellicatio, hypochõdrij indolens contẽtio, vigilia vehemens & deliratio, nox pręter rationẽ moleſta, paroxyſmus anticipans lachrymæ etiã inuoluntariæ nullo oculorum affectu nec vlla re triſti percepta, rubor item faciei, & labri inferioris motitatio, & quædam velut à ſole illuſtrata, vel tenebricoſa & obſcura ante oculos obuerſantia, aut ſplẽdores quidam oculos perſtringentes quos Græci μαρμαρυγὰς appellant, genę itẽ aut nares repẽtino rubore ſuffuſę, tumores ad au-

res, παρωτίδας Græci dicunt. denique abſceſſus cuiuſpiam in articulum decumbentis generatio. Hæc igitur vniuerſa & prętérea eiuſmodi alia multa, quę ſecundum propriam eorū naturam ſymptomata dicuntur, quia tamē mutationem ſubitam ſignificant, ſigna decretoria ſolent appellari, duplicē tibi adferent prouidendi rationem, tum ſalutis propinquæ, ſiquidem ea poſt morbi coctionem accidāt, tum criſεως improbæ, id eſt quæ perniciē ægrotanti aut temporis longitudinem ſit allatura, ſiquidem ea morbi crudelitatem fuerint ſubſequuta. Aliam porrò eſſe horum decretoriorum ſignorum naturā, aliam coctionis ſignorum, ex iis maximè diſcas quæ primo Epidemion ait Hipp. Morborum inquit maturitas ſeu cōcoctio criſis accelerationem & ſalutis certitudinē ſignificat. Cruda verò quæ ſunt & incocta, & quæ in malos abſceſſus vertuntur, vel criſεως fruſtrationem: vel dolores, vel diuturnitatem, vel mortem, vel eorūdem fallacem reflexum & tergiuerſationē fraudulentam denuntiant. Atque generaliter hîc morbi coctionē laudauit: In prognoſtico verò particulatim, ipſius etiā ſignis traditis, hoc ferè modo, Optima vrina, cu-

ius hypoſtaſis alba, læuis, & æquabilis toto tempore perſtiterit, donec morbus criſi ſoluatur. talis enim tum certam indubitatámque ſalutē, tum celerem morbi ſolutionem ſignificat. Sic vrinam laudauit, quæ humorum in venarum genere contentorū coctionem indicat. Rurſum quum ſic ait, Alui excrementū optimum, ſi molle ſibíque conſtans & figuratum, qua per ſecundam valetudinem hora conſueuerat eſt redditum, ventris coctionum notas laudat & docet. Pariter quum partium reſpirationi ſeruientium coctionē ſimul nos doceret & laudaret, ita eſt locutus, In omnibus pulmonis coſtarúmque doloribus celeriter & facilè ſputum excreari, in eóque quicquid flaui apparet, exactè commixtum eſſe oportet. Coctionis itaq; ſigna, quouis tempore ſe prodiderint, ſemper ſunt bona: Criſima verò non item. Inquit enim, Criſima ſigna, ſi non decernant partim ſunt mortifera, partim iudicatu difficilia. Eandē quoque ipſe ſententiam præ ſe fert, quū ait, Quæ in melius decernunt ſigna, protinus apparere nō ſolent. Quocunque igitur tēpore ſe prodiderint coctionis ſigna, bona ſunt. totum ſiquidem ipſorum genus ſemper bonū.

Quod igitur hoc aphoriſmo traditur, In pleuritide ſputum ſi ſtatim appareat, & cætera.cum eo minimè pugnat quod alibi dixit, Quæ in melius decernunt, protinus non apparere.nam criſima ſigna interdũ mala ſunt,coctionis autem nullum vnquã malũ,ſed bona ſunt ſemper omnia, tantóq; celerius priſtinæ ſanitati reſtituendũ hominem pollicẽtur, quãto celerius apparuerint. Atq; hactenus iſta velut cõpendio & breuiter nobis dicta,pro præſentis aphoriſmi explicatione ſatis fuerint.nã de iis totã Senis mentem pluribus aperuimus in cõmentatione de Criſibus. Verùm vt modò dicta ſignorum diuiſio ſit abſolutior,quid pathognomonica & comitantia ſigna à ſuperioribus differãt libet cõmemorare, prolato exẽpli gratia morbo,cuius nominatim meminit Hipp.ipſe.Igitur in pleuritide acuta febris vnà cũ ſpirandi difficultate tuſsíq; & lateris dolore punctorio ſigna ſunt pathognomonica.Dolorẽ verò,vel ad hypochondriũ vel clauiculã pertinere, itémque facilius in latus affectũ, quàm in ſanũ ferre decubitũ ſigna ſunt morbũ comitãtia. Verùm de ſignis comitãtibus duos libros ſcriptos reliquit Praxagoras Nicãdri filius & tertium de

iis quæ ſuperueniunt, ob id ἐπιφαινόμενα Grȩcè dicta, quaſi τῶν ἐπιφαινομένων librũ inſcripſiſſet. quæ quidẽ Hipp. ipſe morbos iudicatu faciles aut difficiles, breues aut longos, quum apparuerint indicare dicit. Nec verò ſputi ſolùm, ſed & vrinȩ & alui excremenrorum & ſudorũ fecit mentionem, nimirum qui exemplis eiuſmodi in memoriam nobis redigere vellet, quæ in prognoſtico ſcripta reliquit, quæ huc tranſcribere foret ſuperuacaneum. Abundè ſiquidem de iis quum in lib. de criſibus, tum multo etiam accuratius noſtris in prognoſticum editis commentariis diximus, in quibus de iis Senis ſententiam interpretati ſumus.

XIII.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. τούτων δὲ αὐτέων ἅπερ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑωυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

Ieiunium ſenes non decrepiti ferunt facillimè, ſecundum hos qui conſtantem ætatem agunt, minus adoleſcentes, minimè omnium pueri, atque inter eos maximè qui acriore ſunt & viuidiore ingenio præditi.

Aetatum quoque diſcrimẽ aliquid ad inſtituẽdum in morbis victus rationem

conferre

conferre planum eſt.ſenes ſiquidem facilè inediam ferunt, contrà pueri, difficulter. Spectatur eiuſmodi ferendæ inediæ facilitas in nō appetendo, nihilque indè noxæ capiendo.ex contrariis æſtimatur difficultas. Nam & vehementius appetunt pueri, & longa inedia magis offenduntur. Media verò inter ſenes & pueros ætate qui ſunt, quo ætati horum alterutri propinquiores fuerint,eo grauius faciliúsve longam cibi abſtinentiá ferunt, eáque magis aut minus offendū tur.Huius porrò aphoriſmi cauſam docet eo aphoriſmo qui proximè ſequitur, cuius eſt initium, Augeſcentia corpora inſiti caloris habent plurimum. Quare hunc ſi placet ſuperiori copulare & cum particula cauſę redditiua efferre,vna eadémque fiet & manifeſta hoc modo habens oratio,Ieiuniū ſenes ferunt facillimè, deinde qui plena ſunt & cōfirmata ætate,minus adoleſcentes,omnium minimè pueri. Nam qui creſcunt,plurimū habent calidi natiui. Confirmatá verò ſeu conſtantem ætatem appellat eam, quæ inter perfectá adultámque ætatem, & ſenectuté eſt media, ita vt iam præcipitet ætas illa florida, necdum vllum adſit ſenectutis ſignum manifeſtum. Sic Thucyd

Iuuentus quia biliosa eſt, inedia maximè offenditur, ſed non admodum appetentia cibi laceſcitur.

Thucydides appellauit eos qui cõſtantem ætatem agerent, inter quã & adoleſcentium ætatem, * alia quædã intercedit, quæ vt ordine, ſic facilitate quoq; aut difficultate ferendæ inediæ eſt media. neque enim per eã ætatem tam facilè incdiam ferre poſſumus, atque ſolẽt ij qui iam cõfirmata aut ſenili ſunt ætate: nec rurſum tam ægrè, ac faciunt adoleſcentes & pueri. Sed huius ætatis non meminit Hipp. quia ex iis poſſet quæ dixit intelligi. Nã quum diceret, atque inter eos maximè qui acriore ſunt & viuidiore ingenio præditi, naturarũ diſcrimina nobis aperuit. Ex pueris enim qui copioſum habent naturalem calorem, ij ad capiendũ cibum promptiores & auidiores aliis exiſtere, meliúsque conficere & percoquere, & niſi ſumpſerint, maius detrimentum capere ſolent. Atque hæc eſt Hippocratis dictionis ſententia, quæ paruam quandam adhuc, quo ſit perfectior, deſyderat acceſsionẽ. De iis enim qui in prima aut media ſunt ſenectute, rectè dictũ eſt longã facillimè ferre inediam, nõ etiam de iis qui vltima ſunt ſenectute rectè pronunciari poteſt, quãdo ne breuem quidem illi inediã ferre poſſunt. Aut igitur ad aphoriſmum addendum

* *Hæc Græcè* νεότης, *Latine iuuentus videtur dici poſſe.*

dum eſt exiguum quiddam, & efferendum hoc modo, Facillimè ſenes ieiuniũ ferunt, præter eos qui extrema ſunt ſenectute, quos ἐσχατογήρως Græci dicunt: poſt hos qui conſtantem ætatem agunt. aut vocabulum ieiunium cõuertendum in cibi paucitatem, id eſt oligoſitiã, & ſic dicendum, Paucitatẽ cibi ſenes ferũt facillimè, ſecundo loco qui conſtantẽ ætatem agunt. Nam vt longam inediã non ferãt qui ætate ſunt decrepita, paucitate certè cibi cõperientur indigere. ipſis ſiquidem ſimile quiddã accidit, quod lucernis olei defectu ſenſim extinguendis, quæ licet pinguis cuiuſpiã aſsidua affuſione indigeant, multã tamen & cõfertam non ferunt. Sic ſanè & his qui ſenectute ſunt vltima, cõuenit cibi copiã dare in vniuerſum non magnam, eámque in plures partiri portiones, non vnam ipſis longam imperare inediam.

XIIII.

Τὰ αὐξανόμενα, πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς· εἰ δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν. διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται, ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες, ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

Hoc loco calidi natiui nomine intelligẽdum humidũ primigenium, caloris vitalis & ſpiritus ſubiectum & ſubſtantia à ſemine orta.

Qui creſcunt, natiuum calidum habent plurimum. itaque copioſo quum egeant alimento, abundè ipſis ſuppeditare oportet. alioqui corpus conſumitur. In ſenibus verò ineſt calidi parum. Paucis propterea ſuccendiculis egent: ſiquidem multis extinguitur. Ob eandem cauſam nec ſenibus febres perindè acutæ fiunt. frigidum enim eorum corpus.

Qua ratione iuuenes cæteris calidiores viſi ſint medicis quibuſdam, & qua pueri, abundè nobis dictũ eſt in iis etiam commentariis quos de temperamentis edidimus. Illi enim acriorẽ, hi copioſiorem calorem obtinent. Nunc verò quod ad præſentem attinet aphoriſmũ repetere non abs re fuerit, quoad fieri poterit pauciſsimis longã ea de re diſputationẽ complexos. Nomen igitur hoc calidum ad eam interdum accommodamus qualitatem, cuius proprium nomen eſt caliditas, interdum ab ea qualitate denominantes totũ appellamus corpus calidũ. qui modus appellãdi, quum in omni vita, tum etiam apud veteres in vſu fuiſſe frequenti, ſatis indicat Theophraſtus eo libro quem de calido & frigido inſcriptum poſteritati reliquit. nã quum caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem, humiditatem qualitates cõtrarias corporum

ſubſtantia

ſubſtantia viciſsim recipiat, ſi propter eam ſubſtantiam quæ caliditatem recepit, quidpiam appellemus calidum, eius ſubſtantiæ corpus nõ ſolam qualitatem intelligimus, parúmq; aut multum calidi ineſſe in eo dicimus, quanti ſubſtantiæ non qualitati aduertentes animum. ídque duobus facimus modis, vno in ſubſtantiis non miſtis, altero in permiſtis. Exemplum de non miſtis, fuerit, ſi ſint duo qui calentem ſimiliter aquam inæqualibus labris cõtentam habeant. Horum enim vnũ plus calidi cui maius eſt labrum, alterũ minus habere dicere cõſueuimus. De commiſtis verò. ſi paribus labris inęquali portione ex vino & aqua fiat permiſtio, ex iis vnum vini plus, alterũ aquæ continere dicere ſolemus. Eadem ratio fuerit, ſi inæqualia etiam labra ſtatuamus, eadẽ permiſtionis proportione ſeruata. Interdũ verò non ad ſubſtantiæ copiã, ſed ad ſolã qualitatem oratione relata, vni plus calidi, alteri minus adeſſe dicimus. veluti ſi ex duobus labris pari omnino magnitudine, id quod calidius eſt, plus habere calidi, quod frigidius, minus calidi obtinere dixerimus, minus tamen propriè nomen plus vſurpantes. Siquidem

per

per magis minúsve & vehementius aut remiſsius & eiuſmodi alia nomina, quũ de qualitatibus agitur, loqui foret rectius: quemadmodum per parum aut multum, quum ſolùm de ſubſtantiæ quantitate. Verùm non hîc ſolùm, ſed quum in aliis multis quæ fiunt in vita, tum in ipſa maximè arte medica eiuſmodi cõmittitur verborũ improprietas & loquendi abuſus. Omnes ſiquidẽ morbos magnos appellant aut paruos, quũ tamen ipſi ſubſtantia non ſint. Febrem enim magnã, febrem paruã, apoplexiam magnã, apoplexiã paruã, pleuritim pariter & phrenitim & peripneumoniã, cæterósque alios morbos omnes magnos dicunt aut paruos. Eiuſmodi igitur diligenter animaduertẽda eſt homonymia, videndúmq; ſemper quid ſibi dicentis velit oratio vniuerſa. nã ſi alia ſignificatione nomẽ aliquod profetat, alia nos accipiamus, ideóq; eius damnemus orationem, nõ tam reuera eũ qui dixit redarguerimus, quàm noſtram prodiderimus ignorantiã. Quod hoc loco Hippocrati cõtradicendi ſtudio nonnulli faciũt. Siquidẽ ipſi calidi nomẽ trãsferũt ad qualitatem, quã in iuuenibus vehementiorẽ ineſſe (rem Hippocrati minimè ignoratam)

tam)demonſtrare ſtudent. Verùm ipſe non ad qualitatẽ, ſed ad ſubſtaniam hac oratione id nominis retulit. Ingeniti enim caloris ſubſtãtia aërea eſt & aquea. quod ex ſemine intelligere licet. Id enim terrenæ ſubſtantiæ minimum, aëris verò rei calidæ & humidæ in ſe plurimum obtinet, quemadmodum noſtris de ſemine cõmentariis demõſtrauimus. Adhæc menſtruus ſanguis alterũ procreationis noſtræ principium, humidus ſanè natura exiſtit. Quum itaq; quotidiano augmẽto animalis corpus ſiccius terrenúmque magis euadat, etiã ſi tum valde calidum exiſtat & igneũ, paucisſimam tamen habet calidi natiui ſubſtantiam. Alioqui febricitantes diceremus genuini calidi habere plurimum, qui tantum abſunt vt copioſiorem, vt ne parem quidem & integrum eum quem habebant obtineant. Siquidem eſt ſubſtantia caloris genuini temperatã, ignea aduentitij. Adhæc effluuia quæ toto noſtro corpore fiunt, fumida quidẽ & fuliginoſa ſiccáque & acria aſcititium: vaporoſa verò & blanda & mitia & tẽperata natiuum conſequuntur calorem, quæ vel tactu diſcernere poſsis. Sanorum enim calor vaproſus eſt blandus, & ad tactum fa-

miliaris gratúsq; nihil quod moleſtum aſperúmve & mordax ſit, habens: cõtrà febricitantium calor, præſertim ſi febris ſit hectica aut ex humorum orta putredine, acris ingratúsque eſt, mordax etiã ac tangentem manum tundens atque pungens. Abſoluta verò omnibus ſuis numeris, longéque mitiſsima in pueris ingeniti calidi ſalubris illa qualitas exiſtit. Nam ex iuuenibus quamplurimos videas qui calidũ illud mordax iam habeant, nec amplius humidum aut vaporoſum & aëreum. Id quod minimè mirum videri debet. Siquidem vaporantis materiæ effluuiũ, ſubiectæ ſubſtãtiæ reſpondere oportet. exempli gratia ſi humida ſit & aërea ſubſtantia, id quod ex ea effluit, vaporoſum eſſe ſolet & gratũ: contrà ſi terrea & ſicca, id quod exhalatur, fumidũ ac fuliginoſum & acre, tactúq; triſte exiſtit. quod in externis quoque rebus fieri cõſpicimus. Nam dulcis aquæ calentis halitus blandus mitíſque eſt & vaproſus: Cõtrà ſolidi alicuius corporis incenſi fumoſa eſt exhalatio, acrimoniã præ ſe ferens. Quum igitur ſubſtantię ſint duæ, quarum vna iucũdo ſit & grato calore prædita, altera moleſto & triſti, pueri copioſam illam obtinent,

hanc

hanc qui vegeta ætate ſunt & adulta, reſpectu ſcilicet ad totius corporis elementorum proportionē ſemper habito. Sed quòd tota hæc quæſtio naturaliter magis explicetur, ab ipſis elementis tanquā à capite rem arceſſere placet. Quatuor quum ſint elementa vnde concreta corpora omnia ſuam temperationem ſunt ſortita, puerorū corpus minimum in ſe terrenæ ſubſtantiæ obtinet, plurimum aëreę & aqueæ: In iuuenū contrà corpore terrena præpollet ſiccitas, minor ineſt aquea & aërea ſubſtantia: in tantum vt ſi ignem quartum elementum pari portione in ambobus ſtatuamus, ita vt ſimiliter calida eſſe dicantur, non tamen ſimilem in vtroque calidam ſubſtantiam eſſe dicemus, quum humida ſit puerorum ſubſtantia, ſicca iuuenum. Humida ſiquidē ſubſtantia eſt, quo tempore maximè natiuum abundat calidum, ex humido enim ortus eſt noſtri principium: Sicca verò per aduētitium calidum eſſe ſolet. Quo fit vt recèns nati pueri quia ſubſtantiam calidam aqueam & aëream plurimam participant, plurimum innati calidi habere dicantur: Contra quàm in iis fiat tum qui vigentem florentémque, tum qui vergentem iam & inclina-

tam ætatem agũt.In ipſis ſiquidẽ quanto magis aquea illa & aërea ſubſtantia fuerit imminuta, auctior verò terrena facta tanto minorem habent calidi inſiti ſubſtantiam. Conſtare porrò inter õmnes arbitror ex humida & aërea ſubſtantia plus deffluere quàm ex terrena, etiamſi vtraque ſimiliter calidæ, quod ad earum duntaxat qualitatem attinet, exiſtant. manifeſtò ſiquidem hoc in rebus etiam externis cernere licet. Neque enim ex corporibus ſimili calore præditis, par æqualíſque materia effluere, ſed minimum ex ſiccis, plurimum ex humidis abire videtur. veluti ex oleo & aqua modicè calfactis plurimum effluere & diſsipari cernes, ex ferro autem, ære & lapidibns minimũ. Proinde, aquã exempli gratia & ferrum pari inter ſe pondere ad ſolem feruentiſsimum exponere ſi libet, ac deinde toto eo die tranſmiſſo eadem tute ad libram reuocans ponderes, aquam profectò multò minorẽ redditam, ferrum verò ſibi par omnino ſuíque ſimile comperies. Oleum pariter ſi placet cum ære, ferro & lapide cõferre, illud multum imminui, ſuíque non paruam facere iacturam, hæc verò eadem qua erant anteà ſubſtantiæ mole perſiſtere

ſtere deprehendes. Si ab iſtis te ad ceram
picémque & bitumen & reſinam con-
uertas, aliáque id genus quæ ſubſtantia
plurima humida abũdant, etiam ea ſub
ardente ſole cõſpicies multo magis con-
ſumi & diffluere quàm æs aut ferrum,
aut alia ſimiliter ſicca corpora. Quare ſi
alimento propterea opus habemus, vt
quod ex corpore abiit effluxítque inſtau
retur ac reſtituatur, effluat autem plus
ex humidioribus & aëreæ ſubſtãtiæ plus
habentibus, hinc neceſſariò fit vt eiuſ-
modi corpora copioſiore alimento ege-
ant: at eiuſmodi eſt puerorum corpus,
humidæ ſcilicet & aëreæ multæ ſubſtan
tiæ particeps, non ſiccæ & terrenæ, qua-
lia eorum qui florente, & qui vergen-
te, & qui ſenili ætate ſunt corpora.
Quum igitur Hippocrat. propoſitum
eſſet aphoriſticam hoc libro & compen-
dioſam doctrinam tradere, non quo
modo feci, rem explicauit, ſed pro eo
quod dicere poterat, Qui creſcunt pa-
rem licet cum iuuenibus ſubſtantiam
habeant calidam & igneam, at aquo-
ſæ certè & aëreæ ſubſtantiæ plus habe-
re fatendum, ita is dixit, Qui creſcunt
calidum innatum habent plurimum,
eadem opera nobis in memoriam eo-

rum ſubſtantiam redigens, & propoſitum demonſtrans. Nam quum plurimum humidæ & calidæ ſubſtantiæ habeant qui adoleſcunt, plurimum ex ipſis fluere & diſsipari, proptereáque plurimo egere alimento eſt neceſſe. Alioqui corpus conſumi ait, idque bona ratione. Vbi enim plurimum eſt, quod effluat, & paucum quod influat, hîc multum de ſubiecta ſubſtantia decedere & deperire eſt neceſſe. Quòd verò ait in ſenibus parum calidi ineſſe, id vtraque calidi ſignificatione accipi debet. Parum ſiquidem calidi, ſiue tu ad qualitatẽ ſiue ab ſubſtantiam id nominis accommodes, in ipſis ineſſe cernitur. Nam & qualitatis imbecillitas & ſubſtantiæ ineſt paucitas, ſi quidem adhuc memoria tenemus ea quæ nobis ſuprà ſunt dicta. Propterea, inquit, paucis indigent ſuccendiculis, alimentum ſuccendiculum caloris fomitémve appellans, ſuam & aliorum ferè omnium celebrium Philoſophorum ſecutus ſententiam, qui inter omnia elementa animantium corpora conſtituentia, calorem vitæ primarium auctorem eſſe arbitrãtur. Vt enim lucernarum flammula oleum pro pabulo habeat, ipſum tamen confertim
ſi affund

ſi affundas extinguitur potius quàm alitur: eodem ſanè modo & ſenilis calor pro fomite & tanquàm ſuccendiculo quopiam habet cibaria, quibus tamen affatim & confertim congeſtis ſi obrutus fuerit, ne prorſus extinguatur metus eſſe debet, non aliter quàm ſi ſcintillæ ignis exiguæ lignorum ſtruem adgeras. Quod autem velut orationis clauſulam & appendicem addit; Propterea ſenibus febres non perinde acutæ fiunt, argumento & ipſum profectò eſt, quòd frigidum ſit ſenum corpus, quódque deceſsione maximè caloris natiui in igneum facta, febris committatur. Sed tantam poſſe ſenibus accidere caloris conuerſionem, vt ad eum qui in iuuenibus fit caloris mutationis gradū peruenire queat, res eſt factu imprimis rara. Copioſum ſiquidem calidum quàm longiſsimè quoquouerſum tolli, ſuccendíque poteſt, paucum verò non facilè, ſed cauſam quæ vt exuſcitaretur coëgit maximam fuiſſè oportet. Quare ferè fit vt non ſimiliter acutis febribus ſenes corripiātur ac iuuenes. Ac ſi quando (quòd rarò fit) ſeni febris accidat, qualis iuueni ſolet, ea omninò in perniciem ægrotantis finitur. Immenſita-

tem enim quandam cauſæ committentis indicat. Atque hæc ſatis erunt ad intelligenda & confirmanda ea quæ ſcripſit Hip. iis certè quidem qui natura nõ fuerint peruerſa. nam aduerſus eos qui citra rationem reprehendere Hip. voluerunt, de quorum numero Lycus eſt, integrum ſcripſimus librum, in quo refelluntur ea quibus aphoriſmum conuellere conantur. Inſcriptio libri eſt, Aduerſus Lycum de eo quod nihil peccatũ ſit in eo aphoriſmo, cuius ſit initium, Qui creſcunt, plurimũ habent germani calidi. Sed quia ſcriptis iam hiſce commentariis mihi datus eſt Lyci liber, hoc loco iſta addere, quæ priore editione non habebantur, non abs re fore viſum eſt. Separatim verò edito libro refutaui, quæ Hippocrati Lycus obiecerat.

X V.

Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι. ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι. τροφῆς οὖν πλείονος δέονται. σημεῖον αἱ ἡλικίαι, καὶ οἱ ἀθληταί.

Intus coërcitũ, ideóque vegetiorem ca-

Ventres hyeme ac vere naturâ calidiſsimi, & ſomni longiſsimi. Per ea igitur tẽpora plus cibi dare oportet, ſiquidẽ plus natiui caloris habent.

Quo

Quo fit vt copioſiore alimento egeant. argumento ſunt ætates & Athletæ.

lorem intelligit, in ſanguine & arteriarum ſpiritu contentum.

Non parum ad victus rationem conſtituendam conferunt tempora anni. Hyeme ſiquidem hominibus cibi appetentia maior, & eiuſdem concoquendi facilitas: contrà fit per æſtatem. Cuius rei cauſam adfert Hipp. ipſe, quum cibi conceptacula hyeme & vere pronũtiat calidiſsima eſſe naturâ. Quid autem ſibi Hip. velit per vocabulum naturâ, quódque hoc aphoriſmo non temerè ſit adiectum, ipſe paulò infrà expoſuit his verbis, Innatus ſiquidem calor multus: plurimo itaque indiget alimento. Cibi igitur & ſanguinis conceptacula, (τὰς κοιλίας Græci dicunt) hyeme & vere calidiſsima ſunt, non ſimpliciter, ſed naturali calore abundante calidiſsima, cuius quidem caloris ſubſtantiam ſuperiore oſtendimus aphoriſmo. Sed quamobrẽ per hyemem idem calor augeatur, cauſam etiam Ariſtoteles aëris antiperiſtaſi acceptam retulit. In profundum ſiquidem corpus calor per hyemem circunſtante extrinſecus frigore refugere atq; ſe recipere, quẽadmodum æſtate contrà per ſummum corpus ad cognatũ externum expandi calorem ſolet. atq; eius ita

ſubſtantiam per æſtatem digeri ac diſſipari:retineri verò & cõſtringi per hyemem,atque altum ſubire cõtingit. Propterea concoctio quoque hyeme ac vere melior, & exhæmatoſis,id eſt, chyli in ſanguinẽ mutatio,& nutricatio fieri ſolet. Addidit & aliud quiddã,quod tum quoque vſu venit, longiſsimos videlicet per ea tempora ſomnos eſſe,propter noctium nimirũ longitudinẽ. quæ res etiã non parum ad functiones naturales confert. Illud verò quod ad finem eſt appoſitũ, indicio eſſe poſſunt ætates & Athletæ, ſatis magno argumento eſſe debet cibi indigentiæ, vbi caloris adeſt abundantia. nam & pueri, quia calore abundant,propterea copioſiore alimẽto egẽt, & mitigatum facilius concoquunt: & Athletæ quia motu & exercitatione corporis natiuum exuſcitant & augent calorẽ, ideò cibariis pluribus frui poſſunt. Atque abunde quod ad ſingularũ aphoriſmi partium explicationem attinet,ſatis diximus. Earum verò veritatem diligentius ſi quis diſpiciat, is hac oratione animantia omnia nõ complectatur, ſed excludat ea quæ ſubter terram in latibulis degunt. hæc enim quandiu ſub terra latitant, copioſiore alimento

non

non egent.ſiquidem ſola ſe tolerant inedia. Quòd ſi alimenti tantum, quantũ antequàm ſe ſub terram abderent ingerere cõceſſerimus, ipſum profectò malè cõcoquere fuerit neceſſe. nam quod frigidę lauacro hominibus vſu venit, idem animalibus ſub terra degentibus per hyemẽ ſolet accidere. Illi enim, ſi quidẽ corpus imbecillum nacti fuerint, refrigerari frigidæ lotione & læſionem accipere ſolent: ſi verò robuſto & firmo ſint corpore, calorem protinus in altum refugere & cogi, poſteáq; collectũ & multo quàm antea ampliorem redditũ, ad externam remeare cõtingit corporis ſuperficiem. Eodem modo animalium naturâ frigidiorum calor naturalis à frigore hyemali vincitur adeò vt propemodũ extinguatur. Vnde ex ipſis complura mortuis non diſsimilia, ſine ſenſu vllo aut motu in ſuis latebris cernere eſt. Quædam etiam tali per brumam frigore omnino intereunt. Quibus verò tum ſanguinis tum caloris adeſt copia maior, iis ſimile quiddam per hyemem vſu venit, quod propter frigidæ balneũ robuſtis corporibus. ipſorũ nanq; in profundum calor compelli colligíque ſolet, non mehercle carnibus eo fugientibus,

& vnaquaque locum quem prius habebat, deſcrente, ſed vnà cum ſanguine eò ſe receptante ſpiritu. Tria porrò erant corpora, quæ noſtri ſubſtantiam primigeniam abſoluerent, ſpiritus, ſanguis, & ſeminalis humiditas. ex qua primo quidem ortu ſolidæ animãtis finguntur partes, vt in lib. de ſemine docuimus, poſtea vero in ipſis augmentatio & nutritio perficitur. Quòd igitur per hyemẽ melior fiat cibi concoctio, intrò ſcilicet ſanguine & ſpiritu in altum ſubeuntibus, neminẽ latere puto. neque enim ſolùm hoc dicit Hipp. ſed etiam quòd cibum capere oporteat copioſiorem: Per hæc enim, ait, tempora hoc eſt hyemem ac ver ad comedendum plura dare oportet. Sed forſan quærat aliquis, ſi per hyemem è corporibus parum defluat & foras digeratur diſsipetúrq;, quî fit vt tum corpora multo egeant alimẽto? ſiquidẽ definitur nutritio, eius quod vacuatum eſt inſtauratio. Vnde fit vt alimẽti menſura ad proportionem ei quod corporis perſpiratu diſcuſſum diſsipatúmque eſt, reſpõdere debeat. At verò per hyemem non ſolùm nos melius cibos coquere, ſed etiam paucis contentos perfrigerari, indéque detrimentũ accipere: cõtrá-

que

que plures ſi aſſumam, in nullum propterea nos plethoricum morbum incidere, vel ipſe rei euentus apertè teſtatur. Atque huius rei cauſam inueſtigandam in medium proponamus. Neque enim contra Hippo. ſolùm, ſed alios quoque omnes repugnare eiuſmodi quæſtio videtur. Siquidem eo perſpiratu qui per occultos & ſenſum fugiẽtes fit cutis exiles meatus, animantium digeri corpora nemo non fateatur. Nam inde ipſa vacuari fit manifeſtum, quia continenter alimento opus habeãt. Alioqui ſi de noſtro nihil decederet fluerétve aſsiduè, ſed priſtina ſemper eadem ſeruaretur ſubſtantiæ noſtræ molés, nulla profectò nobis ſumendi alimenti eſſet neceſsitas. Hoc igitur loco reputare licet, tametſi cæteri omnes tanquàm deprehenſi hæſitẽnt hác quæſtione propoſita, non habentes quod reſpondere debeant. Hippocrati tamen eſſe eiúſque ſectatoribus ad ſoluendem facillimam. Neque enim aliud quicquam præter calidum hoc innatum, quo de nunc agitur, animal ab initio finxit formauítq;, non aliud poſtſtea ad iuſtam magnitudinem perduxit, non aliud denique ad finẽ vſq; vitæ alit ac ſuſtentat. Siquidem omniũ actionum

natur

naturalium cauſa exiſtit. Quum igitur idipſum hyeme fiat copioſius, cibi profectò appetentiam coctionémque augere, plus ſanguinis cumulare, corpus craſſius habitiúsq; efficere, denique modis omnibus ne alimenti inutiles reliquiæ in corpore retineantur, prouidere putãdum eſt. nam calor iſte noſtra vndiquè ambiens corpora, nõ quæ reſtant ſolùm ſuperflua, ſed promiſcuè omnia vacuat, vnà cum iis quæ inutiliter in animantis corpore redundant, etiam ea quæ in eo ſecundum naturam ſe habent digerens eo vacuandi genere, quàm ἄδηλον διαπνοὴν, id eſt obſcurũ & noſtros ſenſus latentem cutis perſpiratum vocant medici, cuius auctor eſt calor hic natiuus. neque enim ſecundum Hipp. præter hunc aliud quicquam eſt animantium natura. quam quidem naturã in libris de facultatibus naturalibus non ſolũ appetere & conficere & agglutinare particulis ſuum cuique & familiare alimentũ, ſed huius quoque inutiles reliquias digerere & foras expellere demonſtrauimus. quãtóq; fortior calor inſitus fuerit, tanto magis ſenſum eiuſmodi cutis perſpiratio fugit. ideóq; ſudores præter naturam eſſe dicebat Diocles, quòd ritè om-

nibus in corpore diſpenſatis probéque coɑ̃o à natura & victo cibo, nequaquã per cutem humor qui ſenſu percipiatur excerni debeat. nã ſudores ij, quibus per balnea, & vehemẽtes exercitationes cõcitatóſq; corporis motus, & calores æſti uos toti manant homines, cauſas conſequuntur violentas. Rectè igitur in animantis corpore omnia hyeme gerũtur, ſiquidẽ ea ſit moderatior. Nã immoderatas cæli intempeſtates ipſemet Hipp. in ſequentibus damnat. Bellè autem geri omnia in animali per hyemem ſatis indicat naturæ per id temporis operum robur. nam & cibus optimè coquitur in ventre, quia plurimus ineſt naturalis calor, & corporis recrementa longioribus ſomnis repurgantur, nõnulla per cutim quæ exactè tenuata fuerint, quædã effla tu, qualia quæ halituoſa ſunt & vaporoſa, alia per vrinas, quæ craſsiora. In ipſis enim multo copioſius quàm per æſtatẽ ſedimentum cõſpicitur, atque ipſa adeò tota vrina per id tempus auctior multò fieri ſolet. Iam verò corpora alũtur magis, & craſsiora habitioráq; fiũt hyeme & ſanguinis probi cumulant copiã, modò ratione victus non vtantur omnino improbanda. nã ſi corpus noſtrũ propemodum

modum ſanguine exhauriri attenuaríque & imminui per autumnum, idémq; excipientem hyemem ſucco & ſanguine incorrupto, & corpulentia replere fueris recordatus, tum demum facultatis nos gubernantis vim intelliges, qui vtique eſt calor natiuus. qui ſi largo alimento non fruatur, is primùm à frigore ambiente tàm eo quod extrinſecus corpus afficit quàm quod inſpirantes ducimus, vincetur; deinde vnà cum eo cibariorũ quoque debilitata coctio, probíque ſanguinis generatio, & animantis partium nutricatio & excrementorum vacuatio parum procedent. Si verò quantum alimenti ſubigere vincereque poteſt, benignè ei ad fruẽdum detur, indè adauctus facilè quæ modò commemorauimus in corpore animalis perficiet. nam quòd ex cibi copia, quæ nõ ſolùm in ventriculo, ſed in venis quoque, ſingulíſque adeò animantís partibus probè concoquatur conficiatúrque, vnuſquiſque carnoſior multo habitiórque fiat, & copioſiore quàm antea abundet ſanguine, ſatis id oſtendit quod homines nõ in ſeipſis ſolùm, ſed in equis quoque experiẽtia certum cõpertúmq; habent. Siquidem ipſi poſtremo vere, antequàm æſtas incipiat,

& ſibi

& ſibi & illis ſanguinē minuunt, recordati ſcilicet morborū quibus vbi derepentè calores æſtiui aduenerint, corripi ſoleant. Aeſtatis ſiquidē ardores ſanguinem amplificant & fundunt & velut quandam eius ebullitionē & feruorem excitant, adeò vt qui moderatior antea venis facilè capiebatur, ampliùs cōtineri nequeat, ſed aut rumpat aut erodat. quúmq; immoderatius in corporis partem quampiā, quæ cæteris ſit imbecillior fluxerit, phlegmonē excitat aut eryſipelas aut eiuſmodi quempiā in ea morbum cōmittit. nam plures & grauiores quàm ſint plethorici morbi ex humorū fuſione oriūtur. Quæ omnia ad probationem eorū faciunt quæ hoc aphoriſmo docuit Hippoc. quódque non ſolùm per hyemem poſsimus cibos plures cōcoquere, ſed pluribus etiā indigeamus. Siquidem pro caloris natiui copia cibaria ingerere oportet, niſi aliquādo vt dixi, aëris nos abientis calore ſoluta natura de cibo demere cogat. Quapropter de vere quia indiſtinctè locutus eſt, ego iam diſtinguā. Primum veris initiū hyemi potius quàm æſtati ſimile eſſe, finem contrà æſtati nō hyemi ſimilem exiſtere. deinde ſæpenumerò frigiditate hye-

mem, interdum calore æſtatem referre. Suis itaque primis partibus ſi quando frigidum fuerit, eandem quam hyeme cõſtituemus victus rationem. Poſtremis verò ſi calidius interdũ ſit, eandẽ quam æſtate: media autem temperie ſi exiſtat, victus rationem tenebimus tempeſtati præſenti reſpõdentem. Atque hæc omnia de ratione viuendi eorum qui ſecunda ſunt valetudine dicuntur, deinceps de ægrotantium victu diſſerit.

XVI.

Febricitantibus quæ victus ratio conueniat.

Ὑγρὰ πᾶσι δίαιτα τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρει, μάλιστα δὲ παιδίοισι, καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσιν, οὕτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

Victus humidus quum febricitantibus omnibus vtilis, tum pueris maximè atque alijs qui tali victu conſueuêre vti.

Ois febris, qua febris ē, humectatio, vel refrigeratio, vel media ſunt. Gal: 9. met. c. 14. et x. eiuſdē. c. X.

Superioribus Aphoriſmis quantum cibi dare conueniat docuit, nunc qualem eſſe oporteat ediſſerit, perquàm breuiter multa & vtilia perſtringens quæ artis ſunt propria. Primùm quo modo febricitantes alere conueniat: deinde ſalubris victus indicationes in iis quidem quæ ſunt præter naturam contrarias, in iis verò quæ ſecundum naturam habent, ſimiles ſumere oportere: nam

nam in febre quia calidus ſiccúſq; morbus eſt (eſt enim natiui caloris in igneũ declinatio) humidum imperat victum. his verò qui natura ſunt humidiore, ſiue id ratione*ætatis, ſiue conſuetudine fiat, non contrarium victum, ſed familiarem inſtituit. Eorum ſiquidem naturam ſeruare oportet per humida, non vt morbos tollere per*cõtraria. Cæterùm qui febrem cum hydrope coniunctam in medium proferentes, ſe propterea aphoriſ. Hippoc. reprehendiſſe putant, quia talis affectionum colligatio nõ humidum, ſed ſiccum victum requirat: ij profectò mihi in arte curandi caput imprimis neceſſarium ignorare videntur: quod vtique nos in ea tractatione, quæ methodus therapeutica inſcribitur, pluribus explicauimus, vnumquemque ſcilicet morbum ſimplicem, propriam & peculiarem poſtulare curationem, colligatos verò quatenus inter ſe ſunt implicati, eatenus communem habituros curationis indicationem: nobis videlicet vel obſiſtentibus & repugnantibus ei qui magis vrgeat, interim tamen prorſus non neglecta alterius curatione: vel ambobus pari ſtudio auxiliantibus. Nihil autem intereſt, ſiue tu hy-

Niſi ex vſu habeat. neque enim ſenectus frigidis, ſed calidis benè afficitur.

vide tex: ult[m]. ſect. 7 lib. 6. epidem.

dropis quæ febrem coniunctam habeat, ſiue pleuritidis quæ cũ ſanguinis excreatione affligat, meminiſſe malis. Siquidẽ pleuritis & ſanguinis reiectio cõtrarias exigunt curandi rationes. qui affectus ſi cui ſimul accidant, ei qui vrgere videbitur magis obſiſtendũ, altero tamen non neglecto. Si itaque febricitet aliquis & ſimul hydropica affectione laboret, nos ad vtrumque affectum contrariam curationem flagitantem reſpectu habito, ambobus ſolerter & ingenioſè obſiſtemus. quod in cæteris colligatis morbis facere conſueuimus. Neque igitur nos tale aliquid aduerſus Hippo. ſumus dicturi, neque cũ eo qui dixerit diutius rixaturi. Si quid verò nominatim hoc aphoriſmo dictum non eſt, cuius cum iis quæ dicta ſunt idem ſit iudicium, dictũ id quoque poteſtate fuiſſe putandũ. Aetatis enim meminit & conſuetudinis, vnde tu & naturalis temperamenti, & partis anni & regionis meminiſſe facilè potes. quæ ipſe interdum Hippocra. adiungit, interdũ vnius aut alterius mentione facta, reliqua quia eiuſdem cum aliis naturæ ſunt & ordinis, ſilẽtio prætermittit. Ex quibus etiam ſumuntur indicationes, quemadmodum ab ætate

& morbo peti ſuprà diximus: quæ ſcilicet inculpata ſunt nobis victu temperationi ſimili ſeruantibus, quæ verò reprehenſione non vacant, contraria victus ratione emendantibus. Verùm de omnibus indicationibus exactius in libris methodi curandi ſumus locuti.

XVII.

KAὶ οἷσιν ἅπαξ, ἢ δὶς, καὶ πλείω, ἐλάσσω, καὶ κατὰ μέρος. δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει.

Quibus etiam ſemel ne an bis, & plus minúſve & gradatim præbere cibum conueniat ſpectandum. Dandum verò aliquid tempori, regioni, ætati & conſuetudini. *De modo dandi cibi.*

Suprà de quãtitate & qualitate victus verba fecit, deinceps quo modo eúdem dare conueniat docet. neque enim ſatis eſt noſſe huic plus minúſve dandũ, aut alimento vtendũ deſiccante aut humectante, ſed ſemélne an ſæpius in die aut nocte conueniat cibum apponere cõſyderaſſe plurimũ interfuerit. Huius autẽ rei indicationẽ tum ab anni parte, tum ætate, tum conſuetudine ſumit. quod etiam in quantitate qualitatéque victus faciendum eſſe iubebat. Nam primæ dandi cibi modi indicationes à morbo ipſo & ægrotantis viribus ſumi debent,

deinde etiam ab ætate,tempore,conſuetudine, cæteríſque eandem rationẽ ſortitis. Propterea Hipp. ipſe illud addidit, dandum verò aliquid,tempeſtati,regioni, ætati & conſuetudini : manifeſtò per orationem illam, dandum verò aliquid, oſtendens ſe neq; totũ neque maximum ab eiuſmodi petere. nam ſiue ſæpè, ſiue rarò, ſiue etiam omninò alere oporteat, tum à morbo, tum ab ægrotãtis viribus primùm ac præcipuè ſumi debet:deinde etiam à tempore,ætate, & ſimilibus. Nã ſi ægri vires fuerint infirmæ, & corporis affectus ſit ex humorũ corruptione, aut defectu ortus, alimenti parum & ſæpius dabimus ita affectis.parum quidẽ, quia vniuerſim magnã copiam virtus infirma ferre non poteſt : ſæpius autẽ,quia multis affectus indiget. nã & adiectionẽ defectus, & attẽperationem, τὴν ἐπίκρασιν Græci dicũt,corruptio poſtulat. Si verò laborantibus viribus humorũ non adſit inopia nec corruptio, ſed ſymmetria & modus humorum naturaliter ſe habentium,aut etiã abũdantia, tum & rarò & parum cibi pręebebimus, multóq; magis ſi cum humorũ copia adſit viriũ robur. Cõtrà ſi virtus valida cũ defectu aut deprauatione humorũ ſit cõiũcta, & mul-

ta*cibaria & ſæpè ſunt ſic affectis adhibenda, nimirum multa exigēte affectu, & ea concoquere & euincere potente virtute. Quòd ſi tum fortè per paroxyſmos ſæpe dare non liceat, ſed dando cibo raras ipſi præbeant occaſiones, tum multum & rarò dandum erit. Verùm ſi cum plethorica affectione virtus valida exiſtat, rarò & parum dandū erit. quanquam enim virtutem cibi coctricem habemus robuſtā & validā, quia tamen affectio multū non poſtulat, par profectò fuerit parum exhibere. Ad hunc igitur modum tum ex morbo tum ab ægrotātis viribus indicationes quo modo cibū dari conueniat, ſumere oportet. Ex tempore verò ætate, conſuetudine & ſimilibus indicationes ſic erunt petendæ, Aeſtiuo tempore ſi ſolam eam tēpeſtatem ſpectes, ſæpè & parum dandum, quia & acceſsione alimenti maiore indigent, vt pote per id temporis cute perſpirabili exhauſti, & quia vires ſolutæ ſunt & deiectæ. Per hyemem verò multū dādum, quia vires validæ, ſed non ſæpè. Neque enim valde multa adiectione egent ægrotantes. quippe qui per eam tempeſtatem non multū inaniātur. nā eos qui ſecunda ſunt valetudinē, per hyemē abū-

*Hinc collige in peſtilente febre, & Hiſpanica lue & ſimilibus ex incipiète corruptione citra plenitudinem morbis (nā & plenitudo, & abſoluta corruptio vacuationē potius quā à cibo tēperationē poſtulāt) & ſæpe et mul tum alendū eſſe forti exiſtente virtute. Cōtrà verò morbis à cacochymia & cruditate, aut plenitudine ortis, quo virtus fortior fuerit, eo parcior victus eſſe debet. De bio

enim ſcriptus eſt Aphoriſmus, impura corpora quo plus alas eo magis lædas.

dè ſatis vacuari ſuprà demonſtrauimus, quia copioſum habeāt innatum calidū. Medio autem adhuc vere, & multo magis quo æſtati propius fuerit, & paucis eduliis & ex magno interuallo alere cōuenit. Siquidem videntur per hanc tempeſtatē non longè à plethorica affectione abeſſe propter fuſionem humorum qui ſuperiore hyeme in corpore collecti ac denſati fuerāt. Quēadmodum igitur plethoricis morbis ſi virtus fortis fuerit, alimenti parum & ex magno tēporis interuallo damus: ſic tempore verno in iis præſertim qui febricitant, faciendū, de quibus nūc agit Hipp. nam ſuprà de ſanorū viuendi ratione egit. Supereſt Autumnus, qui morbis ex humorū corruptione natis ſimilis eſt. Quare qui eo tēpore febricitant, probi alimenti aſsidua adiectione indigere ſolēt. quibus ſi fortis adſit virtus, & ſæpè & multū, ſi imbecilla parū & ſæpè daturi ſumus. Eodē pacto ab ætate etiam, conſuetudine & regione poſsis indicationes petere, ad duos illos primos ſcopos eas redigens. ſiquidem enumeratorum vnumquodque vel virtutem firmam infirmámve, vel corpus plethoricum, aut egenum, aut cacochymum reddit.

XVIII.

XVIII.

Θέρεος καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα φέρουσι, χειμῶνος ῥήϊστα, ἦρος δεύτερον.

Aeſtate & Autumno cibi copiam ferunt difficillimè, Hyeme facillimè, Vere minus.

Non eadem de re bis, vt tibi videri queat, diſſeruit, quum paulò antè aphoriſmum illum ſcriberet, cuius initium, Ventres hyeme ac vere naturà calidiſsimi, & rurſum nunc quū inquit, æſtate & autumno cibi copiam ferūt difficillimè, hyeme facillimè, minus vere. Sed quum ad victus menſuram inueniēdam & alimentis vtendi modum tam in iis qui ſecúda quàm qui aduerſa eſſent valetudine, quādam ab anni partibus indicationem ſumere vellet, nō abs re vtrobique eorum temporū vnde indicatio peteretur fecit mentionem, illic plus cibi hyeme ſanis hominibus dandū eſſe demonſtrans, quia calidū inſitum per id tempo ris ſit copioſius quod vtiq; ali oporteat: nunc verò etiamſi ipſis cibi multū ſimul præbeas, nullam inde noxam capturos oſtendens. facilè ſiquidē omnes hyberno tempore cibi copiam, æſtiuo difficulter ferunt. Vnde fit vt per hyemē rarò & multum eſitare concedamus, per æſtatē

verò quia difficulter cibaria ferũt, quòd calor natiuus qui ea coquere & perficere debet, paucus habetur, ne vniuerſum multúmq; demus modis omnibus cauẽdũ, ſed & ſæpius & parũ cibi capere permittendũ eſt. Nã corporis affectio ſimilis morbis defectu ortis additione eget. Sic igitur hyeme habent & æſtate. Ex aliis verò tẽporibus autumnus æſtatem cõſequitur, vt hyemẽ ver. Ac cauſa quidem eſt manifeſta. Siquidẽ corpora autumno refrigerari, cogi & denſari, vere laxari, raráq; fieri incipiunt. His igitur de cauſis non idem his de partibus anni præceptũ tradidit, vel eo nomine quòd in ſuperiore illo aphoriſmo ſermo Hip. fuerit de iis qui ſecũda ſunt valetudine.

X I X.

Τοῖσιν ἐν τῆσι περιόδοισι παροξυνομένοισι μηδὲν διδόναι, μηδ' ἀναγκάζειν, ἀλλ' ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων πρὸ τῶν κρισίων.

Quibus per ſtatos circuitus acceßiones fiunt, nihil dare, nec cogere, ſed demere ante indicationes.

Quum tribus capitibus tota victus ratio cõprehendatur, quantitate, qualitatéq; ciborum & ipſis vtendi modo, nihil nobis ad priora duo capita acceſsionum commemoratione opus erat: ad tertium

autem

autem quia ab ipſis acceſsionibus vtilitem aliquam percipere poſſumus, propterea opportunè in tertio capite earum meminit Hip. ſiquidem præcipuè paroxyſmi indicant tempora cibi ſingulatim præbēdi, in iis duntaxat morbis in quibus ſtato tempore,id eſt in orbē redeunt acceſsiones.Propterea Hippo. ipſe dixit, Quibus per ſtatos circuitus redeunt acceſsiones nihil dandū. quippè qui certò ſciret alios etiā morbos eſſe in quibus paroxyſmi repetant,ſed non in circuitū,id eſt nō certo ſtatóq; tempore.In his enim ad amuſsim inuenire tempus dādo cibo accōmodum vix poſsimus: at in quibus certi ſunt & ſtati paroxyſmi,ipſorū ſunt cibo præbendo vitanda principia, id eſt videndum etiam atq; etiā ne iam præſente aut quamprimùm futuro paroxyſmo alamus ægrotum. Iam verò illud ante iudicationes, vel pro omnibus abſolutè paroxyſmis, vel pro iudicationibus propriè dictis, vel deniq; pro vigore ipſo accipere poſsis. vera ſiquidem ſunt hæc tria.ad propoſitū tamen magis con ueniat ſi iudicationes pro paroxyſmis abſolutè acceperimus.nam de vigore ſuprà dixit:in quo de iudicatione quoque dixiſſe videri queat. maximā ſiquidem partem

Criſis bona omnis in ſtatu.

partem in vigore fiunt iudicationes.

X X.

ΤΑ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν.

Quæ decernuntur decretáve ſunt iuſtè, nec mouere, nec aliud quicquam nouare ſeu medicamẽtis, ſeu alijs irritamentis fiat, ſed omittere.

Finita de diæta oratione, iã ad aliud caput tranſit, in quo docet quæ circa ægrotantem gerenda ſunt omnia naturæ interdum permittenda, nobis circa aliud nihil quàm victus rationem ordinandam occupatis & ſatagentibus, interdum verò non omnia naturæ relinquenda eſſe, ſed nos quoque agere aliquid oportere. Vbi igitur inquit, fit, factáve iam planè criſis eſt, omnia tum naturæ permittere, nec nos quicquam nouare oportet: vbi verò imperfecta criſis eſt, id quod deeſt addere cõuenit. Idem quoque dicebat in libro de humoribus, his verbis, Quæ perfectè iudicantur ne moueas, nec medicamentis aliiſve irritamentis quicquam noui moliaris. Nã quod hîc ἀρτίως dixit, in eo libro parua nominis mutatione ἀπάρτι nominauit. quod aduerbium apud alios quoque veteres

ἀπαρτίζω verbũ, vn-

teres

teres hac ſignificatione reperire licet, vt pro *ἀπηρτισμένως καὶ ὁλοκλήρως καὶ ἀνελλιπῶς* accipiatur, id eſt abſolutè, iuſtè, integrè & planè. in qua ſignificatione etiam *τὸ ἀπαρτίως* nunc vſurpatur ab Hipp. Neque enim pro diebus paribus intelligi poteſt. ſiquidem mendacij apertè cõuinceretur qui diebus paribus ſi facta eſſet fierétve criſis, nihil in his nouãdum eſſe arbitraretur. Iã verò nec pro nuper accipere poſſumus in hac oratione, quod luce clarius apparet ex eo verbo quod ſubſequitur. neque enim illud, Quæ decreta ſunt abſolutè dixit, ſed quæ decernuntur & quæ decreta ſunt. Huius autẽ orationis pars vna, nempe quæ decreta ſunt, aduerbio huic *ἀρτίως* pro nuper iuncta, conſentaneum fortè ſenſum reddiderit. altera verò, hæc ſcilicet, quę decernuntur, nullo prorſus modo ipſi accommodari poteſt: quod profectò rei ipſius euidentia conſtat. Neque enim ſi quid paulò antè eſt decretum, protinus hoc immutandum non venit, ſed ſi perfectè & conſummatè & integrè fuerit decretum, tum qui nihil nouãdum eſſe dixerit, à vero haud aberrauerit. Quòd ſi aliquid ad perfectam criſim deeſſe videbitur, id addendũ erit, noſtráq; opera ſupplend

de τὸ ἀπηρτισμένως aduerbiũ factũ. ita rem abſoluere ſignificat vt nihil deſit, nec redundet.

plendum. Nam quæ poſt criſim relinquuntur, recidiuos morbos faciũt. Quęnam igitur perfecta erit & conſummata criſis? an in qua videlicet omnia rectè geſta fuerint, nec vllus criſis perfectè numerus abfuerit? Primũ enim melior quę vacuatione, quàm quæ abſceſſu fit, deinde quæ infeſtantem & redundantẽ humorem, quàm quæ aliũ quempiam vacuat, melior. Tertiò quæ ex directo, quã quæ aliter fit, laudabilior. ſic eã appellat quæ recto fit vaſorũ proceſſu & directione. Quartò quæ euphoriã habet, id eſt toleratu eſt facilis. Quintò quæ cũ humorũ noxiorũ coctione & die critico fit. Hæc enim omnia ſi adſint, omnibus numeris abſolutã perfectãq; criſim fore eſt neceſſe. vnũ verò ex iis aut plura ſi abfuerint, nõ iã exacta & perfecta criſis eſſe poteſt.

Bonæ Criſeωs conditiones.

X X I.

Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.

Quæ educere oportet, quoquo maxime vergere videbuntur, ducere, vijs ac locis vtiliter eò ferentibus.

Quænam tãdem ea ſunt quæ ducere oportet? videlicet quæ nec decernuntur nec decreta ſunt perfectè. quæ Hipp. per quam partem euacuare cõueniat docet,

ſcopum

ſcopum nobis geminum proponẽs, tum partis ipſius naturam, tum humoris momentum ſeu ad motum inclinationem. quoquo enim locorũ commodorũ vergere videbuntur, eà ducere oportet. Cõmoda verò vacuationibus loca ſunt inteſtina, venter, veſica, vterus, & cutis vniuerſa. adhæc palatũ, nares: quũ videlicet cerebrum libet repurgare, aut ſanguinis per nares eruptione criſis fit, præſertim ſi κατ' ἶξιν id eſt, directò ad locũ affectum fieri contingat. nã quę contrà fit ſanguinis eruptio, mala. Fiunt autem in loca in quæ non conuenit infeſtantium humorum inclinationes, quũ ea vel principalia ſunt naturâ, & maior ex ipſis noxa futura eſt, quàm vllũ eſſe poſsit morbi ita terminati operæpretium: vel quum ex ſe nullam habent ad excernendum viam. exẽpli gratia ſi quid in iecore malè nos habet quod vacuari debeat, eius ad excretionem commodæ ſunt viæ geminæ, quarum vna per ventrẽ fert, cuius ipſius aptior quæ deorſum, quàm quæ ſurſum ad vomitũ agit. altera per renes & veſicam ducit. verùm ea quæ in pulmonem, thoracẽ, & cor euehit, commoda nequaquam eſſe poſsit. Diligenter itaq; medicum oportet naturę motũ & inclinatio-

nem

nem obſeruare, quæ ſi ad loca commoda fiat, ei ſeruiendum eſt & auxiliandum, ſi verò modo contrario & incommodè, eam prohibere, ſimúlque reuocare oportet.

XXII.

Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ· τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Concocta maturáque medicari ac mouere, non cruda: nec per initia, niſi ſuoptè cieantur impetu: id quod perrarò fieri ſolet.

φαρμακεύειν verbum vſurpare ſolet Hippoc. pro eo quod eſt medicamento purgante vti. ὀργᾷν verò, id eſt ad coitum incitari, ab animantibus concitatis in venerem tranſlatum eſt ad humores. quemadmodum enim animalia ſemel libidine incenſa abſtinere non poſſunt, titillata quodámodo & impulſa & ſtimulata ab eiuſmodi affectus impotétia: ſic ſæpenumerò humores dum motu feruntur concitatiore, & de parte vna in alteram fluunt, morbi ſtatim initio hominẽ angunt concitátes & titillantes, nec quieſcere ſinũt. Tales ergo vacuare oportet, hoc eſt qui mouẽtur & quoquouerſum feruntur per corpus & fluunt. Qui verò parte corporis quapiã firmati impactíq;

ſunt,

ſunt, eos nec medicari, nec vllo alio auxilio mouere oportet, priuſquam cocti fuerint. Tunc enim primùm naturam ipſam habemus vacuationis adiutricem. ſiquidem ipſa poſt coctionem apertè videtur humores ſecernere & quod ſuperuacaneum eſt expellere. quo tempore criſes fieri conſueuêre. Quæ quidem natura ſi perfectè moueantur, medicamento locus non eſt: ſi verò intra modum & languidius agat, id quod deſit, medicamento ſupplendum: quo vtriuſque & naturę expellentis & medicamenti trahentis operâ fiat humoris moleſti vacuatio. Demonſtrauimus ſiquidem in cõmentariis quos de facultatibus naturalibus ſcripſimus, quaque corporis parte naturam quatuor adhibere poteſtates, tractricem eius quod parti eſt familiare & conueniens, retentricem item & coctricem eiuſdẽ, & quartam eius quod alienũ & ſuperuacaneum exiſtit expultricem. Ibidem quoque ſingula medicamẽta ſibi familiarem & proprium humorem attrahere oſtendimus. Iam verò illud rectè Hippocrat. ad finem aphoriſmi addidit, id quod perrarò fieri ſolet. Nam hoc licet experientia diſcere, perrarò humores aliàs in aliã atque aliam partem transferri & fluere. ſæpius nam-

que ſit vt quieſcant, & parte quapiam firmati tandiu maneant, donec toto morbi tractu * cocti tandem expellantur, ita morbo ſoluto. Vnum reſtat quod ſciri velim, Aphoriſmum hunc in quibuſdam exemplaribus non ſcribi, in libro tamen de humoribus ſcriptum inueniri in omnibus codicibus.

Toto morbi tempore coctio ſit ad criſim vſque, ſed in augmēto ſe prodit, & in vigore perficitur. vnde tā in vigore quā augmento purgare liceret, niſi prohiberet in vigore ſymptomatum vehementia.

XXIII.

Τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ᾽ ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ καὶ φέρῃ εὐφόρως. καὶ ὅκου δεῖ, μέχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν, ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quæ vacuantur multitudine metienda non ſunt, ſed ſi quæ oportet vacuentur, & facilè ferant. Atque vbi ad animi deliquium educere conuenit, faciendam, ſi ægrotus par eſſe poßit.

Idem lib. de humoribus in medio.

Seu ſponte naturæ, ſeu noſtra opera vacuatio fiat, ei omninò modum menſuràmque ſtatuiſſe oportet. Quemadmodum enim moleſtum humorem pro qualitatis ratione vacuare oportet, ſic profectò vacuationis quantitatem, humoris vexantis copiæ reſpondere par eſt. Sed qualitatis indicia & notas ſuprà diximus, quum aphoriſmum interpretaremur, cuius eſt initium, In turbationibus ventris. quantitatis verò nullum tale ſignum dicere poſſumus. Quare quum de ipſa ageret

ret Hippocr. τὴν εὐφορίαν, id eſt leuius ſi inde habeant ægroti, eius nobis iudicandæ normam & regulam dedit. Nam ſi redundans vacuetur humor, tum leuius, tum facilius habere ægrotantem: contrà ſi ex iis qui naturaliter habent aliquis educatur, tunc vires ſolui & laborare, ipſúmque ægrotum grauitatem ſentire eſt neceſſe. Quo fit vt vulgari ex prima ſtatim vacuandorũ ſpecie coniectandæ quãtitatis modo minimè debeamus animum aduertere, ſed duobus potius commemoratis indiciis, ſi & qualia oportet, & cum euphoria, id eſt ferendi facilitate vacuentur. Quod in litera deinceps ſequitur, Atque vbi conuenit ad lipothymiam ducere, id recte quidẽ eſt dictum, ſed eius vſus aſcribenda ſunt indicia. Quę quum Hippocra. non dixerit, quantum ipſi experientia & ratione ſumus cõſecuti, affectus eos in quibus ad lipothymiam vſque vacuare conueniat docere conabimur. Ac primùm quidem ad quam vſque intelligat lipothymiam ducere oportere, non abs re fuerit definire. neque enim eas dicere lipothymias putandum, quę ægrotantibus dum aut venæ ſectionem, aut eiuſmodi aliud auxilium reformidãt, accidere interdum ſolent: nec quum in ore

ventriculi quidam humores mordaces & vellicantes, qui vel prius in eo fuerint collecti, vel dum auxilium ipſum adhiberetur, in ipſum confluxerint, lipothymiam committunt: ſiquidem etiam tum animo linquuntur. Sed eiuſmodi lipothymia non ſatis apta fuerit vacuationis modi regula. quippe quę intempeſtiuè accidat interdū. quod febricitantibus quoque nonnullis vſu venit inter exurgendum & deſidendum ſæpius animo defectis. propterea ipſis reſupinis iacentibus venam aperire ſolemus. Ea igitur quæ vacuationis ratione interuenit lipothymia, ſola nunc Hippocrat. eſt dicta, ipſa modus & menſura exiſtens vacuationis quæ in maximis inflammationibus, in febribus ardentiſsimis & vehementiſsimis doloribus fieri debet. Verùm (quod & Hipp. quoque ipſe admonuit) non niſi conſtantibus & firmis viribus ad tantam adgrediendum eſt vacuationem. Nam & ipſi vacuationes tales vehementer prodeſſe didicimus vſu frequentiſsimo. In febribus ſiquidē ardētiſsimis ad lipothymiam vſque phlebotomia illico totum corporis habitum refrigerat, & febrem extinguit, atque etiam aluus quamplurimis ſolui & ſudores manare ſolent. quo facto nonnulli

nulli febre omninò ſunt liberati:aliis magnopere inde adiutis morbi vehementia eſt repreſſa. In maximis verò doloribus nullum peæſentius noui remedium ea vacuatione quæ ad lipothymiam vſque fiat, cum ea tamen diſtinctione vt intelligatur phlebotomiáne, an purgatione ad defectum vſque animi vti conueniat. quam rem demonſtrauimus in commentariis quos de phlebotome conſcripſimus.

XXIIII.

EN τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

In morbis acutis raró, & per initia medicamento purgante vtendum eſt. Idque diligenti cum præmeditatione facere oportet.

Dixit paulò ante, concocta maturáque medicari & mouere oportere, non cruda, nec per initia, niſi ſua inſtabilitate naturam ad excretionem ſtimulent, cuiuſmodi perpauca eſſe: nunc etiam per initia morborum acutorum ſolùm poſſe aliquando nos purgationem moliri vtilem docet. nam in diuturnis ſemper maturationem morbi expectare oportet: In acutis verò ſiquidem materia ad excretionem ſui proritet & gliſcat, initio etiam purgare licet: ſed hoc ipſum cum magna

religione & circumſpectione facere oportet. Vnde mihi Hippocrat. recte illud addidiſſe videtur, Idque diligenti cum præmeditatione & conſyderatione accurata facere oportet. Nam ſiue diligentem præmeditationem, ſiue ægroti præparationem, ſiue recti quoad eius fieri poteſt iudicij expectationem, ſiue ex iis aliqua, ſiue etiam omnia intelligat, ſuam certè religionem & cautionem in talibus purgationibus apertè indicat. Neque enim parum impendet periculi, ſi quis in morbo acuto malè medicetur, quòd purgantia medicaméta omnia facultate ſint calida, & febris quatenus febris eſt & ſui ratione, non quæ calfaciunt & ſiccant, ſed iis maximè contraria, quæ humectant & refrigerant poſtulet. Non igitur propter caloré illum febrilem purgatio nobis inſtituitur (hanc enim ſcimus quantum in ſe eſt nocituram) ſed humorum qui febris cauſa ſunt nomine. Maiorem igitur ex infeſtorum humorum vacuatione vtilitatem conſequi oportet, quàm ſit detrimentum, quod ex medicamentis purgátibus corpus neceſſariò accipit. Maiorem autem vtilitatem eſſe continget, ſi & citra moleſtiam, & totus humor nociuus & infeſtus vacuetur. quod vt fiat videndum

febricitātib; purgās medicamentū noxium.

dendum primùm eſt, an qui ægrotat, ad eiuſmodi purgationem aptus idoneúſque exiſtat. Nam qui cruditatibus ex multis, aut lentis aut craſsis eduliis abundãt, quibus item flatibus ſunt diſtēta hypochondria, aut vrina ſupra modum calida & ignea, aut aliqua ſubiectorum viſcerum ſuſpecta inflammatio, ij profectò omnes ſunt ad purgationes inepti. Hæc igitur abſint neceſſe eſt: deinde etiam ægrotantis humores quàm poteſt fieri maximè fluxiles eſſe oportet, hoc eſt tenuatos eſſe, miniméque lentoris participes. apertos denique reſeratóſque eſſe conuenit meatus per quos purgatio fieri debeat, atque omni obſtructione liberatos. Nam iſta quoque nos prouidere & præparare ſolemus, ſi quando purgare velimus. Atque hoc ipſum eſt quod eo aphoriſmo tradit Hippocrates, Corpora qua quis purgare volet, fluxa & lubrica faciat oportet. Verùm in acutis quum initio ſtatim vel circa primum diem, aut nõ vltra ſecundum, (ſi quidẽ ſua inſtabilitate materia excretionem affectet,) purgatione ſit vtẽdum, locus profectò eiuſmodi præparationi eſſe non poteſt, niſi fortè quiſpiam propinandi melicrati occaſionem nanciſcatur, in quo hyſſopi nonnihil aut origani aut

tragorigani aut thymi aut pulegij, aut denique id genus humores tenuantium aliquid incoxerit. Quare non ſine ratione dixit, in morbis acutis & raró & per initia vſum fore purgatorij medicamenti, partim quia initio nocentes humores ſæpè non citantur, partim etſi id fiat, æger tamen ad purgationem ineptus habetur: ſed ne temporis quidem ſatis morbus ad ægrotantis præparationem nobis præbet.

XXV.

Ἢν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι· τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς.

Si qualia oportet purgentur, confert, & facilè ferunt: ſi contraria, difficulter.

Conſtat aphoriſmum hunc in eo contineri vbi dicebat, In turbationibus ventris, & vomitionibus quæ ſponte naturæ fiunt, ſi qualia oportet purgentur, confert & facilè ferunt: Sin minus, contrà accidit. Sed quum hac in parte libri de purgationibus à medico inſtituendis diſputaret, ac propemodum omnes ad id neceſſarias diſtinctiones recenſuiſſet, hunc quoque ſibi addendum eſſe putauit: In quo noui certè quidem nihil doceret, ſed memoriam duntaxat eorum renouaret

quæ

quæ ſuprà alio loco de vacuationibus ſponte naturæ factis dixerat: vt totam de vacuando diſputationem plenam abſolutámque hoc loco relinqueret.

GALENI IN APHORISMOS,

Id eſt, ſelectas maximeque ratas Hippocratis ſententias,

COMMENTARIVS SECVNDVS,

GVLIELMO PLANTIO Cenomano, interprete.

I.

ΕΝ ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον, ἢν δὲ ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον.

Quo in morbo ſomnus laborem adfert, mortiferum eſt: Si verò leuationem, minimè eſt mortiferum.

Quòd ὁ πόνος laborem ſignificet & læſionem, conſtat ex eo quod ipſi oppoſuit. ait enim, ſi verò leuationem adferat, minimè eſt mortiferum. Quum verò duplex ſit ex ſomno læſionis genus, commune vnum, quum in principiis acceſſionum (quæ Græci ἐπισημασίας vocant, nos primum acceſsionis ſenſum & ſignificationem primam dicere poſſumus) ægroti dormiunt, alterum proprium, vt quum in morbis quibuſdam in alio quopiam dormiunt tempore: de poſteriore hac per ſomnum læſione. Hippo. loqui eſt exiſtimandum. Prior enim illa, neque mortem, neque quicquam aliud magnopere reformidandum indicat, vtpote quæ temporis naturam ſequatur: ſiquidem acceſsionum principiis tum calor vniuerſus, tum humores in profundum corporis cogi ſolent, quemadmodum ipſe nos docuit, multóque magis in quibus vel horror quiſpiam, vel rigor, vel vehemens eſt partium ſummarum refrigeratio. propterea ipſis ſi per acceſsionum initia dormierint, ſymptomata fiunt diuturniora, ægréque febres ad vigorem perueniunt, & ſi qua ſubſit viſcerum inflãmatio, eam augeri eſt veriſimile, & in ventrem ſi qui humores confluant, non perindè ac per

alios ſomnos concoqui, ſed plures cumulari & crudos permanere putandum eſt. Quam quidem ob rem vigilare tum ægrotantes iubemus, motum qui per vigiliam foras fit ſpiritus & ſanguinis & vnà in ipſis caloris contenti, tanquam maximnm præſidium ei motioni opponentes, quæ eorumdem intrò per acceſsionum fit principia. Quare qui eiuſmodi læſionem id temporis fieri acceſſionis ratione dixerit, & eandem per vigiliam prohiberi, is non abſurdè fuerit locutus, qua quidem vigilia ſi ægroti priuati fuerint, damnũ ſentiunt multo euidentius, non quòd altera propter ſomnum accedat læſio, ſed quia abſit quæ ex vigilia proficiſci debuit vtilitas. Atque hæc ratio eorum eſt qui nullam acceſsionum principiis læſionem ex ſomno conciliari putant, ſed hoc ipſum ſolum fieri, vtilitatis videlicet quæ ex vigilia percipi poterat abſentiam. Altera verò eorum eſt qui hoc etiam tempore ſomno læſionem fieri concedentes, doctrinam tamen nunc Hipp. tradi aiunt de iis qui in aliis temporibus dormiunt. quæ quum manifeſta ferè quædam comitatur vtilitas, tum verò in declinatione maximè ſi ſomnum obrepere contigerit, ipſa eſt

multò

multò euidentiſsima. nam in ipſo etiã vigore interdũ ſomnus apertè iuuat, nonnunquam etiam in ipſo incremento poſtremo, quod vtique vigori eſt proximũ. Verùm omnium euidentiſsima vtilitas ſomni in ipſa morbi declinatione apparere ſolet. Vnde fit vt nocuus etiam ſomnus in vigore & acceſsionis incremento minus pernicioſus, in declinatione pernicioſiſsimus exiſtat. nam ſi quicquã quo tempore vtiliſsimum eſſe ſolet, id præter quàm quòd non iuuat, inſuper etiam lædat: meritò perniciẽ portendere arbitrandum. Ex ſomno verò quæ oriuntur læſiones, eiuſdem ſunt vtilitatibus contrariæ. exempli gratia, ſomno febris ſi non ſoluatur ſed irritetur, ſi dolores recrudeſcant, ſi multiplicentur fluxiones & inflammationes augeantur. Iam nõnulli inter dormiendum delira etiam loquũtur, qui excitati poſtea in delirio diu perſeuerant. Dormientibus aliis comatis initium contingit, id eſt, tam grauis ſomnus opprimit, vix vt puncti aut vellicati expergefiant. quæ omnia propter humorũ malignitatem, id eſt, τὴν κακοήθειαν accidere putandum: quos calor noſter naturalis, ſi robuſtus validúſque exiſtat per ſomnos concoquere, ſi infirmior, ab illis vinci

viſcer

viſceráque ipſa graueſcere, & enumeratis malis homo corripi ſolet. Siquidem foris eum qui vigilet calidiorem fieri, contrà intus eum qui dormiat magis incaleſcere Hip. eſt placitum. quo nos docere voluit quod & quibuſdam aliis naturæ operum ſtudioſis hominibus viſum eſt, pro natiui ſcilicet caloris intrò foráſve motione ſomnum fieri & vigiliam. Meritò igitur vbi calor hic in viſceribus collectus auctores morbi cauſas ſuperare non poteſt, mortem denuntiat. qui tamen ſi ſuperet, nondum propterea certæ ſalutis eſt ſignum. niſi placet dicere, quod ad hunc affectum attinet ægrotum ſeruatum iri, qui tamen ab alio poſsit morbo interire. Nam ſi qua inflammatio prius in parte quapiam principe eſſe cœperit ſolutu difficilis, fieri tum poteſt vt qui ita affectus ſit moriatur. Quare nos quum ex ſomno læſio aliqua fuerit accepta, exitioſum ſignũ eſſe, cùm vtilitas, nõ exitiale dicere certò poſſumus. Porrò damna quædam ex ſomno capi in libris etiam Epidemiωn indicauit his verbis, In iis erant veternoſi ac deliri multi, qui ex ſomno tales facti erant.

II.

Ὅκου παραφροσύνην ὕπνος παύει, ἀγαθόν.

Vbi ſomnus delirationem ſedat, bonum.

Si

Si hunc & ſuperiorem inter ſe iunctos aphoriſmos pronuntiauerimus, tota ex ambobus eiuſmodi fiet oratio, Quo in morbo ſomnus laborem parit, mortiferum, ſi verò iuuet, non eſt exitiale. ſomnus ergo delirationem ſi ſedet, bonum, vt velut exempli loco orationi illi vniuerſaliter enuntiatæ vnum aliquod ex ſingularibus ſubiungeret, quaſi ita diceret, vbi ſomnus dolorem ſedat, bonum, vbi febrem ſomnus terminat, bonum. vbi ergo inflammationem ſedat ſomnus, bonum. Sed ſatis in præſentia habuit periculoſiorem morbum proferre ſolùm. Vniuerſalium enim verborum veritas, talibus propoſitis exemplis magis elucet.

III.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακόν.

Somnus & vigilia modum ſi exceſſerint, malum.

Putarunt ex medicis nõnulli vigiliam modum ſuperantem & vt ſignum & vt cauſam malam eſſe, non etiam ſomnum. Semper enim hunc bonum eſſe, nec vnquàm immoderatè fieri poſſe: ſed falſos eſſe complures, quòd veternoſos incipientes affectus, longũ ſibi perſuaſerint ſomnum

num eſſe. Verùm ij à nobis edocti, veternum κῶμα Græcis appellatum, prius dici non poſſe quàm in expergefaciendo difficultatem habeat coniunctam, nobis ſomnum rectè longum appellari concedant, qui tempore quidem naturalem ſuperet moderationem, ſed nondum ad expergefaciendum difficultatem habeat. Talis verò ſomnus fit primo ſenſifico, id eſt cerebro refrigerato: quæ refrigeratio ſi ipſa vehemens cum humiditate miſta fuerit, morbos lethargicos, ſi cum ſiccitate, vocatas Græcis κατα λήψεις, id eſt, vigilantem ſenſus ſtuporem committere ſolet. Similiter & vigiliæ fiunt propter principis partis ſenſificæ caliditatem, quæ vel ſola intemperie, vel bilioſo redundante humore orta natáq; ſit. Sed horum omnium demonſtrationes in aliis noſtris commentationibus explicauimus. in præſentia ipſorum capita attigiſſe ſatis habeatur. Porrò quemadmodum arbitrantur nonnulli ſomnum ſemper ſymmetrum eſſe & moderatum, nec vnquam extra modum fieri poſſe, ſic contrà alij quidá aiunt vigiliam nunquam intra modum conſiſtere, ſed eo nomine ſolam immoderationem ſignificari: immemores ſcilicet eius quod in vita communi loquentium

vſu

vſu receptum eſt & conſuetum, vt mala etiam moderata appellemus interdum magnorum malorum comparatione. Sic vigiliam moderatam audire nos oportet, quaſi paruam diceremus.

IIII.

ΟΥ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ.

Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam quod naturæ modum excedat, bonum.

Quòd rurſum hoc aphoriſmo, vt & ſuperiore vna propoſita materia, idem de cæteris pronuntiari debeat, manifeſtum eſt. Nam quum ſymmetriâ quadã & iuſta proportione ſanitas definiatur, omnes exceſſus & immoderationes, quę quidem longiſsimè à iuſta illa moderatione receſſerint, morbos iam eſſe, quæ verò nõ tam longè abſint, morborum indicare generationem eſt neceſſe.

V.

ΚΟποι αὐτόματοι φράζουσι νόσους.

* *Spontaneæ laßitudines morbos denuntiant.*

Non à labore & motu nimio fatigationem hoc loco ſignificat nomen laſsitudo, ſed ingeneratam in corporibus animantium affectionem & grauitatis ſenſum. neque enim de laſsitudine motu contracta, ſed de ſpontina mentionẽ fa-

cit. Quum itaque in corpore talis ſine motu ſit affectio, non abſolutè laſsitudo, ſed ſpontina laſsitudo nominari ſolet: quæ quum triplex habeatur, vt libro de tuenda valetudine demonſtrauimus, vna quæ vlceris, altera quę tenſionis, tertia ex ambabus cōpoſita quæ inflammationis ſenſum præ ſe ferat, prima ex cacochymia, altera ex plenitudiue, tertia ex vtraque vnà coëuntibus habet originē. Sic enim de iis commentatione de tuenda valetudine diximus. Spontanea ergo laſsitudo meritò morbos denuntiat. 3.c.5.

V I.

Ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τούτοισιν ἡ γνώμη νοσέει.

Qui ab aliqua corporis partē dolentes dolorem ferè nō ſentiunt, ijs mens ægrotat.

Doloris nomine interdum ipſas affectiones in quibus dolemus appellare ſolet. ita enim in Epidemiis loquebatur, Cranone dolores inueterati frigidi, recentes calidi. non reipſa dolores appellans calidos aut frigidos, ſed morbos in quibus dolores fiunt. Eodem nunc quoque modo dolores appellauit affectiones ipſas quæ cum dolore fieri conſueuêre, exempli gratia eryſipelas, phlegmonem,

vulnus,contuſionem,ruptionem, fractu-ram & quicquid eſt eiuſmodi, ex quibus ſi vnum quodpiam ægrotanti adſit, quod ipſe non ſentiat, argumento certè eſt in eo mentem laborare. nihil autem in præſentia retulerit, mentémne malis an intelligentiam dicere.

VII.

TÀ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ, τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, ſenſim reficere oportet, quæ verò breui, repentè.

Corpora enim quæ non multo tempore attenuata ſunt, ea humidæ & ſpirituoſæ ſubſtantiæ iacturam, non etiam ſolidæ colliquationem ſunt paſſa. Extenuatis verò longo tempore corporibus, tum carnes ipſæ ſunt conſumptæ, tum cætera accıſa per quæ coctio, diſtributio, in ſanguinem conuerſio & nutricatio perficiuntur. quò fit vt ea alimenti tantum, quanto eſt corpori opus conficere nequeant. Quamobrē eiuſmodi ſunt longiore tempore refocillanda corpora & tenuiter, quod ipſe ſenſim dixit. At in quibus ſoli humores & ſpiritus ſunt vacuati, nobis celeriter & plenius reficere licet, partium nimi r

nimirum ſolidarum firmitate & robore confiſis. Quod verò ad finem aphoriſmi eſt additum, bifariam eadem prorſus ſignificatione ſcriptum inuenitur, repentino ſcilicet tempore auferendi caſu, & repente aduerbialiter.

V I I I.

ΗΝ ἐκ νόσου τροφὴν λαμβάνων τις, μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος, τοῦτο γίνηται, χρὴ εἰδέναι, ὅτι κενώσιος δέεται.

Si à morbo cibum adhibẽs quiſpiam vires non recipiat, copioſiore alimento corpus onerari indicat: Si verò modicè epulanti idem eueniat, vacuatione indigere ſciendum eſt.

Propter breuitatem & quendam loquendi morem qui in hunc vſque diem apud nos receptus eſt in multis Aſiæ ciuitatibus, obſcurior factus eſt aphoriſmus. Dicere ſiquidem ipſi conſueuimus cibum eos non capere qui cibum faſtidiunt, & contrà capere, qui cibum appetunt ſéque ad ſatietatẽ vſq; replent. vt talis ſit aphoriſmi ſenſus, Qui inuitante appetentia abundè & liberaliter epulantur, nec proptereà tamen priſtinam poſſunt virtutem recuperare, eos grauari & obrui cibi multitudine potius quàm ali ſuſtentaríque exiſtimandum eſt: qui verò auiditate

cibi defecti modicè epulantur, nec ſe tamen ob id recolligunt, hos prauis abundare humoribus neceſſe eſt: qui niſi vacuentur, vt priſtinas vires recipiant fieri omninò non poteſt. At verò non hoc tantum loco ſed in aliis quoque ſuis ſcriptis Hippocrates, quum iuſta proportione inter ſe omnes humores inaucti ſunt, ſanguinis detractione auxilium adferre ſtudet, quum verò ex ipſis vnus aliquis redundat, ipſi purgando conueniens medicamẽtum exhibet. Quum igitur idem hîc ſentiret, quod in aliis ſuis ſcriptis dixit, rectè ſequentes duos ſubiungit aphoriſmos, eandem in ipſis ſententiam continuans, quam nos in præſenti aphoriſmo his verbis docuit, Si verò modicè epulanti hoc accidat, vacuatione indigere ſciendum. Proinde duorum ſequentium aphoriſmorum in aliis ferè omnibus exemplaribus peruerſum ordinem fuiſſe arbitror. ac rectius in illis exemplaribus legitur, in quibus alter horum aphoriſmorum ſic prior ſcriptus inuenitur, Impura corpora quo plus alueris, magis læſeris: vt tota ſit eiuſmodi oratio, Quòd ſi cibum reſpuenti idem vſu veniat, vacuatione indigere ſciendum eſt. corpora ſiquidem impura, quanto plus

alas

alas, tanto magis lædas. Verùm nos maximæ exemplarium partis ordinem ſequuti, eo quo habentur ordine interpretaturi ſumus.

IX.

Τὰ σώματα χρὴ, ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν.

Corpora quacunque quis purgare volet, eò fluxilia facere oportet.

Medicorum certè quidem vulgus corpora εὔροα id eſt ad fluendum idonea fieri putat, ſi quum vomitoriis medicamentis vtendum eſt, vomitum ipſi proritent, ſi quum deiectoriis, aſsiduè aluum ſubducant. Propterea vt his ad alui deiectioné idoneum aptúmq; corpus reddát, illis ad vomitionem præparent omnem impendunt operam. Ego verò Hippocratem arbitror in præſentia non puſillum iſtud, ſed præſtantius aliud quiddam nos docere voluiſſe, quod longa nos experientia ita habere didicimus. Nã ſi quis corporis craſſos & lentos humores tenuarit, ſecuerítque, atque meatus per quos ipſi medicamentorum purgantium vi traduci trahíque debent reſerarit, ea demùm fuerit longè optima in omnibus purgatio. Quibus neglectis ſi aut vomitum ciendum aut ſubducendam aluum cura-

ueris, ægrè moleſtéque purgatio procedet, non ſine ventris tortione interdum, & vertigine quadam, *magnáque inquietatione, & pulſus deprauatione, interdú etiam corporis ſolutione & difficultate. Nobis autem qui tenuante victu vti ſolemus (quo de integrum ſcripſimus librum) nihil tale accidit, ſed omnium quæ in corpore ſunt præter naturam purgationes citra vllam omninò moleſtiam & celerrimè peraguntur. Idcirco Hippocratem ipſum orationi illud addidiſſe dicimus, Corpora qua quis purgare volet, euroa faciat oportet: quaſi ita diceret, ſiue per vomitum, ſiue per alui ſolutionem purgare velis, ſi totum corpus fluxum reddideris, ſic demum belliſsimè purgaueris. fluxum verò vti modò dicebamus, fiet meatibus omnibus recluſis, & humoribus inciſis & tenuatis, ſi fortè craſſum & lentum humorem corpus habeat.

** Corporis non præparati ſollicitatio & anxietas à purgante medicamēto.*

X.

ΤΑ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν θρέψῃς μᾶλλον βλάψεις.

Impura corpora quo plus nutriueris, eo magis læſeris.

Mali ſiquidem ſucci in corpore prius collecti conſortio vitiatur nouū accedens

alim

alimentum.quo ſit vt cacochymiæ quantitas augeatur, & retineatur qualitas.id verò maximè fieri ſolet,quum venter prauis quibuſdam humoribus refertus fuerit.à quibus certè humoribus malis ſit,vt quod paulò antè dicebamus vſu venire iis qui ſe ex morbo recolligunt, his ipſis eueniat qui talibus abundãt humoribus. Id autem eſt, cibum ſumere non poſſe.

XI.

Ῥᾷον πληροῦσθαι, ποτοῦ, ἢ σιτίου.

Facilius eſt potu refici quàm cibo.

Quia ſuprà de iis, qui educatione & nutritione virium ſocillatrice indigerent ſermo fuit, propterea nunc materiæ recreandis è morbo conuenientis differentiam explicat.nam & in lib.de alimento ſic ſcriptum reliquit, Qui celeri alimenti appoſitione egent, humidum ipſis optimum colligendis viribus remediũ: quòd ſi adhuc multo celeriore egeant, odoribus ſunt recreandi. Neutrobi tamen nec eo libro humorem, nec hoc loco potum abſolutè, ſed pro quibuſuis rebus humidis & poculentis quæ alere & ſuſtentare queant accipere oportet.Nam vt hæc ſolidioribus cibariis non ſimiliter alant,diſtributionis tamen celeritate illis longè præſtant: cuiuſmodi ſunt vina craſsiora.

nam aquoſa (ſic alba & tenuia appellant) quemadmodum colore aquam referunt, ſic nutriendi virtute ab aqua parum differunt. vnde promouent quidem vrinas, ſed minimum nutriunt. Craſſa verò quæ ſunt & rubra inter vina plurimum nutriunt, ſimúlque inanita corpora & ob id ſufficiendi alimenti indigua, poſſunt celerrimè replere. Humidum porrò alimentum præſertim ſi natura ſit calidum facilius corpora reficere, illi demum norunt, qui quomodo coctio diſtributióque fiant intelligunt.

X I I.

ΤΑ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

Quæ à morbis poſt criſim relinquuntur, recidiuos morbos facere conſueuerunt.

Præſens etiam aphoriſmus ſuperioribus iungi copularíque debet. Nam quum ſuprà dixiſſet, Si à morbo quis cibum aſſumens, vires non recipiat, corpus alimẽto copioſiore onerari indicat; Si verò cibum auerſanti idem accidat, vacuatione indigere ſciendum: atque ob eam cauſam poſtea de vacuãdo diſputaſſet, nunc cauſam adfert quamobrem qui à morbo cibum faſtidiunt, vacuatione indigere videantur. ac ſi ea de re tota ipſi hunc in modum

modum fuiſſet oratio, Quòd ſi intra modum epulanti idem eueniat, vacuatione indigere ſignificatur. ſiquidem quæ poſt criſim relinquũtur, recidiuos morbos ſolent committere: ita nimirum humoris praui reliquias appellans, quas temporis interpoſito ſpatio putreſcentes febres redaccendere eſt neceſſe. quandoquidẽ quiuis humor alienus à corporis quo continetur natura, ipſum alere nequeat, ac in poſterum neceſſariam habeat in putredinem mutationem. quòd ſi locus in quo cumulatur, calidus exiſtat, tum demum maximè & celerrimè putreſcit.

XIII.

Ὁκόσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ· ἡ δὲ ἐπιοῦσα εὐφορωτέρη ὡς ἐπιτοπολύ.

Quibus criſis fit, nox quæ acceßionem præcedit, grauis, quæ verò ſubſequitur, leuior ferè ſolet exiſtere.

Criſis ſubita eſt in morbo ad ſalutem aut mortem mutatio: quæ fit dum benignam & vtilem materiam natura à praua & inutili ſecernit & ad expulſionem præparat. Meritò itaque per hanc turbationem & naturæ luctam ægrotantes ægrè moleſtéque habent, quæ moleſtia noctu

magis apparet. tum enim nobis dormiēdi conſuetudo. Per hanc igitur turbationem interrupto ſubindè ſomno eam moleſtiam licet manifeſtè dignoſcere, etiamſi dies ſimilem habiturus ſit turbationē, quando proxima ſtatim nocte criſis futura eſt. Quod ſub finem aph. eſt additum, quæ verò criſim nox ſubſequitur, præcedente leuior plurimùm eſſe ſolet, in multis deſyderatur exemplaribus. eo autem docet noctem quæ iudicationem proximè excipit præcedente leuiorem maxima ex parte eſſe ſolere. quia videlicet plures ad ſalutem criſes deſinant. Certò ſiquidem ſcimus ex ægrotis plures eſſe qui ſeruentur quàm qui intereant, niſi fortè peſtilens ſit cœli ſtatus.

XIIII.

ἘΝ τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν, αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ.

* *In fluxionibus alui, excrementorum non in deteriora facta mutatio iuuat.*

Excrementorum mutationibus multas humorum ſpecies præ ſe ferentibus corpus exactius repurgatur, niſi colliquationis habeant aut putredinis ſigna. de quibus ipſe diſſeruit in prognoſtico, vbi & pinguiū & grauiter olentiū & fœtidorum

rum excrementorum fecit mentionem.

X V.

Ὅκου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, τὰς ἐκκρίσιας σκέπτεσθαι. ἢν γὰρ χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει, ἢν δὲ ὅμοιαι τοῖσιν ὑγιαίνουσι γίνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

Vbi fauces dolent, aut puſtularum eruptiones oriuntur in corpore, excrementa ſpectare oportet. nam ſi biliosa fuerint, vnà corpus ægrotat: Si verò ſanorum excrementis ſimilia, tutò corpus alere poteris.

Quum poſteriores aphoriſmi partes inter ſe oppoſuiſſet, vtrobique quod cōſe qui videbatur prætermiſit. Quare ſi quod deeſt ſuppleueris, eiuſmodi tota erit oratio, Vbi fauces dolēt, aut in corpore puſtulæ exoriuntur, excrementa inſpicere oportet. Nam biliosa ſi fuerint, vnà corpus ægrotat, minimėq; tutum ipſum alere: ſi verò ſanorũ ſimilia fuerint, nō ægrotat corpus, ipſúmq; tutò alere potes. Cæterum quibuſnam rationibus inductus Hipp. ita ſibi pronunciandum eſſe putauerit, dicere iam aggrediar. Animantiũ natura principibus partibus contentos humores prauos vacuatura, horum interdũ partem quandam per vrinas, aut aluum, aut vomitũ excernit, alios ad cutim protrudens,

trudens, ſi propter craſsitiem vacuare nequeat, eo loci ipſos deponit, indéque puſtulas in corpore fieri contingit. ſæpè etiã ſuſceptis ex capite ruentibus humoribus, fauces infeſtãtur. Quo certè tempore cõſyderandum eſt ac diſtinguẽdum, vtrum quicquid redundantis erat humoris natura iam in partes affectas depoſuerit, an adhuc reſtet toto animantis corpore peccantium humorum copia. quæ res inſpectis excrementis fiet manifeſta. Nam ſi egregium omninò natura impetum ad corpus expurgandum ceperit, bilioſa apparebunt excrementa, proptereà quòd eiuſmodi etiam puſtulæ calfacto ſanguine fieri ab humore bilioſo conſueuêre. Quare eiuſmodi ſunt prius repurganda quàm alenda corpora. impura ſiquidem corpora quanto plus ales, tanto magis lædes. Si verò ſanorum excrementis fuerint ſimilia, totũ corpus rectè valere, nullúmque ab eius nutricatione imminere periculum indicant.

XVI.

Ὅκου λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν.

Fame dominante, vacandum eſt à labore.

Famelicos eſſe dicimus eos qui propter cibariorum inopiam & egeſtatem ad extremam famem rediguntur. Siquidem

Epidemiωn ſecundo ſic ipſe locutus eſt Hipp. Aẽni Thraciæ, quum propter famem & annonæ caritatem leguminibus veſci cogerentur, crurum imbecillitate laboratum eſt. Sed & omnem cibariorum magnam indigentiam, tametſi non inopia, ſed voluntariò aut imperatò fiat, famem appellare conſueuit. Nam quum diceret, molli carne præditos, in fame habere oportere, ſiquidem corpus fames ſiccaret: & rurſum quum in prognoſtico iuberet percunctandum num vigilaſſet is, qui derepentè emaciatus erat, aut perhumida admodum aluus reddidiſſet, aut fame conflictatus fuiſſet: his locis famis vocabulum pro cibariorum vſurpauit indigentia. qua acceptione ſic nunc quoque dixit, Quum fames ſtimulat, labore abſtinendum & motu. quaſi ita fuiſſet locutus, Qui eſuri non ſunt, nullum toto eo die laborem aut fatigationem ſuſcipere debent. Laboris autem nomine motionem vehementiorem, quod etiam exercitium appellant, intelligere oportet. Siquidem ipſe eo ſenſu dicebat, Labor cibũ præcedat. Eſt igitur ipſi tam de iis qui ſecunda, quàm qui aduerſa ſunt valetudine ſermo. Nã nec rectè valẽtibus imperanda ſunt exercitia fame dominã-

te,

te, nec in ægrotantibus motum corpori vllum vehemẽtiorem vnà cum fame adferre oportet, ſiue miſsione ſanguinis id, ſiue purgatione, ſiue per vomitum vacuatione, ſiue multa frictione, ſiue deniq; forti corporis motione aut alteratione fiat: per hos ſiquidẽ motus omnes ſi cum inedia fiant, virtutẽ frangi ac debilitari accidit ſiue ſecunda, ſiue aduerſa valetudine homines fruantur. At verò Hippo. vt virtutem eã quæ animalia regit & moderatur validã ſemper retineat & tueatur omnem ſolet diligentiã ac curam adhibere. Quã ipſam ſiue vim ſingulariter, ſiue multitudinis numero vires dixeris, nihil retulerit. Atque illud eſt quod libro de alimẽto dicebat, virtus vna & non vna: vnam quidem genere virtutẽ eſſe, ſed quæ multas ſpecies habeat his verbis indicans.

XVII.

Ὀκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, τὴν νοῦσον ποιέει, δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ἴησις.

Vbi præter naturam copioſior cibus ingeſtus eſt, morbum inde creari indicat ſanatio.

Quod alio aphoriſmo vniuerſaliter dixit, id nũc in vna docet ſpecie. Nam vniuerſalis erat oratio illa, non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam quod naturæ modum ſuperat, bonum. præſens verò

rò aphoriſ. de vna tantum re ſatietate ſcilicet pronunciat. Copioſior ſiquidem quàm pro corporis natura cibus, ſatietas appellatur. Cæterùm quum nimiũ omne ad aliud ſemper refer‹a›tur, in noſtris id corporibus duplex, vnum ad vaſorum capacitatem, alterum ad naturam nos gubernantem refertur. De poſteriore agens hoc loco Hippocrates, Nimium inquit cibum præter naturam eſſe: ne eos qui cibi tantam vim ingurgitarunt, vt ipſis venter diſtendatur, inde detrimentum & læſionem omninò capturos, aut eos quibus ad ventris explendam capacitatem cibi aliquid deeſt, parum comediſſe, atque idcirco bellè omninò concocturos arbitremur. nam vt illi interdum valent ingurgitata cibaria coquere, ſiquidem eorum tale exiſtat naturæ robur: ſic hi propter eiuſdem naturæ infirmitatem etiam pauca coquere non poſſunt: ídque maximè ſi coctu facilia priores edulia, poſteriores difficilia aſſumpſiſſe contigerit. Similiter etiam in diſtributione alimenti facultas ſanguifex ad proportionẽ coctrici virtuti ventriculi reſpondens, propter imbecillitatem interdum nõ alterabit ſuccum etiam modicum in venas diſtributum: interdum iſto multo etiam ampliorem

ampliorem promptè vertet in ſanguinẽ, tum propter proprium ipſius robur, tum propter ſucci in ſanguinem facilè conuertendi naturam. Eodem planè modo tertium etiam alimentum, quod profectò ipſum dicimus omniũ maximè proprium alimentum, quum ſcilicet particulis animantis apponitur, pro naturæ viribus vel largius, vel parcius dicetur. ipſiímque aut bellè conficietur & alet, aut ſecus fiet, atque ita à natura aut vincetur, aut minimè euictus corrumpetur & morbum creabit. Vna igitur hæc eſt aphoriſmi expoſitio, qua cibi nimiam copiam ad facultatem animantiũ moderatricem relatione accipiendam eſſe dicimus. Altera eſt qua qualitatẽ cibi præter naturam intelligimus, vera & ipſa. Alitur enim quæque pars à conueniente & familiari naturæ ſuæ alimento, quod meritò nos ſecũdùm ſuam cuique parti naturam eſſe dixerimus. Si itaque ad eã affluat ſuccus quiſpiã qui alteri particulæ ſit ſecundùm naturam, ſed huic præter naturã & alienus exiſtat, malo certè quidem is particulæ fuerit, ſed ita vt nõ neceſſariò morbus conſequatur, ſiquidẽ eius fuerit parua portio. Nam ſi mandragora, papauer & ruta pharmaca alioqui quæ corpus noſtrum

ſtrum corrumpere poſſunt, ſine quantitate incommodare nequeunt; multò certè minùs talis ſuccus detrimentum adferet, qui præter quàm quòd perniciosus non eſt, alere etiam poteſt partes alias. Alioqui neque ab initio alimentum vocaretur, niſi tali eſſet natura prȩditus. Quēadmodum enim ſi exiguus per gulam flatus in ventrem delatus fuerit; aut potus pauxillum in pulmones per arteriam aſperam deerrauerit, venter propterea nō ægrotet, nec pulmo peiùs habeat: ſic quoque ſe res habet in aliarum partium alimento. Quinetiā præter has tertia à nonnullis profertur interpretatio, illud præter naturam intelligendum eſſe arbitrātibus pro magnopere & præter modum, ac ſi ita dixiſſet, vbi copioſior cibus præter modum & exuperanter ingeſtus fuerit, is morbi cauſa exiſtere ſolet. Siquidē qui non multùm ſuperet mediocritatē morbum nondum cōmittere, ſed ſeruare corpus poteſt intra valetudinis latitudinem. atque hæc eſt vera quoque ſententia. Siquidem iuſtam mediocritatem & conuenientem proportionē non parū ſuperare oportet alimentum, quod morbum ſit facturū. Sed huius quidē rei causâ medicis mos nō eſt orationi diſtinctionē adhibē-

di, ſed ſolùm genus ipſum morbi cauſam eſſe pronunciare conſueuerunt, exempli gratia æſtum, frigus, fatigationē, cruditatem, humorum corruptelā, cæteráq; id genus affirmantes morbos facere: nobis ſcilicet in quoque horū quantitatē haud paruam ſubaudientibus. Similiter quum copioſiorem cibū morbi cauſam eſſe dicunt, orationi particulam multo nō adiiciunt. neque enim nos fugit, ſi drachmæ decimamquintam partem id eſſe ſtatuāmus, quo iuſtā menſuram & proportionē excedat, morbum nondum poſſe facere: ſed vbi eadem multiplicata fuerit, eundē interdum creare poſſe. De genere ſiquidē hæc vna cauſa eſt morbos cōmittentium. Vnde fit vt tertia hæc interpretatio, tametſi vera quàm maximè exiſtat, mihi tamen alienior eſſe videatur à cōſuetudine interpretandi veterū, cum eo quòd violētius explicet ſignificationem vocis præter naturam. Porrò ad finē aphoriſmi quod his verbis addidit, indicat ſanatio, rectius haberet, ſi aſcripta copulandi particula &. legeretur hoc modo, indicat & ſanatio. Neque enim quoties præter naturam cibus ſumptus fuerit, inde morbum gigni ſola indicat ſanatio, ſed rei etiam ipſius natura eam indicationem adiuuat, vnà ipſi

ipſi aſtipulante ſanatione. Siquidem iis quæ ſingulis artibus ſolerter ſunt inuenta, ipſum etiam ab euentu rei teſtimoniū & confirmatio accedit. quæ in præſenti oratione ſanatio eſt, quæ moleſtorum humorum vacuationem protinus conſequi ſolet. quod quidem ab euentu teſtimonium ne Herophilus quidem prætermiſit in eo libro quem σημείωσιν τρίχρονον, id eſt indicationem à tribus temporibus ſumptam inſcripſit. Nam ſi quis plura quàm pro conſuetudine comedens, & cōſuetam exercitationem vel ſeruans vel etiam imminens, corpus grauari 'onerarique ſentiat, & cum faciei rubore & venarum tumore febricitare incipiat, eum profectò qui ita affectus ſit, non abſque ratione ob repletionem ægrotare exiſtimabis. Quòd ſi is à vacuatione leuari ſe ſentiat, ex reipſa protinus confirmatio accedet opinionis, quam de plenitudine conceperas, atque in poſterum in iiſdem ſimiliter audendi & vacuandi animus addetur, minimè abs te expectata illa Empiricorum obſeruatione, quam ipſi dictitant eorum eſſe quæ frequentiſsimè in iiſdem ſimiliter euenire videntur. Verùm addita fortaſſe in præſenti aphoriſmo fuerat copula &, quam poſtea vt

ſuperuacaneam ſuſtulit aliquis, aut etiam Hipp. ipſe ab initio abſolutè citra coniunctionis interuētum ſcripſit hoc modo, indicat ſanatio, quaſi diceret, vbi quæ diximus ita habuerint, id eſt copioſior præter naturam in corpore cibus contineatur, vacuatione adhibita ægrotus ſi iuuabitur, in eum morbum ob cibi copiam incidiſſe conſtabit. Porrò memoria ſemper tenendum ſolitum Hippocratem vacuationem abſolutè dicere, quum æquabiliter omnes humores vacuantur: purgationem verò, quum qualitate peccantes & moleſti educuntur. Atque ſanatio qua de nunc agitur, quia per vacuationem non purgationem fiat, opinionē de plenitudine confirmat. Iam verò æquabilis omniū humorū vacuatio quæ exactiſsima habetur, ſectione venæ adminiſtrari ſolet: quæ proximè ad hāc accedit, ſcarificatis, vt facere conſueuimus, fit malleolis: ſic etiam quæ exercitiis, & quæ frictionibus, & quę balneis, & deniq; quæ inediâ per accidēs fit vacuatio. per accidēs dixi, quia nō per ſe & primaria ratione vacuat inedia (quā rem faciunt ſingula quæ enumerauimus) ſed vacuatio quidē naturali perſpirationis modo fit, id eſt perſpirabili cute latenter corpus digeritur: quia verò in materię

vacuatæ

vacuatæ inſtauratione nullum ſufficitur alimentum, propterea manifeſta fit quæ prius latebat vacuatio. Hæc igitur ad aphoriſmi expoſitionē ſatis eſſe videntur. Qui diligentius de plenitudine diſputationem legere volet, is integrum ea de re conſcriptum librũ habet, qui de plenitudine inſcribitur. Nunc ſatis erit hoc tantum ſuperioribus addidiſſe, poſſe quidem abſque corruptela cœpiſſe plenitudinem eam quæ ad vires relatione intelligitur, ſed quæ vtilis & benigna perſiſtere nequeat. Siquidem ipſam in qualitate mutationem atque adeo temporis ſpatio corruptelam ſubire eſt neceſſe. verùm hoc licet accidat, tandiu tamē plenitudinē appellaturi ſumus, donec vacuato ſuperuacaneo, reliquũ vtile ac benignũ reddi poſſit. Nam quod aceſcentibus vinis vſu venit, eiuſmodi quiddã in ſanguinis alteratione fieri ſolet. Id verò tale exiſtit. vbi vina planè acuerunt, non iam ad vini naturam redire poſſunt: verùm ſi tam leui momento ad id vergant, vt aceſcere quidem, ſed nondum acetum eſſe videãtur, ex iis complura priſtinã recepiſſe naturam ſæpius ſunt viſa. Sic in ſanguine ſe res habet. nã ſi ipſius magna facta eſt corruptio, non iam ad ſui naturã redire poteſt: parũ

verò à ſeipſo ſi degenerauerit, vacuato ſuperuacaneo qui reſtat ſuam recuperare poteſt naturam. Atque talem ſanguinis affectionem non corruptelam, ſed plenitudinem appellandi medicis moris eſt, ſolam eam (quod modo dicebam) corruptelam nominantibus, quæ tam magnã preter naturam mutationem eſt ſortita, vt à natura amplius vinci regíque nequeat, vt probus & laudabilis & vtilis ſuccus fiat.

XVIII.

Quæ vniuerſim & celeriter alunt, celeriter quoque corpus peruadunt.

ΤΩν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίνονται,

Eorum quæ confertim & celeriter alunt, celeres etiam excretiones eſſe ſolent.

Ea ſecundũ Hip. ſententiã celeriter alere ſunt intelligẽda, quæ paulo poſt quàm ſumpta ſunt ſtatim alunt, ſecundũ ſuam certè quidem naturam, quam ipſam in iis exploramus qui inculpata ſunt valetudine: confertim verò alere accipienda ſunt ea, quæ poſtquã alere cœperunt, quicquid alimenti habẽt, breui totum corpori impertiunt. Quæ itaque ſunt eiuſmodi quatenus confertim & cumulatè alunt, eatenus etiam corpus permeabunt celeriter. Si verò ipſis adſit aut acrimonia quæpiã ad excretionem ſtimulans, aut viſciditas qua morentur & retineantur diutins, illâ quidem

quidem citius ad excretionem incitabũtur, hac tardius permeabunt. Citiſsimè igitur & confertiſsimè alit vinum: tadiſsimè & ſenſim bubula, & cochleæ & ſpondyli marini, locuſtæ, carabi, gammari, & quicquid denique dura carne conſtat eãdem cum his habet naturã. Adhæc duri caſei, ſalitæque carnes, lentes, bulbi, & in tantum vt dura euadant oua cocta. hæc enim omnia multò poſtquã partibus nutriendis ſunt applicata, ſenſim nutriunt. Quòd verò ſumptus cibus iam alat, tum ex pulſus vehementia & magnitudine, tũ ex motus voluntarij firmitate & robore partibus nutritis conciliato poteris argumentum accipere. quã rem explorare cõueniet in iis qui vel propter vacuationem quandam manifeſtã, vel fatigationem vel inediam ſoluti ſunt & viribus defecti. Ea igitur omnia quæ ſupra cõmemorauimus tardè per ventrẽ permeant, hoc eſt multò poſtquam ſumpta ſunt tẽpore. Hiſce verò contraria celeriter peruadunt, imprimíſque vinum omniũ citiſsimè, vti diximus, corpus alens. Poſt ipſum alia ſuo quæque ordine ſubſequuntur, de quibus dicturus ſum, vbi pauca prius de vinis ediſſeruero. Nã aquoſa perpaucũ dant corpori alimẽtum, qualia ſunt colore alba, ſubſtantiæ

compage tenuia: Craſſa verò & fulua his multo copioſius impertiunt corpori alimentum, ſed tanto in nutriendo cedunt nigris, quantam celeriter & confertim præ his habent alendi prærogatiuã. Quæ autem alba ſunt & craſſa, minus quidem quàm nigra, ſed plus quàm alba & tenuia alimenti impertiunt corpori, ſed celeriter & vniuerſim nutriẽdi poteſtate cedunt. quæ quanto aliis antecellunt, tanto permeandi celeritate præſtant. Omniũ enim citiſsimè aquoſa per vrinas percolantur, quia propemodum tota ocyſsimè ad hepar prius ſubuehantur, quàm per aluum quicquam deſcendat. Alia verò omnia ex quibus manifeſtum quid ſubeat per ventrem, peruaſionem habẽt nutriendi tempori proportione reſpondentem. Sic & in aliis omnibus accidit. Nam ptiſſanæ ſuccum non multò poſtquam ſumptus eſt alere pauco in tempore vniuerſum, ſed nõ multum impertiri alimentũ conſtat. Alica verò nec paucum nec vniuerſum, ſed & multo tempore & multum præbet alimentum. Porrò autem quæ inter ſe comparãtur, ſimilem habere debent compagem ſeu conſtantiã quam σύστασιν Græci appellant, nec vnũ exactè humidum eſſe, alterum ſummè ſiccum. In ptiſſana itaq; & alica

& alica & cæteris eiuſmodi quæ homines ex milio & fabis aliíſque frugibus parät, ſimiliter ſecundum craſsitudinis modum habeant oportet ea quæ inter ſe comparantur. Carnibus verò ſua cuique eſt & propria compages.comparare itaque eas oportet in apparatus & cõditturæ forma, vtriſque ſcilicet vel aſſatis vel coctis ſimiliter. Succi autem ſi qui mordaces inſint, per apparatum remoueãtur,quemadmodum in braſsica & leguminibus fieri ſolet,ſiquidem certã alentis ſubſtantiæ probationem es habiturus. Remotio autem fiet, ſi inter coquendum, ex vna aqua in alteram quæ incoquuntur trãsfuderis. Si igitur his omnibus probè conſtitutis & diſtinctis,diligẽter exploraueris quæ paruo tempore, id eſt confertim ſeu vniuerſim,& paulò poſtquàm ſumpta ſunt (hoc enim celeriter ſignificat) alunt, ea ocyus etiã corpus peruadere, modò hominibus ſimiliter habentibus exhibeãtur (nam & hæc in omnibus adhibẽda eſt diſtinctio): quæ verò contrà habẽant, tardè ſubire comperies. Horum porrò cauſam ſi requiras, eam ex iis quæ noſtris de facultatibus naturalibus commentariis demonſtrata ſunt petere poteris.In iis enim ventriculum ex eduliis ingeſtis familiari &

Vetriculus nutrit chilo

conueniente ſucco attracto, quem ſuis tunicis reponeret, primùm omniũ ad ſatietatem vſque frui demõſtrauimus, poſtea vbi abũdè ſaturatus eſſet, tum demum ipſa abs ſeſe ad tranſitum demittere. quo tempore hepar quoque ex ipſis trahere par erat, ſi quidem alimento egeret, alioqui eo quod in ſe haberet abuſurum. Eodem quoque modo ex hepate corpus vniuerſum quando alimento deficeretur, trahere rationi erat conſentaneum. Qua ex re fit, vt in quibus totũ inanitum corpus eſt, periculum eorũ maximè facere cõueniat quæ vniuerſim & celeriter nutriunt, quibus indidem etiã accedere dicebamus, vt celerius corpus peruaderent. Nonnulli tamen vacuationem eam quæ ex toto quoquouerſum fit corpore, peruaſionis ſeu excretionis nomine Hippocrati appellatam eſſe volunt. vt idẽ nunc doceatur, quod libro de alimẽto his verbis dicebat, Cibus alteratu difficilis, ægrè conſumitur & diſcutitur: cibus contrà facilis appoſitu, facilè conſumitur & exhauritur. Quod dictum quamquam eſt veriſsimum, non propriè tamen videtur peruaſionis nomine intelligi poſſe. Siquidem peruaſio ferè de trãſitu per ventrem intelligitur: poſsis tamen de eo quoq; qui

quacunque corporis parte ſit intelligere. neq; enim parum differt ſubiréne cibum an peruadere dicas. nam ſola ſubeũt quæ per aluum deſcendunt: peruadendi verò verbum vtriſq;, tam iis quæ per ventrem ſubeunt, quàm quæ quacunque corporis datum eſt permeant, poteſt conuenire. Suilla igitur cæteráque alia quæ lentos & craſſos humores habent, non niſi multo tempore ex toto diſcutiuntur corpore. Olera verò piſcéſque ſaxatiles & quicquid denique diſtribuendo conſtat tenui ſucco, diſtributionis quidem & appoſitionis celeritate aliis præſtãt, firmam verò ſtabilémque naturam non habent, ſed facilè digeruntur & cute perſpirabili euaneſcunt.

XIX.

Τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης.

In morbis acutis non omninò certæ ſunt mortis aut ſalutis prædictiones.

Morbi acuti præterquàm quòd criticè citò ſoluuntur, ſtatim etiam magnitudinem celeritati habent coniunctam. Nam febres diarias quas ephemeras Græci vocant, celeriter licet finiantur, nemo tamẽ morbos appellauit acutos. Duplex porrò

eſt acutorum morborum natura. nam aut in * ſolis humoribus accēduntur calidioribus, nullum certum occupantibus locum, ſed æquabiliter quauis corporis parte genitis: aut parte quapiam affecta fiūt, veluti in * pleuritide fit, peripneumonia, & cynanche. Sed & morbos acutos febres ferè comitantur velut cōtinuæ. rarò enim ſine febribus reperiuntur, qualis eſt apoplexia. Longi verò & diuturni morbi ratione fiunt humorum craſſorum, lentorum, & frigidorum qui concoqui non facilè poſſunt, ſed impacti & cuneati in partibus affectis hærent. quo fit vt ſcirrhi potius quàm phlegmones naturam retineāt eorum affectus. ex quibus qui per conſenſum & ſine loco affecto fiant pauci reperiuntur, in quibus æqualiter omnes venæ putreſcentes humores vel melancholicos vel pituitoſos habeant. quorum omnium prædictionibus niti & confidere videtur Hipp. Acutorum verò non omnium, ſed in ipſis falli etiam interdum præſagitionem fatetur. id enim ſignificat negatiua illa particula, non omninò, quæ idē quod non ſemper, ſeu non in omnibus ſignificat. quod ſermonis genus vſurpare ſolent, quum pauca quædam de omnibus eximunt, vt quum dicūt, non omnes homines

Acuti primarij & cōtinui ex acceſſa materia in venis fluctuante & oberrante.

** Acuti ſymptomatici cōtinui ex inflammatiōe ſtabili partis cuiuſpiam, cū febre totum corpus occupante.*

mines mali. ſignificant enim perpaucos bonos eſſe. Sic Hippoc. nunc hac oratione ſignificare videtur, non omninò certas prædictiones eſſe in morbis acutis, quum experiẽtem etiam medicum in his interdum, ſed rarò falli contingat. Hoc autem accidit tum propter ſubitam in melius aut deterius in criſi mutationem, quæ mutatio naturam ſequitur humorum morbos efficientium, tum etiam quia peccans humor ex vno interdum loco in alterum mutet ſedem.

XX.

Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσι, αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισιν ἀπογηράσκουσιν ξυραίνονται. ὁκόσοισι δ' νέοισιν ἐοῦσιν, αἱ κοιλίαι ξυραί εἰσι, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισι ὑγραίνονται.

Quibus in iuuentute aluus eſt humecta, ijs in ſenectute ſiccatur: Quibus contrà ſicca aſtrictáque iuuenibus fuit, ijs ſenibus humecta laxáque fit.

Id ſæpenumerò, ſed non ſemper fieri ipſemet aphoriſmo eo quem infrà ſcripſit ſatis indicaſſe videtur, Qui inquit, aluum humidam habent, facilius quàm qui ſicca ſunt aluo iuuentutem degunt, ſed ægrius ſenectute defunguntur. ipſis ſiquidem ſeneſcentibus reſiccari ferè ſolet. Cæterum ſiccam & humidam aluum intelligere oportet,

portet,non abſolutè,ſed eadem victus ratione ſeruata. nam ſi quis in iuuentute ſalſamenta comedat & porra, & zytum ſuperbibat (quæ victus ratio Alexandrinorum eſt conſueta) in ſenectute verò nihil cuiquam horum eſitet, ſed lente veſcatur, vinúmq; inſuper auſterum potet, quî quęſo poſsis ętatis ratione dicere huic purgamenta alui fuiſſe mutata? Rurſum ſi quis per iuuentutem lente & meſpilo vinóq; auſtero vſus, per ſenectutem verò Alexandrinorũ victus rationẽ ſequutus, ſimul cũ tali mutatione victus,alui etiam deiectionẽ mutauerit,in eo profectò certum de aphoriſmo iudicium facere nequeas. Sed ſi quum cæteris omnibus,tum iis etiam quæ ad alimoniam pertinent ſimiliter geſtis & adminiſtratis, alui deiectio mutata fuerit, certum tum fiet de iis quę ab Hip.dicta ſunt iudicium.Mutabitur verò alui purgamẽtorum ratio, quod ad ætatum naturam attinet, mutatis corporis affectionibus vnde aluus humidior fit aut ſiccior.quæ quidẽ affectiones quales ſint,vnum ex iis eſt quę inueſtigatione digna videntur.Sed ſi in præſentia ſcribere cuiuſque proprias aggrediar demonſtrationes, tam longa mihi inſtituẽda erit diſputatio,vt integro libro ſit opus. Id igi

tur

tur aliquando fortè præſtabitur. nūc paucis rerum tantum capita perſequar, atque iis vtar quę in commentariis tum de naturalibus facultatibus tū de ſymptomatωn cauſis mihi ſunt demōſtrata. Aluus iuſto fit humidior, quū ex ea alimentū in chylum redactū parciùs diſtribuitur: contráque eius inde omni ad hępar elato humore, ſiccior fieri ſolet. Quamobrem autem parciùs diſtribuatur, interdū in cauſa eſt copioſior quàm quo hepar egeat aſſumptus cibus, interdū etiā quia ipſe celerius ad deſcenſum feſtinat. ex copioſiore enim cibo poſtquàm ad ſe hepar quod ad explēdam auiditatem ſatis eſt traxerit, plures ſupereſſe reliquias eſt neceſſe. celerius verò inteſtina peruadente & permeante cibo, per eam deſcenſus celeritatem, alimēti tantum quanto egeat hepar trahere nō poteſt. vnde eius reliquias humidiores fieri eſt neceſſarium. Porrò ocyus ſubeunt alui purgamēta, tum propter bilis in ventrem defluētis & ad excretionem ſtimulantis copiam, tum propter facultatis retentricis vētriculi imbecillitatem, ipſiúſque & inteſtinorum virtutis expultricis robur. Cibi verò plus appetimus, quia os vētriculi (in eo enim maximè ſita eſt cibi appetentia) temperamento eſt frigidiore: quemad

quemadmodum hepar quoque propter frigiditatem minus attrahere ſolet. Sic quoque venter propter humiditatem, imbecilliorem retentricem obtinet, vt expultricem fortiorem propter ſiccitatem. Senibus itaque vbi frigidius corpus euaſerit, in ore ventriculi humiditas vſque eo frigida colligitur, vt in cibi faſtidium, quam anorexiam Græci vocant, quaſi inappetentiam dicas, terminetur. quo facto deiectionem alui ſiccari contingit ciboriorum defectu, quod certè quidem ad diſtributionem attinet. Pariter qui propter copiam vel naturam humoris picrocholi humectam aluum habent, in contrarium ſtatum ſenes facti mutantur, quia in ſenectute talis humor non iam gignatur in corpore. Sed quibus propter retentricis virtutis imbecillitatem humida aluus eſt, non omnibus, ſed pro quantitate caloris cum tali imbecillitate coniuncti in contrariam fit conditionem mutatio. nam ſtatim ab ortu frigidiore temperamento aluus ſi fuerit, ea per ſenectutem in frigidam prętor modum intemperiem redacta, facultatem ſimiliter imbecillam obtinebit retẽtricem: quia intemperies omnis immoderata actiones debilitat & lædit. quòd ſi ad multam ætatẽ calida

lida manifeſtò fuerit, robuſtam habebit retentricem virtutē, vt pote quæ neutram intemperiem exactè habeat, nec eam quæ in ſiccitate conſiſtit (omninò enim aluus erat humidior naturâ: alioqui retētricem virtutem non habuiſſet imbecillam) nec eam quæ in calore eſt: hoc enim ponebatur. quare propemodum omnibus quibus aluus naturâ humidior eſt, ſeneſcentibus fit in contrarium mutatio. Quibus verò ſiccior, iis per ſenectutē euadit humidior, ídque propter temperaturas contrarias. Aut enim quia minus quàm pro iecinoris virtute cibariorum comedunt, aut propter excrementorum exuctorum ſiccitatem, aut quia bilis minus in ventrem deriuatur, aut propter firmitatem retentricis virtutis, alui fiunt purgamenta ſicciora. Quòd autem minor ipſis adſit cibi appetentia citiúſque expleantur, fit propter partium in quibus ſita eſt appetētia caliditatem. Quòd exuctus cibus ſiccior euadat, in cauſa eſt hepar moderatè natura temperatum, aut etiam nōnihil calidiore temperamento. Quòd pauca in ventrem bilis confluat vt potè quæ pauca etiā generetur, ob viſceris frigiditatem accidere putandum eſt. Fortis verò vis retentrix in iuuenibus ideo fit, quia ipſorū ad ſiccius

vergat temperamentum. Non ſine ratione igitur hiſce omnibus ſeneſcentibus fiet in contrarium mutatio. Nam & qui cibi faſtidio ob caliditatem laborant, ætatis progreſſu plus appetent quàm ſubigere & euincere poſsit hepar: & quibus propter ſiccitatem ingenitam vis retentrix erat valentior, iis ſeneſcentibus fiet ob eiuſdem ſiccitatis exceſſum imbecillior, atque inde fiet vt propter citatiorem cibariorum tranſitum; humidior euadat deiectio. Quibus verò propter bilis inopiam moratur deiectio, ac propter tardum tranſitum magna obiter humoris pars exugitur, in iis idem etiam tum ſtatus manere poteſt, fieri tamen poteſt vt refrigerato præter modum iecore, atque ita imbecilla valde reddita diſtributione, alui purgamenta reddantur humida. Atque hæc in præſentia habui quæ de mutationum, quæ ætatis ratione propter alui ſiccitatem & humiditatem fiunt, cauſa dicerem: quæ obſcura propter breuitatem videantur iis qui exercitati non ſunt in commentariis de quibus nobis ſuprà facta eſt mentio. Sed aliquando poſtea integrum his explicandis librum dicabimus. Quod ad artis vſum attinet ſatis eſt tenere quod ab Hippo. eſt dictum, etiamſi

eius dicti cauſa non adiiciatur.

XXI.

Λιμὸν θώρηξις λύει.

Famem thorexis ſoluit.

Thorexim meri potionem Hipp. conſueto more appellat. In opere ſiquidem de hominis natura & victus ratione ſic ſcriptum reliquit. Eſt autem, inquit, aura quam ducimus reddimúſque morborum popularium cauſa. planũ eſt enim cuiuſque noſtrum victus rationem eorum cauſam eſſe non poſſe, quũ promiſcuè omnes tàm iuuenes quàm ſenes, tàm viros quàm mulieres, abſtemios deniq; iuxta ac thoreſſomenos (ſic enim meracioris vini pleniore potione gaudẽtes appellat) malum hoc corripiat. Nam vel ex eo conſtat per thoreſſomenos merobibas intelligendos eſſe, quia abſtemiis eos è regione poſuerit. Quare thorexim quoq; ab ipſo pro vini potione vſurpari eſt manifeſtum. quam quidem vini potionem famem depellere dicit, nõ mehercle quamuis cibi indigentiam famem appellãs, quod arbitrati ſunt nonnulli, vt nec eam quæ cibi appetentiã habet coniunctam, ſed eam quæ morbus eſt. qua qui laborant, magna & inſatiabili perpetuáq; cibariorum inceſſuntur appetentia. quam ex medicis quidã caninam

appellarunt. Huic ſiquidem fami ſedandę meracior potio eſt remedio, non ei quæ vel lõgam inediam, vel alui profluuium, vel ſanguinis fluxum, vel quamuis aliam vacuationem conſequi ſolet. Nã qui propter horũ aliquod redditi fuerint famelici, tantum abeſt vt commodum ex meraco potu aut vtilitatem percipiant, vt eo etiã offendantur magnopere: quippe qui cõuulſionibus protinus & delirationibus prehendãtur, ſi ante cibariorum eſum liberaliore vini potione vſi fuerint. At quibus fames morbus eſt, iis vini potio, non cibi copia eſt remedio. Siquidẽ ego nonnullos qui perpetua fame laborarent ita curaui, ipſis ſcilicet liberalius vino quopiã ex iis quæ haud ſegniter calfaciũt propinato. Neq; enim acerba vina eiuſmodi famem ſanauerint, vt pote quæ ne calfaciãt quidem: ſed quę ſine aſtrictione fuluo colore ſunt aut rubro, ea demum maximum his qui canina vexantur appetentia auxilium ſunt allatura. Ipſis itaq; quum prandere volunt, primùm cibaria apponere oportet pinguia, & vt ita dicam oleoſa, cæteráq; id genus ex multo oleo parari ſolita. Sed prima cautio eſſe debet, ne quid auſteri admiſceatur aut acerbi. Poſtea vinum ex iis quæ diximus aliquod, etiamſi nondum

nondum ſitiant, potui dandum eſt. Protinus enim ipſis tali victus ratione fames mitigatur, in qua ſi diutius perſeuerauerint in totum etiã ſedari ſolet. Atq; hanc mihi ſententiam Hip. hoc aphoriſmo pre ſe ferre videtur. Nã quum vel propter ſolam intemperiem frigidiorẽ, vel propter acidos quoſdã ſuccos vẽtriculi os imbuentes, fieri conſueuerint appetiones caninæ, quæ vitia duo perſanat vinum ſuprà dictum, eaſdem meritò appetentias caninas ſedauerit. Bulimum verò qui putant famis nomine dictum eſſe ab Hipp. hi mihi abſurdè eius verba interpretari videntur: primùm quòd pro generali & vniuerſali oratione particularem faciant, deinde quòd falſum etiam dicant. Siquidem bulimus eſt virtutis proſtratio ab externa refrigeratione profecta, qui ab eſuritione quidem principium ſumit, ſed famem amplius non habet coniunctam.

XXII.

Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται· καὶ ὁκόσα ὑπὸ κενώσιος, πλησμονή. καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.

Qui à plenitudine morbi fiunt, vacuatione curantur: & qui ab inanitione proficiſcuntur, ſanantur plenitudine. Cæterorúmq; contraria ſunt remedia.

Non, ſi quid non amplius à plenitudine fiat, aut ea ſublata remaneat, id curabit vacuatio: ſed quo quæque tempore à plenitudine fiunt curare aggredimur, ea demum vacuatione indigere videntur. Plenitudinem certè ipſam morbum facere dictum eſt ſuprà, ipſius verò curationem vacuatione fieri, vt & alias omnes cauſas morbos committentes per contraria tolli, monere certè quidem fuerit ſuperuacaneum. Neque enim aliud quicquam præter* cõtraria excogitare queas, cui earum ſublationem acceptam referre poſsis: quemadmodum in morbis iam factis & ſymptomatis eos neceſſariò comitantibus iterum examinaturi ſumus. Sed nunc de morbis qui adhuc fiunt habetur ſermo. Vnde fit vt cauſarum morbos faciẽtium ſublatione, vnà etiam morbos remoueri neceſſarium eſſe videatur. At verò fit cauſarum morbiferarum per contraria remotio. Nam ſi quid refrigerando morbũ faciat, eius per calfacientia fiet curatio, ſi calfaciendo, per refrigerantia. Pariter ſi propter copiam morbus fiat, eam protinus vacuare oportet, vt ſi nimia vacuatione corpus ægrotet, quãprimum cibo reficere conuenit. Quanquam placet quibuſdam vacuatione morbum nunquam

*Morbus iam factus ſuo, dum fit cauſæ ſua tollitur contrario.

nunquam fieri poſſe, ſolam vt cõiicere licet febrem morbum eſſe arbitrantibus. Nam ſi alioqui omnem ipſi affectũ actionem lædentem morbum eſſe, omnem verò inſignem intemperantiam actiones labefactare didiciſſent, nunquam de forti vacuatione quòd morborum cauſa exiſtat, dubitaſſent. Siue enim ex vtero ſanguis, ſiue ex hæmorrhoïde, ſiue vulnere copioſè profluat, quibus iſta acciderint, omnes actiones aut earum certè maximã partem labefactari eſt neceſſe. nec verò ſola ea incommoda ſequuntur, ſed in aquã quoque inter cutem ex his nonnulli inciderunt. quin vel longa inedia febrem nedum alias noxas iis adferat, qui naturâ calorem feruẽtiorem habent. Quicquid igitur ad aphoriſmi veritatẽ & vtilitatem attinet diximus. Supereſt vt recentiorum medicorum nugacitatis prodendæ gratia aliquid addamus ſuperioribus: qui de nominibus altercantes inter ſe, de rebus interim ipſis ſe diſputare credũt. Quum enim cauſarum morbos efficientium ſublationem non ad curandi rationem, ſed ad prophylacticem, id eſt cautionem & prouiſionem incommodorum pertinere dicunt, de nomine primùm eos inter ſe rixari, deinde ne id

affectionem quæ rabiem generat diceret, interdum non remedia, ſed rabiei futuræ amuleta, id eſt prouidendæ & auertendæ rabiei vim habentia pharmaca.

XXIII.

TA ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

Morbi acuti iudicãtur intra dies quatuordecim.

Acuti morbi cenſentur qui & magni ſunt & ad ſtatum celeriter perueniunt. vnde fit vt breui tempore magnas faciant mutationes, quod perinde eſt ac ſi iudicentur dixeris. Siquidem Hipp. ipſe eiuſmodi mutationes quum in morbis derepẽtè fiunt, iudicationes appellat: idq; interdum ægrotantibus ipſis aut ſanitatẽ priſtinam ilico recipientibus, aut morientibus, interdum magnam quandam ad ſalutem vel mortem mutationem ſubeuntibus, qui tamen eueſtigiò propterea non ſeruentur aut moriantur. Quibus rationibus fit vt in totũ quatuor in ipſis repentinæ mutationes fiant, quas Epidemiωn primo his verbis nos docuit, Subita ad ſalutem mortémve mutatio, aut ad melius deteriúſve inclinatio. Quòd verò neceſſarium ſit morborum magnitudine & ſymptomatum vehementia vel citò virtutem ſuccumbere, ita vt moriatur æger, vel ſi

ſtrenuo ad mali expulſionem impetū ſumpto natura ſuperior euadat, bonā criſim fore: ſi verò impar cedat & laſſata det manus, malam iudicationem ſequuturā eſſe, nemo eſt qui dubitet. In morbis igitur acutis vt criſis in longum tempus differatur fieri nullo pacto poteſt. In talibus itaque omnibus terminū Hipp. ſtatuit duarum ſeptimanarum ſpatium, quòd nullus ſcilicet vlterius progrediatur. Poſſunt tamen multi ante decimumquartum iudicari. Nam & vndecimus & nonus & ſeptimus & quintus multos iudicarūt, vt cōſtat ex Epidemiωn libris. quoſdā etiam ſextus iudicat, ſed haud benè. quemadmodum in commentariis de diebus decretoriis latius demonſtrauimus, in quibus exercitatū eſſe volamus eū qui ea ſit aſſecuturus, quæ Hip. breuiter ſunt dicta. Imperfectis verò judicationibus (quas Græci, quòd in alteram ſint ſeminclinatę partem, ἡμιῤῥόπας appellant) ſequentium deinceps dierū aliquis finē imponet. Atq; hi dies quinam ſint ipſemet in prognoſtico tradidit, iterúmq; hîc aliquid ſequēti aphoriſmo eſt traditurus. Sed & harū iudicationū ſemiinclinatarū alius quidā eſt extimus terminus, vltra quē progredi nō liceat, quadrageſimus nimirū dies. Morbos

Sextus tyrannus.

bos ergo Hippocrates qui intra quartũdecimum diem integrè iudicãtur, acutos abſolutè appellare cõſueuit: eos verò qui aliquo dierum decretoriorũ imperfectè iudicati, ad quadrageſimum vſque diem durarunt, non iam abſolutè acutos, ſed appellatione ex integra oratione conſtante, acutos intra dies 40. iudicandos nominare ſolet. Verùm apertius mihi dicere videntur qui eiuſmodi morbos, per prioris ſtatus in alium mutationem aut à ſua ſpecie degenerationem acutos vocitant, quos ἐκ μεταπτώσεως ὀξέα νοσήματα appellant Græci. De quibus in prognoſtico ſcribit in hanc ſententiam, In omnibus inquit, morbis acutis qui febrem cõiunctam habent, & intra dies quadraginta terminantur, ſpirandi facilitatem ad ſalutem maximam vim obtinere putandum eſt. Hìc autem vbi inter aphoriſmos de morbis acutis abſolutè loquitur, eos intra quatuordecim dies finiri ait, non mehercule his verbis id ſibivolens, quod putarũt nõnulli, quatuordecim ſcilicet numero dies eſſe qui in his morbis iudicationes faciãt. Eadem enim ratione etiam dies qui morbos*per degenerationem acutos appellatos, iudicant, quadraginta eſſe dicere poſſemus. Eadem ſiquidem eſt in vtriſque

** Acuti degeneres quos vulgo ex deci-*

loq

loquendi forma, & hîc quum ait, morbos acutos intra dies 14. terminari, & in prognoſtico quum inquit, quicunq; febrem coniunctam habent & intra 40. dies iudicantur. Sed quum iſti nullam inuenirent rationẽ quî dictiones has, tum eam quæ in aphoriſmis, tum eam quæ in prognoſtico legitur inter ſe conſentire demonſtrare poſſent, ineptam hanc & ababſurdam commenti ſunt interpretationem. Neque enim quatuordecim ſunt ad quadrageſimũ vſq; dies decretorij, ſed cũ extraordinariis quos *intercidẽtes vocãt, plures ſine illis pauciores habentur, vt in tractatu de diebus decretoriis apertè demonſtrauimus. Ipſa etiam rei euidẽtia & experientia eam rationem cõfirmat, quæ dicit morbos acutos iudicationis habere terminum quartumdecimum diẽ. Nullus ſiquidem adhuc morbus qui ſtatim ab initio celeriter moueretur, hunc ſuperaſſe terminum inuentus eſt, quin ex quatuor dictis diebus aliquo criſim prius ſubiret. Adeò vt nonnulli primis diebus tardi & parui, circa quartum aut quintum diem citatiores & vehementiores facti, decimoſeptimo die ſint terminati. Alij ad ſextum aut ſeptimum ſumpto acumine, ceſſarint viceſimo. Vnde fit manifeſtum morbi

dentia vocant.

* *Intercidẽtes dies, quos inter repentes & intercalares potes dicere, quòd propter erratum commiſſũ, non propter ſolius naturæ motum in eos criſis incidat atque ita legitimorũ decretoriorum ordo interrumpatur.*

morbi continuatum acumen plures 14. dies habere non poſſe. Ex iis verò qui motus habent inæquabiles multos reperire licet qui ad vlteriorem proferantur terminum. cuiuſmodi ſunt qui diebus quibuſdam ſumpta vehemētia, latenter poſtea eam remiſerunt, rurſúmque poſtea aucti, motus continuationem acceperunt. Si quis igitur in ægrotantibus quemadmodum dixi obſeruationē inſtituat, morbos qui per duas integras ſeptimanas celeriter moti fuerint, vlterius progredi nunquam comperiet.

XXIIII.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος· ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη. αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ, ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

Index ſeptimi quartus. Sequentis ſeptimanæ octauus initiū. Spectandus quoq; eſt vndecimus, ſiquidem is ſecundæ ſeptimanæ quartus eſt. Rurſúmq; decimusſeptimus ſpectādus: is enim à quartodecimo quartus eſt, & ab vndecimo ſeptimus.

Indices & ſpectabiles dies cōſueto more appellat Hipp. in quibus ſignū aliquod iudicationis apparet alio quopiam ex diebus decretoriis futuræ, quos ipſe in prognoſt

gnoſtico per quaterniones digeſsit, ſingũ lis ſeptimanis bipertitò ſectis. Primum itaque quaternarium ſeptimi diei à principio inita ſupputatione indicatorem eſſe ait. Vndecimum item decimiquarti indicem ſtatuit, quando & hic bipartitò diuiſus ſequentem ſeptimanam in duos dirimat quaternarios. Pariter decimuſſeptimus viceſimi index, quando tertia quoque ſeptimana hoc bifariã ſit diuiſa. Cæterùm hanc Hippoc. cum ſecunda copulat, quum tamen à prima dirimat ſecundam. ſecundæ ſiquidem initium octauum diem eſſe dixit, non etiam tertiæ ſeptimanæ decimumquintum, vt ex poſteris arbitrati ſunt nonnulli, quippe qui non viceſimumprimũ eius ſeptimanæ faciat extrẽmum, ſed tertiæ ſeptimanę initium quidẽ ſtatuat decimumquartum, finem autem & extremum viceſimum. Quamobrem verò priores duas ſeptimanas per diſiunctionem à ſe inuicem, tertiam autem per copulationem cum ſecunda ſtatuat, diximus in opere de diebus decretoriis. In prę ſentia citra eius rei cauſæ demonſtrationem ſatis erit ſcire quod experientia ipſa teſtatur, cum eo quòd Hippoc. permultos ægros ſecundum hunc dierum decretoriorum ordinem iudicatos fuiſſe ſcripſerit

rit in libris Epid. Qui ordo talis eſt, vt tres primæ ſeptimanæ in viceſimum circumactæ terminentur, tres verò ſequentes quadrageſimo cõprehenſæ finiantur. Quò fit vt ſexageſimus etiam & octogeſimus ſint decretorij. quod experientia quoq; ipſa compertum probatúmque habemus, quemadmodum in opere de diebus decretoriis demonſtrauimus, vbi eos etiã ægrotos adſcripſimus qui iuxta præſcriptum ordinem iudicati legũtur in libris Epid. quos omnes hîc deſcribere quia longum foret, ſatis fuerit ſolam dictionẽ ex prognoſtico tranſcribere, quæ ſic habet, Febres iudicantur iiſdẽ numero diebus, vnde euadunt aut moriuntur ægrotantes. Ex febribus enim quæ minimè ſunt malignæ, quæq́ue cum ſignis tutiſſimis progrediuntur, quarto die aut etiã ante deſinunt: peſsimæ autem & imprimis malitioſæ atque exitialia ſigna præ ſe ferentes, quarto die aut etiam antè ægrotantẽ tollunt de medio. Ipſarum igitur primus impetus ita terminatur. ſecundus ad 7. tertius ad vndecimũ. quartus ad 14. quintus ad 17. ſextus ad 20. diem peruenire ſolet. Atque ij inſultus per quaterniones ex acutis abſolutè in viceſimum per additionem finiuntur. Hæc verba apertè

docent quòd tertiam ſeptimanā per continuationem cū ſecunda numeret, diémque 17. viceſimi faciat indicem.

X X V.

OI θερινοὶ τεταρταῖοι, τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες. οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

Aeſtiuæ quartanæ plerunque breues, Autumnales longæ, & inter eas maximè quæ ad hyemem vſque pertinent.

Non febres ſolùm per æſtatem, ſed alij quoque morbi breues exiſtunt, quia per id temporis fuſi humores redundantes quoquouerſus per corpus ferantur & per ſpirabili cute digerantur. In quibus itaq; ineſt valida virtus, in iis morbi ipſi vacuatis ſtatim humoribus triſtificis finiuntur: quibus autem virium adeſt imbecillitas, in ipſis vnà cum peccantium humorum vacuatione virtus reſoluitur. Quo fit meritò vt nullus morbus æſtiuus ſit diuturnus. Hipp. verò de longiſsimo morbo ſolùm verba faciens (quod propoſito quartanæ exemplo eſt manifeſtum) idem de aliis quoque omnibus intelligendum nobis reliquit. Quemadmodū autem cutis perſpiratu per æſtatem humores digeri, viréſque reſolui contingit, ſic contrà hyberno tempore fieri ſolet, vt & humores

ſcilic

ſcilicet intra corpus tanquã latibulis quibuſdam deliteſcant, & vires robuſtæ ſeruentur & permaneant. Quare tum nec morbi ſoluuntur, perſeuerantibus ſcilicet humoribus eorum cauſis, nec moriuntur ægrotantes, ipſis contra vim morbi abundè ſuppeditante virtute.

XXVI.

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

Conuulſioni febrem accedere ſatius eſt, quàm febri conuulſionem.

Ipſemet Hippocr. infrà dicturus eſt, à repletione ſpaſmum & inanitione fieri. Quum ergo valetudine ſecunda quempiam derepentè conuelli accidit, talem à plenitudine proficiſci conuulſionem eſt neceſſe. ita enim nerui infarciuntur viſcidis & frigidis humoribus quibus etiam aluntur, vt ſpaſmum inde patiantur. cui ſuperueniens febris, frigidos illos calfacere, & lentos tenuare humores & diſcutere ſolet. Verùm ſi propter ardentiſsimas febres totum corpus & nerui ipſi exiccati fuerint. atque propter eam ſiccitatem conuellãtur, tum demum hoc maximũ ac propemodũ immedicabile malum euadit. ſiquidem & temporis multum ad ſiccitatis emendationem poſtulant ner-

ui, & inducias non admittit morbi vehementia, ſed vires ſtatim deiicit, & citam mortem afert.

XXVII.

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιουτέων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τοι διαμένειν οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.

Non, ſi quid in morbis acutis fiat præter rationem leuius, fidere oportet, nec turbari, ſi quid temerè grauius acciderit. Iſtiuſmodi enim multa ſunt incerta, nec durare diu aut perſiſtere ſolent.

Quicquid de iis dici debuit, id omne eſt traditū in libris Criſeωn. Nūc quod ſatis ſit ad præſentis aphoriſmi expoſitionē breui oratione complectemur. Quum vehemens morbus hominem inuadit, qui poſtea mitior derepētè fiat & facilior, nullo vel ſudore, vel vomitu, vel alui deiectione, vel ſanguinis eruptione corpore vacuato, *nec vllis etiamnum apparentibus ſignis coctionis, eiuſmodi tunc morbi facilitati Hipp. putat parum fidere oportere: quemadmodū nec ſi præter rationem ægrè ſpiritū duxerit, aut delirauerit, aut vehementius fuerit febre cōflictatus, aut magno etiā rigore correptus, metu propterea

** Alleuatio morbi tuta quæ concoctionem eiuſdē & expulſionem ſequitur.*

pterea nos permoueri debere. nam iſthæc incerta ſunt, tantúmq; abeſt vt mali quicquam denuntient, vt bonam etiam interdum iudicationem quamprimum fore ſignificent. Quæ quo modo internoſcere & præſentiſcere medicum oporteat, docuimus in libris Criſeων.

XXVIII.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως τὸ διαμένειν καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα. ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν, τὸ μὲν γὰρ μῆκος νούσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Febricitantium non omninò leuiter corpus ſibi conſtare nec minui, aut etiam plus æquo colliqueſieri, malum. Hoc ſiquidem virium imbecillitatem, illud morbi diuturnitatem ſignificat.

Illud, Non omnino leuiter, diſtinctionis gratia addidit Hippoc. nam abſolutè ſi malum eſſe pronuntiaſſet, febricitantium corpus ſibi conſtare nec concidere, falſa fuiſſet eius aſſertio. Fieri ſiquidem poteſt, qui cœli ſtatu frigido propter humorum copiam laboret, vt eius corpus oborta febricula non collabatur nec etiā creſcat. Sed ſi magna febris fuerit, nec eā ob rem corpus attenuetur aut imminuatur, tū haud paruā oſtendit crudorū humorū abundantiam. Iam verò illud, plùs

æquo colliquefieri, etiamſi in contextu aphoriſmi pars illa. non omninò leuiter, omiſſa fuiſſet, inter mala nihilominus ſigna fuerat numerandum. Siue enim leuiter febricitent, ſiue non, argumentum imbecillitatis eſt facta præter rationem corporis macies. Nec verò exiſtimare oportet Hippocratem συντήκεσθαι verbum hoc loco propria ſignificatione accepiſſe pro contabefieri & abſumi, ſed abuſum potius fuiſſe pro ἰσχνοῦσθαι, id eſt attenuari & imminui. Rectè autẽ in altera aphoriſmi parte dixit plus æquo: rectiúſq; fuerit ſi id ad priorem quoque aphoriſmi partem referamus, vt eius tota ſit eiuſmodi oratio, Febricitantium non omninò leuiter corpus ſibi cõſtare, aut colliquefieri magiſquàm ratio poſtulat, malum. vt de vtraque parte communiter illud pluſquàm ratio poſtulat, prædicetur. Nam ſiue pluſquàm ratio poſtulat perſtet idem febricitantium corpus nullatenus imminutum, ſiue collabatur & concidat, malum. Quibus autem & vnde ſumptis indicationibus, illud pluſquàm poſtulat ratio expendere oporteat & intelligere, dixiſſe Hippocratem præſtitiſſet. Sed quoniam hoc eſt aphoriſticum, id eſt præciſum & definitũ docendi genus, ſummáque breuitate

breuiter circunſcriptum, nos illud explicantes referemus tum ad febris magnitudinem, tum morbi tempus, tum ætatem, tum regionem, & anni partem ſtatúmq; cœli præſentem, ad manifeſtas etiam vacuationes, & vigilias, & curas, inediam etiam, & plures tum animi tum corporis motus. Maior ſiquidem febris & citius & magis macilentos reddit. idem quoque morbi diuturnitas facit, ætas etiam tum puerorum, tum eorũ qui vltima ſunt ſenectute, ſed vtraque ſua propriáq; ratione. In pueris ſiquidem plurimum propter humiditatem & caliditatem fluunt & vacuantur corpora: In iis verò qui ſumma ſunt ſenectute propter virium imbecillitatem corpus facilè collabitur. Iam verò anni pars & regio & tempeſtas calidiores & ſicciores corpus magis vacuant, vt frigidiores & humidiores magis aſtringunt & denſant, & ne cutis perſpiratione digeratur & inaniatur prohibent. Omnibus verò manifeſtas & ſub ſenſum cadentes vacuationes quid attinet dicere? Neminem ignorare arbitror complures vel ſanguinis eruptione, vel ſudorum multitudine & vrinarum copia, vel vomitu deniq; & alui deiectione ita exinanitos fuiſſe, vt bona ratione protinus ſint extenuati. Di-

ctis cauſis quadam naturæ propinquitate inedia coniungitur, quæ & ipſa vt vigilia & cura corpus emaciat, quemadmodum frequentes quoque motus, ſed ij in febribus rarò fiunt. Nam qui ægrotant quieto plerunque ſunt decubitu. Si quis tamē (vt fit interdum) viam ingreſſus febricitare cœperit, atque neceſsitate vrgente, vel domum reuertendi ſtudio incœptum iter nolit intermittere, is multum eo motu attenuetur par eſt, priuſquàm manſionem attingat. Sed & propter mentis alienationem & furorem aſsiduè exurgentes nonnulli, aut inter decumbendum membrum aliquod ſemper motitantes aut loquētes, paucis meritò diebus redacti ſunt in corporis gracilitatem. Hæc igitur omnia ægrotos cogunt maceſcere: vt horum contraria corpus amplius conſeruant & tuentur. Ipſorum verò nullum virtutis imbecillæ ſignũ, ſed quodque ſolum cauſa exiſtit. Nam quemadmodũ corpus in iis minuitur bona ratione & attenuatur, ita virtus quoque deiicitur & peſſumdatur. Verùm ſi nullo eorũ quæ modo com memorauimus præſente corpus præter rationem attenuetur, id tum Hippo. imbecillitatis virium argumentum eſſe dicit. quam quidē virium imbecillitatē cauſam

eſſe dicebamus quamobrē per febres decrepitorū corpus citò collaberetur. Nec mirum in talibus videri debet, ſi virium imbecillitas gracillitatis cauſa,& gracilitas imbecillitatis argumētum exiſtat. ſic enim in omnibus ſe res habet, quæ efficientium & effectorum rationem ſortiuntur. Atq; hæc Hip. eſt ſententia omnē autumantis factam præter rationem corporis gracilitatem eiuſdem imbecillitatis ſignum eſſe. Nos verò eius orationi aliam affectionē addemus, quæ & ipſa tanquā cauſa quædā gracilitatis in febribus exiſtit. Ea humorū eſt tenuitas & corporum raritas. nam hæc duo cōiuncta ſi fuerint, quàm ocyſsimè per occultam illam cutis perſpirationē quam ἄδηλον διαπνοὴν Græci appellant, corpora vacuari contingit. quemadmodum in contrario affectu humorum ſcilicet craſsitie & corporum denſitate, nec humorum fieri vacuationem, nec corporis conſidere tumorem, ſed ſibi ipſi cōſtare videmus. Affectum hunc deſignabat Hip. quum in vltima aphoriſmi parte morbi diuturnitatem ſignificari diceret. Oppoſitum verò huic affectum ſilentio prætermiſit,quem ſi addamus,integram & omnibus ſuis partibus conſtantē efficiemus orationem quàm fieri poteſt

pauciſsimis comprehenſam hoc modo. Haud omninò leuiter febricitantiũ conſtare ſibi corpus nec concidere aut etiam colliqueſieri magis quàm ratio poſtulat, malum. Nam quòd idem permaneat tum ob cutis denſitatem, tum propter humorum craſsitudinem accidere ſolet: qua ex re morbi indicatur lõgitudo. Colliqueſit verò quum propter humorũ tenuationẽ & cutis laxitatem, tum interdum etiam propter virium ſolam imbecillitatem.

XXIX.

Ἀρχομένων τῶν νούσων, ἤν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν.

Sub principio augmentũ continet: id apparet ex eo quòd à principio ad vigorẽ protinus trãſilierit.

Incipiẽtibus morbis ſiquid mouendũ videtur, moue: Vigẽtibus autem quieſcere multò præſtat.

Hoc quamobrem cõſulat, ipſemet conſilij ſui rationem adfert ſequenti aphoriſmo, quem ſi cum præſenti copules, totam eiuſmodi orationẽ efficies, Incipientibus morbis ſiquid mouendum videatur moue. vigentibus enim quiete vti melius eſt. Nam morborum initio & fine remiſſiora ſunt omnia, in vigore fortiora. vbi ad dictionẽ omnia, addere oportet ſymptomata. De iis ſiquidem enuntiauit vocem omnia. Nã affectus qui ſymptomata gignit, quem morbum appellamus dum viget

viget non eſt omninò fortior, ſed in iis qui ſeruari debent multò melior quàm morbi initio. in quibus vtique Hip. quiete vtendum eſſe conſulit, per morborum initia nobis ſiquid mouendum videatur mouentibus. Nam non ſolo vigore exitialium morborum aduentante, ſed nec aliis etiam temporibus ſummum incrementum præcedentibus quidquam mouendum: nobis illud ſemper memoria tenentibus, deploratorum non eſſe ſuſcipiendam curationem, ſed cedere abſiſtereque cum ea prædictione oportere, quiſnam ſit morbi tandem futurus exitus. Aliorum verò morborum in quibus ſalutis ægri ſit ſpes aliqua, per initia danda eſt opera, vt maiora adhibeantur remedia. nam de iis morbis dicebat Hippo. ſiquid mouendum videatur, moue. Præcipua autem in his remedia ſunt maximè quidem phlebotomia, nonnunquam verò & purgatio: quorum neutrũ in vigore venit vſurpandũ. Nam vt in libris criſeωn oſtendimus, tum temporis maximè fiunt morborũ coctiones. quæ quo citius fiant melius eſt per initia vacuare, vt minorẽ redditam eo modo materiam facilius concoquat natura: in vigore autẽ quo tempore maximè in coctionem morbi incumbit,

vacuare fuerit ſuperuacaneũ, quum aliis de cauſis, tum quia animalis omninò virtus fatigata laborat, licet duæ aliæ vitalis & naturalis fortes eo maximè tempore permaneant.

XXX.

Περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα· περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότερα.

Circa initia & finem morborum remiſsiora ſunt omnia, in vigore vehementiora.

Symptomata omnia morbis incipientibus & deſinentibus imbecilliora, vigentibus fortiora eſſe affirmat, febrium ſcilicet acceſsiones, vigilias, dolores, implacidam moleſtámque corporis iactationem & afflictationem irrequietã, & ſitim intelligens. Nam affectiones ad quas iſta conſequuntur, per vigorem vt meliores exiſtãt eſt neceſſe. in iis certè quidẽ ægrotis qui incolumitati ſunt reſtituendi.

XXXI.

Τῷ ἐξ ἀῤῥωστίης εὐσιτέοντι, μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

Si à morbo bellè comedenti corpus non proficiat, malum.

Præſentem aphoriſmũ & proximè ſequentem cõiungi oportuit cum eo quem ſuprà his verbis poſuit, Si à morbo cibum adhibens quiſpiam vires non recipiat.

Eo

Eo enim aphoriſmo, pro ea dictione qua nunc eſt vſus ἐυσιτέοντι ſcilicet, id eſt benè comedenti, quum τροφὴν λαμβάνοντι eo loco, id eſt cibum adhibere dixiſſet, ſatis indicare viſus eſt ſe de ſymptomate eo intelligere quod accidit quum corpus alimentum non ſentit nec vires recolligit. Hîc itaque illud cibum aſſumere vtrique commune aphoriſmo ſeruauit, ſed ſymptoma vires ſcilicet non recipere nonnihil immutauit, aſcripto tamen quod ei ad proportionem reſponderet. Nam vires non recipere, & corpus non proficere inter ſe ſunt quodam modo ſimilia. illud ſiquidem ad eam pertinet virtutem quæ corpus moderatur & regit, hoc autem corporis ipſius eſt affectus. Porrò in eutrophiam id eſt probam ſui nutricationem corpus non proficere, id tum propter ipſius altricis virtutis imbecillitatem, tum etiam interdum propter humorum peccantium redundantiam accidere putandum eſt.

XXXII.

Ὥσ τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ἐυσιτέοντες καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν. οἱ δὲ κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον ἐυσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Qui

* *Qui aduerſa valetudine abundè initio comedunt nec proficiunt, ij ferè tandem omnes in cibi faſtidium incidunt: Contrà, qui initio forti inedia vſi, cibum poſteà appetere incipiunt, inualetudine facilius liberantur.*

Et hic quoq; aphoriſmus de iis qui ſeſe recreant & recipiunt ex morbo dici videtur. ſiquidem non proficere, alimentáve non ſentire, cum alij complures, tum Hippo. ipſe de conualeſcentibus dicere conſueuit. Si itaque initio quiſpiam auidè comedens, corpus non recipiat, qua de cauſa is non reficitur, eam ob rem poſt ea cibum malè appetet. Iam verò initio cibum appetit nec proficit, propter partium appetentiæ ſeruientium robur, & corporis totius prauitatem & vitium. quo quidem totius corporis vitio temporis progreſſu propter alimentorum copiam aucto, ipſum quoque nonnihil appetentiæ inſtrumentum labefactari ac deprauari par eſt. Vnde fiet vt cibum reſpuant & auerſentur qui prius magna appetentia aſſumebant, quos ἐνσιτοῦντας rectè appellauit, quaſi cibi appetentes dicas. quod ipſum in ſuperioribus aphoriſmis in hãc ſententiam dixerat, Si verò citra modum & parcè epulanti idem accidat, vacuatione indigere ſciendum. Qui verò per initia

tia tam fortiter cibum aſpernabantur vt parum omninò ſumerent, poſtea autem in contrarium acti appetunt, eos facilius morbo defungi affirmat. eiuſmodi autem in contrariũ facta eſt mutatio, poſtquam natura quo tẽpore valdè tenuiter & modicè viuebant, affectionem eam, ob quam initio grauatim cibo vtebantur, cõcoxit.

XXXIII.

ἘΝ πάσῃ νούσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν· τὸ δ᾽ ἐναντίον, κακόν.

In quouis morbo valere rationem, rectéque ſe ad ea quæ aſſumuntur habere, bonum: Contrà verò habere ſe, malum.

Non ſi quid ex iis quæ corpori accidunt bonum eſſe dicat Hipp. propterea hominem omninò euaſurum eſſe putandum: nec ſi malum, idcirco protinus moriturum affirmandum. Nam bonum etiã ſignum, à maiore malo vinci poteſt, contráque malum, à potentiore bono. Quare eiuſmodi ſententias ſic accipere oportet, ſolùm vt id quod dicitur intelligatur, hoc ſcilicet quantũ in ſe eſt ſignum bonũ eſſe: & illud, duntaxat quantum in ſe eſt ſignum eſſe malũ. De hominis verò ſalute aut morte priuſquàm affirmetur quicquam,

quam, omnium ſigillatim ſignorum vires attentius reputaſſe & perpendiſſe, ſicque demum de morbi exitu pronunciare oportet quemadmodum facere in prognoſtico conſulebat. Sic ſanè hoc loco mentem conſtare & appetentiam permanere inter bona ſigna in omnibus morbis ſtatuit. quædam enim non in omnibus morbis bona ſunt, quod & ipſe ſignificare cõſueuit his verbis, Spirãdi facilitatem (quã εὔπνοιαν vocat) in omnibus morbis acutis maximam ad ſalutẽ vim obtinere credendum. Iam verò quòd ſana mente eſſe, inter bona ſigna ſit recenſendũ, hinc ſcire licet. Cerebrum enim ipſum & meningas, dorsíque medullam & diaphragma, omnes denique generis neruoſi partes & inter eas maximè quæ propius cerebrum ſitæ ſunt, ſi probè ſuis muniis ratio fungatur, ſanas integráſq; eſſe teſtatur. quemadmodum etiam partes ad vẽtrem & iecur & cor ipſum attinentes validas eſſe iudicamus, ſi ægri ipſi impigri ad ciborũ ſumptionem & parati fuerint. Quæ omnia ſi ſana ſunt, non paruam de ægrotantis ſanitate ſpem concipere licet.

XXXIIII.

EN τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ

καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἢ νοῦσος ἢ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τούτων.

Minus periculosè ægrotant, quorum vel naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris morbus eſt, quàm quibus horum nullo affinis cognatúſque exiſtit.

Ægrotantium naturæ, ætati, conſuetudini, & tempori conſentaneus morbus, diſſentaneo minus periculoſus.

Quum multifariam dicatur natura, in eo ſignificatu nunc accipienda eſt, quo ſæpius Hippocr. cum multis aliis locis, tum maximè toto de natura hominis libro vſus eſt. quo loco ex primis elementis temperationem appellat naturam, quaſi ita nunc diceret, à morbis periculi minus impendet iis quorum & primæ corporis temperationi, & præſenti vel ab ætate, vel conſuetudine, vel parte anni acquiſitæ & aduentitiæ naturæ familiaris morbus eſt, quàm quibus horum nullo affinis cognatúſque exiſtit. Nam & naturæ & ætati & habitui & parti anni & tempeſtati cœli & regioni calidioribus familiares propriíque morbi ſunt calidiores, vt iiſipſis frigidioribus frigidiores eadémque ratione ſiccioribus ſicciores, & humidioribus humidiores morbi conueniunt. At contrarium dixit Diocles libro de ſeptimanis. ſiquidem qui eius dicta literis mandarunt, à ſimilibus quidem concitari, à contrariis

contrariis ſolui morbos obiiciunt:quando vel ipſo tradente Hippocr.contrariorum ſint contraria remedia. Cauſum itaque hybernum æſtiuo autumant curatu faciliorem eſſe. non vtique recordantes hyeme Cauſum non fieri, niſi affectione eum accendente maxima. Neque is aliter initio conflari potuiſſet, niſi cauſæ vehementia hyemis contrariam & repugnantem qualitatem viciſſet ac ſuperaſſet. Vbi ergo cauſæ magnitudinem prohibere aut reprimere temporis non potuit contrarietas, adiutricem licet corporis ſanitatem haberet, multò profectò minus in morbo (quo tempore integra illa & incolumis corporis firmitas abeſt)eam vincere domaréque poterit. Sed id vel experientia compertum probatúmque eſt. Ex duobus enim pari magnitudine Cauſis, qui hyeme ortum habet, pernicioſior. Nam calidiore cœli ſtatu ſi ſit genitus, & repentina fiat in frigidiorem cœli conditionem mutatio, á circunſtante aêre frigido talis Cauſus iuuatur magnopere, vtroq; ſcilicet ipſi fauente tempore, priore quidem in quo initium habuit vt ſigno, poſteriore verò in quo ſolutionem vt cauſa. Hæc igitur omnia aphoriſmum probare potius:quàm cum eius ſententia

pugnare.

pugnare videntur. Quin & illud, In valde ſenibus raucedines & diſtillationes coctionem non admittunt, cum præſenti minimè pugnat aphoriſmo, etiamſi eiuſmodi ſint ſenilis ætatis proprij & peculiares affectus. Primùm quia inter ſe iſta differunt, coctionem non admittere & periculoſum eſſe. Deinde quòd non abſolutè, ſed addita particula valde ſenes dixerit. In his enim propter virium imbecillitatem morbi quilibet ſuſpecti ſunt & periculoſi. Pariter nec illud ſuprà dictis aduerſatur, quod epidemiωn primò legimus, Atque ij maximè de vita decedebant, quorum eſſet ad tabem prona propenſáque natura. neque enim tum ex elementis temperationem, ſed corporis formam intellexit naturæ nomine. ſiquidem hanc etiam interdum naturam nominãt. Et quemadmodum certò dicere poſſumus eos qui calido temperamento ſunt, calidis morbis minus periclitari, ſic qui arcto ſtrictóque ſunt pectore (quos Græci ſtenothoracas vocant) nõ ſolùm promptius tabe corripi, ſed correptos etiam in maiore verſari periculo qui dixerit, à verò haud diſceſſerit. Nonnulli tamen eorum qui aphoriſmos explanarunt, hiſce & ſimilibus, quæ probabilitatem habere

viderentur decepti,familiarem ægrotantis naturæ morbum interpretati ſunt,qui ſit temperamento cõtrarius,perindè quaſi aptus idoneúſque morbus dicatur:toto (quemadmodum demonſtrauimus) cœlo,quod aiunt, & à rei veritate & Hippocratis ſententia aberrantes.

XXXV.

ΕΝ πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὸ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι. τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς, μοχθηρόν. Ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

In quouis morbo partes ad vmbilicum & infimum ventrem attinentes craßiores eſſe præſtat.harum ſiquidem extenuatio & tabes mala: Sed ad inferiores quoque purgationes parum tuta.

Conſtat abdominis,quòd epigaſtrium Græci dicunt, vniuerſam regionem omni affectione præter naturam vacare debere.quod in prognoſticis quoque dixerat his verbis,Hypochondrium optimum quod indolens,molle & æquabile.Ea verò de quibus nunc verba facit abdominis loca aliâs craſsiora ſunt,aliâs macilentiora,quæ craſsiora meliora, quæ macilentiora deteriora eſſe affirmat & vt ſigna &

vt cauſas. Signa ſiquidem ſunt imbecillitatis partium macie extenuatarum: cauſæ verò, quòd & in ventre propterea minus probè ciborum fiat coctio, & in iocinore chyli in ſanguinem mutatio, quæ exhæmatoſis Græcis dicitur. Haſce enim partes ambas ſua craſsitudine fouendo iuuant imbi incubantia corpora: quibus vtique macie extenuatis, earum actiones in tantum lædi debilitarique contingit, quantum integris illis per ſanitatem iuuabantur. Quòd eorūdem corporum extenuatio ad infernas quoq; purgationes parum ſit tuta, neminem latere arbitror. Nam partes infra thoracē omnes robuſtas validáſque eſſe oportet, ſiquidem fœliciter purgationibus auxiliari debeant, Alioqui magnopere offendantur ac lædātur neceſſe eſt. Quamobrem autem de ſolis infernis purgationibus mentionē fecerit quærere alienum non erit. nam & quæ ſupernè id eſt vomitione purgationes fiunt, iis qui eiuſmodi partium attenuatione laborāt periculoſæ. An has tanquam omnibus notas prætermiſit, illarū verò mētionem fecit tanquam notiorū? ἦτρον autem priuatim eam abdominis regionem appellat, quæ pudendum & vmbilicum interiacet: vt totum epigaſtrium

in tria diuidatur, hypochondriũ, ad vmbilicum regionem, & τὸ ἦτρον, id eſt ventrem imum quem & hypogaſtrium appellant.

XXXVI.

OI ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι, ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

Qui corporum ſalubritate ſunt præditi, purgante hauſto medicamine ſtatim deficiunt, vt & qui prauo alimento vtuntur.

Qui corporum ſalubritatem integritatémque habent, ij iure optimo medicamentis purgantibus concidunt ac deficiunt. ſiquidem ij colliquefiunt nõ purgantur. Qui verò prauo alimento ſunt vſi, propter vitioſorum humorum copiam facilè ſoluuntur & fatiſcunt, ſi quando purgationibus * vtantur. Siue autem intra corpus recipienda cibaria, ſiue in ipſo iam contentum vitium dicat, vtraque vera eſt oratio. Siquidem praua alimenta prauum gignunt ſanguinem. Vitioſa itaque edulia dicentur ad ſanguinem, qui inde gigni debet, reſpectu habito.

** In cachecticis vt hydropicis morbum victu & cæteris tenuantibus paulatim demoliri oportet, nec niſi poſt coctionem & per magna interualla purgationes exhibere.*

XXXVII.

OI εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ὀκνώδεες.

Qui integra ſunt corporis valetudine, medicationes ægrè moleſtéque ferunt.

Medicationis verbum vſurpare cõſueuit Hippo. in iis qui non quoduis, ſed purgatorium duntaxat hauſerunt medicamentum. Superiore itaque aphoriſmo vnum ex iis quæ ipſis ſolent accidere, indicauit. deficere enim dicebat celeriter qui ſecunda valetudine purgans ſumpſiſſent medicamentum. Nunc verò orationem de iiſdem generalius extulit, ipſos affirmans ægrè ac difficulter ferre purgationes. ſiquidem vertigine ac torminibus vexantur, ægréq; ipſis purgatio procedit, atque exanimantur præterea & celeriter deficiunt. Quæ omnia ideò ipſis accidunt, quia purgans medicamentum familiarem propriúmque humorem, exempli gratia bilem alterutram, aut pituitam, aut aqueam ſuperfluitatem nitatur attrahere, ſed eo deſtitutum, ſanguinem liquet & carnes, vt ex ipſis ſibi quicquid proprium familiaréque eſt attrahat.

XXXVIII.

Το σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον.

Paulò peior, ſed ſuauior cibus ac potus, meliori quidem, at ingrato præferendus.

Non id in gratiam ſolùm ægrotantis, ſed ad maiorem quoque eius vtilitatem facere medicum oportet. nam quæ libenter & magna cú voluptate aſſumimus, ea arctius complectitur, omníque ex parte appreſſus concludit & retinet ventriculus, atque multo facilius concoquit: Inſuauia verò & ingrata reſpuit vt pote vel nauſeam vel inflationem vel fluctuationem parientia. Quæ mala cum in plurimis iíſque euchymis cibariis accidát, paulò alioqui peior cibus, non ſolùm deterior amplius non eſt iis quidem certè qui libenter & magna cum voluptate aſſumunt, ſed melior etiam interdum redditur.

XXXIX.

Οἱ πρεσβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον· ὅσα δ' ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Magnam partem ſenes iuuenibus minus ægrotant: Semel autem diuturnis morbis correpti ferè vnà moriuntur.

Senes non omnes iuuenibus minus ægrotant, ſed ex ipſis duntaxat qui moderatam atque temperatam vitam agunt. Nam intemperantius qui viuunt, morbis magis patent, quippè qui propter ætatem iuuenibus ſint imbecilliores. Diuturnas autem ægritudines cõplures ad mortem

vſque comitari ſenectutẽ eſt manifeſtum. ſiquidem & potentia ipſa adeò eſt imbecilla, vt facilè morbos per eam ętatem coquere nequeant, & frigidi ſunt diuturni morbi omnes. quò fit vt ſenibus frequentius quàm iuuenibus accidant. Sibi enim cognatis quiſque & familiaribus morbis promptius corripitur.

X L.

Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

Deſtillationes & grauedines coctionem in valde ſenibus non admittunt.

Si hos inter ſe copulauerimus aphoriſmos, talis erit vtriuſque ſententia, Maximam partem ſenes iuuenibus minus ægrotãt: Qui verò diuturni ipſis accidunt morbi, ferè vnà cum morte terminantur. ſiquidẽ in ipſis valde ſenibus deſtillationes & grauedines coctionem nõ recipiũt. vt ſit hic aphoriſmus velut quoddã præcedentis exemplum. neque enim hi ſoli morbi, ſed nephritis quoque, podagra, arthritis, iſchias atq; coli & ſplenis affectus frigidi ad mortem ſenes comitari ſolent. Adhæc aſthmata, tuſſes, ſpinæ itẽ extrorſum vel introrſum, & dextrorſum ſiniſtrorſũmve peruerſio torſióque (primum Græci κύρτωσιν & κύφωσιν, id eſt gibbum,

ſecundum λόρδωσιν, id eſt cauitatem, tertium σκολίωσιν, id eſt obliquitatem ſpinæ vocant) cæteríque id genus affectus ex frigidis humoribus ortum habentes: qui à quibuſdam iuuenibus nedum à ſenibus difficulter percoquuntur.

XLI.

Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.

Qui ſæpe & vehementer ſine cauſa manifeſta animo linquuntur, ij derepentè moriuntur.

Non omnes qui animo deficiunt repentè moriuntur, niſi determinatè ipſis tres conditiones addas, quarum vna eadémque prima eſt, ſi ſæpè, altera ſi vehemēter, tertia ſi ſine cauſa manifeſta id patiantur. nam & cuidam mulieri ſi diutius in balneo commorata fuiſſet, frequenter oriebatur animi defectus, tū propter temporis longinquitatem, tum quia malis plerunq; lignis balneū ſuccēdebatur. verum hoc non erat mortis ſignū, quum cauſam haberet manifeſtam. Idē quoq; altera patiebatur vteri ſtrāgulationibus obnoxia. Quidā etiam ſi diutius cibo abſtinuiſſet, inter lauandū deficiebat. Alteri ſi vel per horam lauabatur idē vſu veniebat, niſi panis pauxillū antè ſumpſiſſet. Quibus profectò omnibus erat os vētriculi vel imbecillius,

cillius, vel admodũ ſenſile. Qui verò propter nullam eiuſmodi cauſam ſæpè & vehementer exanimantur, ij propter imbecillitatem * animalis virtutis id mali patiuntur. quo modo is cui vnà cum animi deliquio cordis vehemens palpitatio acciderat, derepentè de medio ſublatus eſt. Quod idem iis quoque euenire ſolet, qui acutiſsimis animi deliquiis, quas cardiacas ſyncopas appellant, corripiantur. *Vitalē intelligit.

XLII.

Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον, ἀσθενέα δὲ οὐ ῥηΐδιον.

Apoplexiam fortem nullo prorſus modo, debilem ægrè curaueris.

Qui apoplexia (qua de hîc agit Hipp.) percellũtur, ij totius corporis ſenſu & motu repẽtè priuãtur, ſola reſpiratione excepta. nam ſi & ipſa prohibeatur, eiuſmodi maxima eſſe ſolet & acutiſsima apoplexia. Quibus verò reſpiratio ſeruatur quidem, ſed cũ magna violentia procedit, ea fortis ac vehemẽs eſt apoplexia. vehemẽs quoque, ſed minus adeſt iis qui neq; contentã, neque violentã, inæqualem tamen inordinatámque & intermittentẽ habent reſpirationem. Siquidem in quibus ordinem aliquẽ ſeruat, *debilis eiuſmodi cenſenda eſt apoplexia, quam ipſam fortaſſe *Debilis apoplexia.

ferè in paralyſim alterius lateris deſinit, protruſa in ſpinalẽ medullam materia.

curabis, ſi quæ ad eius curationem pertinent omnia ritè adminiſtraueris. Omnis porrò apoplexia fit facultate animali in partes capite inferiores influere prohibita, ídque vel propter quandam affectionem à calida materia (ſic enim hoc loco φλεγμονώδη διάθεσιν interpretari placuit) in ipſo cerebro conſiſtentem, vel eius ventriculis pituitoſo humore oppletis. Cauſæ verò magnitudinem, affectus ipſius vehementia conſequitur: qui ferè læſa reſpiratione incurabilis euadit. Sed mirum videtur quî fiat vt aliis omnibus muſculis ſtupentibus per apoplexiam & immotis, ſoli thoracem attollentes & dilatantes muſculi ſæpè moueantur, quamuis id vix ægréque fiat. Quod ſanè propter neceſsitatem reſpirationis, vim neruis contẽtam excitantis ad actionem accidere videtur. Ob eámque cauſam omninò in apoplexia qui thoracem attollunt muſculi omnes agũt. quamuis antè raro omnes, exempli gratia in vehementiſsimis corporis exercitationibus agerent. Si quidem propter eiuſmodi motus vehementiam reſpiratione opus eſt quàm maxima. Secus habet in apoplecticis (quos attonitos latinè poſsis dicere) neque enim quia reſpirandi aucta ſit neceſsitas, ſed propter virtu-

tis imbecillitatem mutuò auxiliari coguntur omnes muſculi thoracem diducentes. quemadmodū alioqui in iis etiam qui propter febres imbecillam virtutem habent, ſeſe eadem de cauſa omnes mouere coguntur, ſingulorum actiones in ſummam vnam colligentes illam certè quidem minimè contemnendam.

XLIII.

Τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταδυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν, οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

Strangulati aut ſuffocati, nondum tamen mortui, ad ſe non redeunt, quorum circa os collecta ſpuma apparuerit.

Spumæ generatio omnis duarum ſubſtantiarum miſtura perficitur, quarū ſpirituoſa vna eſt, altera humida. Hæ autem inuicem permiſcentur, in multas partes fractis vtriſque & comminutis, atque plurimas inter collidendum paruas bullas excitantibus. Quòd ſi ita fractus humor (cuius cum ſpiritu circūplicatione & complexu bullas excitari contigit) craſsitudine viſcidus fuerit, tū inde nata ſpuma ſolutu difficilis & conſtās euadit: cuiuſmodi maximè curſu fatigatis equis atq; iracundia permotis apris circa os colligitur. Subſtantiæ porrò vtriuſq; comminutio- *Spumæ materia.*

nis

*Spuma cauſa efficiens.

nis & * permiſtionis cauſa aliàs exiſtit vel vtriuſque vel alterius tantùm motus violentus, aliàs calor vehemens, niſi quis fortè hunc ſuo quoq; motu ſpumam excitare dicat. Verùm rei euidẽtiam ſecutis cautius & certius fuerit, ſi duplici eius generatione cõſtituta, in mari quidẽ vento vehementius ingruente, propter verberatũ vehementem excitari ſpumam, in feruẽte lebete ob calorẽ fieri dixerimus: ſicq; corporibus animalium per conuulſiones epilepticas iactatione & motus violentia, in apris calore ſpumã naſci ſolere: equorum verò curſu, vtriuſq; cauſę vehementiã locum habere. Quum enim inter reſpirandum aër intrò ac foras continenter feratur, tum ſaliuam ipſis tenuari, tum ex pulmonibus vaporis inſtar elatum quiddam ipſi permiſceri & cõplicari accidit, quod gignendæ ſpumæ adaugeat ſubſtantiam. Nam qui ſpumam eiuſmodi ex ventriculo efferri arbitrantur, ij profectò mihi in magno errore verſari videntur. Quum enim tum animans nec vomat nec omninò nauſeet, citra quæ ſymptomata ex ventre nihil efferri queat, indè certè quidem ſpuma vt cõfertim tollatur, fieri nullo modo poteſt, multóq; minus vt vapor vllus, ſimiliter ei qui reſpirando efflatur: quando

do eiuſmodi nulla ex ventriculo educatur ſubſtantia, qualem inter reſpirandum pulmo exhalat. Nã & ſanguis qui ex pulmone reiectatur viſceris colore ſpumoſus exiſtit, qui verò ex ventriculo effertur, cũ eo nullam habet affinitatem. Sed quæ ex pulmone ſimul cum ſanguine ſpuma educitur, ea confertim & cum tuſsi reiicitur, qui verò paulatim ex tali humore vapor efflatur, is tuſſes non mouet. Collò itaque arctius iniecto laqueo, efflare quidem cor & pulmo excrementum fuliginoſum habent neceſſe (ſic enim demõſtrauimus in eo libro qui nobis de reſpirãdi neceſsitate eſt ſcriptus) ſed laqueo prohibitus pulmo totum violenter ad exitum impellit, ſimúlq; cum eo humiditatis propriæ aliquid expellit, quemadmodum in ſanguinis fit reiectione. Exitiale igitur eiuſmodi ſignum eſt, vtpotè vis quę pulmoni adfertur index dum ſtrangulatur animans. quod ipſi accidere veriſimile eſt, calente materia in ipſum à corde cõpulſa. Quum igitur & feruore calidæ materiæ, & ſpiritus violento motu & ipſius pulmonis vehementi cõtentione ſpuma reiectetur, ſignum inde ſumptum meritò cẽſetur mortiferum. Nonnulli tamen, quibus ſtrangulatis ſpuma circa os apparuerat, ſibi ſunt

(quamuis

(quamuis id rarò accidat)reſtituit. Ac fortaſſe Hip. non quòd neceſſariò intereant, ita pronunciauit, ſed quia aliter eueniat rariſsimè. Cuius rei exemplum nobis paulò ſuprà intelligẽdum reliquit, quum diceret, Quibus per iuuentutem aluus eſt humida, his reſiccatur ſeneſcẽtibus. Nam eo aphoriſmo ſecuritatis & cautionis particulam, Plerunque, prætermiſit, quàm paulò infrà addidit his verbis, Qui aluo ſunt humida, iuuentutem quidem tranſmittunt facilius quàm qui aluum ſiccam habent, ſed difficilius ſenectute defunguntur: ipſis ſiquidem ſeneſcentibus aluus plerunque reſiccatur.

XLIIII.

Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

Qui naturâ ſunt valde craſsi, breuiore vita fruuntur quàm qui graciles.

Craſſos iam inde à prima ætate & graciles inter ſe comparans, de naturâ craſſis affirmat, quòd gracilibus minus diu viuant. Optimum ſiquidem eſt iuſto & quadrato corpore naſci, quod quadratum Latini, εὔσαρκον Græci vocant, id eſt inter craſsitudinem & gracilitatem modum tenere, vt nec craſsius corpus nec gracilius, ſed modicè carnoſum exiſtat,

ſic enim ad ſummam etiam ſenectutem viuere poſsis. Quòd ſi à modo recedatur, præſtat gracile quàm ſupra modum craſſum eſſe. Nam qui opimo ſunt corporis habitu, venas & arterias anguſtas & exiles, proindéque paucum omninò ſanguinem & ſpiritum habent: quo fit vt ipſis ætate prouectis leui occaſione citò extinguatur calor natiuus, qua ex re nullum impendet gracilibus periculum, ſed quia partes in his principes iniuriæ ſunt expoſitæ (quippe quæ propugnaculum & præſidium nullum aut certè tenue admodum habeant) propterea ab externis cauſis facilè offenduntur. Si qui autem naturâ ſymmetri, id eſt modicè corpulenti, pleniore poſtea victu & otioſa vita craſſi euaſerint, etiam ſi carnis & adipis copia acceſſerit, nihilo ſecius tamen amplas ipſi venas habent & arterias, ob eámque rationem in ipſis non minus ineſt caloris natiui.

XLV.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν τόπων, καὶ τῶν βίων ποιέουσι.

vide aphor 7. lib. 5.

Epilepſia laborantes pueros quum loci victúſque, tum maximè ætatis mutatio liberat.

Apoplexia & epilepſia inter ſe ſunt quodammo

quodam modo affines & cognatæ affectiones. Nam & eundem locum affectum & eundem humorem habent mali autorem. Hoc differunt, quòd apoplexia fiat propter virtutis ad neruos adfluentis plenam conſummatáq; priuationẽ: Epilepſia ob motum vitioſum & peruerſum. Quin-etiam vtriuſq; frigidus humor eſt & *craſſus. Quo fit vt adoleſcentium ætas temperamento nimirum ſicca & calida maximo ſit Epilepticis auxilio. Pariter & loci ad proportionẽ facta mutatio iuuat. ad proportionem intelligo, ſi in calidiorẽ & ſicciorem regionem migrarint. Par de victu habetur ratio: neque enim huius quæuis mutatio Epilepſiam ſoluere poteſt, ſed ea duntaxat quæ calidiorẽ efficiat & ſicciorem corporis habitum. Illud tamen abſolutè exaudire poſſumus, victus ſcilicet mutationem Epilepticis prodeſſe, quandoquidem vitioſa victus ratio affectum hũc ferè generet. Quare eiuſdem mutatio, in melius prorſus conuertet.

*Non tam craſſa materia eſt in epilepſia, ſed ſæpè tenuis & flatulenta.

XLVI.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον.

Ex duobus ſimul doloribus non eundem locum occupantibus qui vehementior eſt, alterius ſenſum obſcurat.

Si

Si quis locum eundem exactius ac preſsius intelligat, nunquàm eodem loco duo ſimul dolores fieri poterunt. Si verò latius, pro maiore videlicet quopiã membro, vt brachio, vlna, femore, tibia eundem locum interpretetur, ſimul tum dolores duo conſiſtere poterunt, ſed partis affectæ inter ſe vnà moleſtiam augebunt, altero dolore ægrotum minimè fallente. Verùm ſi locis diuerſis, exempli gratia in vlna vnus, alter in tibia fiat, tum à vehementiore alterum obtundi & hebeteſcere continget, tota nimirum ſentiendi facultate ad id quod magis vrget conuerſa & in diuerſum tracta. Idem per angores quoque & mœrores vſu venit, qui & ipſi citra corpus ſunt velut quidam animi morbi. Nam ex iis qui vehementiores ſunt, minores diſsimulant & obtegunt, duntaxat ſi non eadem de re hauſti ſint & concepti. Aliàs enim ſe inter ſe mutuo fouent & amplificant.

XLVII.

ΠΕρὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ συμβαίνουσι μᾶλλον, ἢ γενομένου.

Dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quàm confecto.

Pus ex ſanguine fit in ſemi vitioſam,

vt ſic loquar, mutationem degenerante. Nam quę mala omninò eſt ſanguinis mutatio, ea cum graueolente perficitur putredine, quemadmodum contrà quæ bona abſolutè exiſtit & benigna, ea corporis partium eſt nutricatio. Harum autem medio poſita eſt ſanguinis in pus mutatio, vtpotè quæ nec à calore præter naturam ſolo, nec à naturali peragatur. Proprius ſiquidem inflammationis calor ex vtroque miſtus eſt quodammodo. Cæterùm dolor fit tenſa ſimul & calfacta præter naturam parte inflammatione laborante. Febres ſequuntur, vbi cor ipſum vitæ princeps vnà accenſum fuerit. Ipſo verò velut feruore & crematione ſanguinis, vnà ſimul & dolores fiunt & febres. Ab eiuſmodi autem ſanguinis perfecta aduſtione pus fit reliquum, quomodo in combuſtis lignis cinis. Quare per id temporis tum dolores tum febres mitigantur, præſertim ſi pus eruperit, vtpotè materia iam conſumpta & extincto calore inflammationem faciente.

XLVIII.

Ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς, ἄκοπον.

Quoquo modo corpus moueatur, ſimul ac laborare cœpit, quies ſtatim laſsitudinem leuat.

Labo

Laborare verbum & dolere & defatigari ſignificat, atque vtroque ſignificatu vera eſt aphoriſmi ſententia. Siue enim propter plures motus doleant iam corporis partes, ſiue etiam ita ſint defeſſæ vt vix functiones ſuas obire poſsint, requieſcere ſtatim laſsitudinem diſſoluit.

XLIX.

OI εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, ἢν καὶ ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων, ῥᾷον φέρουσι.

Quotidianis laboribus aſſueti, etiam ſi inualidi ſint aut ſenes, inſuetis quamuis robuſtis & iuuenibus facilius conſueta ferunt exercitia.

Alia alij conſueta eſt exercitatio, vni cuipiã curſus aut quiuis alius motus qui cruribus peragitur ſolitus. Alteri conſertis manibus depugnare mos eſt, aut alia manuũ actione vti. Alij fodere humum, alij arare, alij remigare, alij denique aliud quiduis agere conſueuerunt. Atq; in eiuſmodi corporis fatigationibus & exercitiis quædam differentiæ ſumuntur, tum ex eo quòd pluribus aut paucioribus corporis partibus agentibus fiant, tum etiam quia has aut illas partes magis minúsve exerceant. Sed hoc omnibus eſt commune, vt exercitæ partes inexercitatis fortiores euadant & expeditiores, atq; ideò

labores conſuetos facilius ferant.

L.

TA ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν, ᾗ χείρω, τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε. Δεῖ οὖν καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.

Conſueta longo tempore etiam ſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta ſolent eſſe. Quare ad inſolita quoque facienda mutatio.

Non de exercitatione ſolùm vt præcedente oratione, ſed abſolutè de omnibus conſuetis ſuã hoc aphoriſmo fert ſententiam. qualia eſculenta & poculenta, balnei vſus, eiuſdémque inſolentia, vigilia, ſomnus, calor, frigus, curæ & ſtudia. Singula enim hæc quæ commemorauimus, quia conſueta ſunt, minus nocent quàm quę ſuaptè naturâ innocentiora nũquàm venerunt in conſuetudinem. Atque exercitationis quidem cõſuetudo ad partium agentium robur refertur, quemadmodum paulò ſuprà diximus. Rerum verò aliarum quid conſuetudo poſsit aperiendum hoc loco eſſe videtur. Cibus ac potus quũ in aliis ferè partibus, tùm maximè in vẽtriculo acquiſititiam & aduentitiam naturã efficiunt. quãuis enim à corpore quoad eius fieri poteſt maximè vincantur & mutentur, ipſum tamen ſecun-

dum

dum ſuam ipſorum naturã afficiunt quodam modo. Quo fit vt ſecundum ea ipſius magna longo tempore immutatio fiat, atque nutriendis concilietur cũ nutrientibus ſimilitudo, vt in eo libro demonſtrauimus quẽ de conſuetis inſcripſimus. quo loco illud etiam probauimus, à ſui ſimili vnumquodq; alterari & immutari promptius. Vnde fit, vt quanto ſimilius mutando corpori mutans fuerit, eo citius ipſum immutet & alteret. Quinetiã ab aliis omnibus in quibus verſatur & propinquat corpus quadãtenus efficitur, veluti in aẽre ambiente fit frigido aut calido, hoc rarefieri & laxari, illo denſari ſolitum. Quæ cauſa eſt, vt cõſueta ferãt facilius, inſolitis magis offendãtur. nam ſi caloris propinquitate aut conſortio rarefactũ corpus frigori derepẽtè occurrat, id eueſtigiò altius ſubiẽs & ſeſe penitius inſinuans lædit magnopere. Cuius rei cauſa ſingulorũ enumeratione quibus aſſueuimus declarata eſt in libro de conſuetudine. Iam verò norunt omnes quod experientia notũ compertúmque eſt, quódq; Hip. ſcribere contẽtus, eius cauſam aſcribere neglexit. Sed & ipſi eius inueniendæ anſam & occaſionem dedimus. Verùm hæc ſatis ſunt ad prioris aphoriſmi explicationem. Quod

ad finem ſcriptum reperitur, vbi ad inſueta iubet faciendá eſſe certo quodam modo mutationem, id ſanitatis certius cautiúſq; tutandæ gratia eſt additum. Siquidem vniuſmodi conſuetudo omnis Græcis μονοειδὴς dicta, id eſt certa quædam & ſtata, parum tuta ſolet eſſe: quandoquidem omnium hominum vita inopinatis incertíſque rerum caſibus ſit ſubiecta. Ne quãdo igitur inſolitis rebus & ex improuiſo incidentibus, aut occurrentibus grauiter offendamur, nihil nõ tentare & periclitari ſatius eſſe inquit Hipp. Quod fiet ſi non iiſdem in rebus & conſuetis ſemper immoremur & permaneamus, ſed inſolitas quoque interdum & contrarias experiamur atque periclitemur.

L I.

Τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερόν. καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον· τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλὲς, καὶ ἄλλως ἢν καὶ τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ.

Semel multum & repentè vel vacuare, vel replere, vel calfacere, vel refrigerare, aut alio quouis modo corpus mouere periculoſum: omne ſiquidem nimium naturæ inimicum. Paulatim verò quod fit, tutum, cùm aliàs, tum maximè ab

ab vno ad aliud facienda eſt mutatio.

Quamobrem vniuerſim & repentè im plere, aut vacuare, calfacere aut refrigerare, aut alio quouis modo corpus mouere periculo nõ vacet, ipſemet cauſam attulit, quum omne nimiũ naturæ inimicum eſſe, diceret. Naturæ ſiquidem ſubſtantia in ſymmetria, id eſt certa & cõmoda elementorum proportione conſiſtit. quam quidem ſymmetriam quum omne nimium corrumpat & labefactet, mirũ videri non debet ſi idem quoque animantis conſtitutionem reſoluat. Cõtrà verò paulatim, inquit, vel replere, vel vacuare, & cætera quæ deinceps commemorat facere, minimè periculoſum, cùm alias, tum maximè vbi à re quapiam conſueta ad alteram mutationem facere ſtudemus. nam in præcedente aphoriſmo conſulebat etiã ad inſueta tranſeundum eſſe. In eo igitur tranſitu, quod vniuerſim & repentè fit periculoſum, quod verò paulatim ſenſimq; progreditur, tutum.

L I I.

ΠΆντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένου τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Recta ratione facienti omnia ſi ſecundum eam

Quibus in iuuentute aluus eſt humida, in ſenectute reſiccatur.

L I I I I.

MΕγέθεϊ δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν, ἐλευθέριον, καὶ οὐκ ἀειδές· ἐγγηρᾶσαι δὲ δύσχρηστον, καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

Vt traducenda iuuentute liberalis & ſpecioſa corporis magnitudo, ita ſenectuti grauis & paruitate deterior.

Magnitudo corporis propriè appellatur ea dimenſio quæ in longum, latum & profundum iuſtam exuperat menſuram. Iam verò magnum quoque corpus interdum appellamus, quod ſolùm in longum amplius iuſto auctum eſt, quamuis huic longitudinis nomen ſit proprium. Similiter quod in latum & profundum legitimam proportionem exceſsit, magnum quandoque corpus nominant, quum tamẽ propriè ſi dicatur, craſſum vocari debeat. Si ergo eam corporis magnitudinem intelligi velit Hippo. quæ propriè dicitur, nihilò ſanè ipſa ſenectuti fuerit minore corporis ſtatura deterior: ſi verò longitudinem aut craſsitudinem corporis ſignificauit, hæ ſeneſcentibus tum grauiores, tum inutiles magis fiunt: ſed ne iuuentuti quidem liberalis & ſpecioſa corporis craſsitudo. de lõgitudine igitur ſola

verè dici poteſt, quòd in iuuentute quidẽ liberalis honeſtáque & viſenda res ſit, in ſenectute verò inutilis ac grauis exiſtat. incuruéſcit enim ſeneſcentibus, ſitq́; graue & moleſtum onus, quod Hippo. *δύσφορον*, id eſt geſtatu difficile dixit.

GALENI IN APHORISMOS,

Id eſt, ſelectas maximéque ratas Hippocratis *ſententias*,

COMMENTARIVS TERTIVS,

GVLIELMO PLANTIO Cenomano, interprete.

Tertio hoc in aphoriſmos Hippocratis commentario quæ ab ipſo de anni tempo ribus & ętatibus ſcripta ſunt exponemus, ea potiſsimum declarantes quæcunq; in ipſis obſcuriora videbuntur, (hoc enim proprium eſt expoſitionis munus) ſingulorum tamen quæ rectè dicta fuerint demonſtratione non omiſſa, quoniam hoc

quoque in commentariis fieri conſueuit. Satis autem hoc etiam loco Lyci inconſtantiam mirari nõ queo, qui vt ipſe quidem ait, Quinti præceptoris interpretationes ſcribat, nec eorum quæ de temporibus & ætatibus dicta ſunt demonſtratiuam vllam probationem adiiciat, ſed ad experientiam omnia & obſeruationem referat: quum tamen in multorum aliorum aphoriſmorum explanationibus rationalem de contenta in ipſis veritate diſputationem adhibeat, ſola experientia non contentus. quam quidem experientiam ſolam ad congerendam eiuſmodi commentationem ſatis eſſe non poſſe & Hipp. ipſe oſtendit, & orationis continuatione fiet manifeſtum.

I.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον οὕτως. Arist. p° probl. 3.

*Mutationes temporum * potiſſimum pariunt morbos, & in ipſis temporibus magnæ mutationes frigoris aut caloris, cæteráque ad proportionem his ſimiliter.* * *Magnæ & frequẽs ab aëre morborum occaſio.*

Per mutationes temporum quidã autumant commutationes eas dici, quibus

temp

tempora viciſsim ſe excipiunt & ſequuntur, quaſi ſucceſsiones & viciſsitudines diceret. nam hyemis in ver commutatione morbi illi generantur, de quibus in ſequentibus ſic ipſe loquetur, Vere furores, melancoliæ, epilepſiæ. Rurſúſque vere in æſtatem cõuerſo (id quod prima fit æſtate) febres inquit, continuæ, & tertianæ & ardentes, cæteríque morbi quos deinceps enumerauit. Similiter de autumno & hyeme ſcripſit, inquiunt illi qui mutationes & viciſsitudines pro eodem accipiunt. Cæterùm vox potiſsimum, orationi addita hanc aphoriſmi expoſitionem nõ admittit. Quemadmodum enim temporum commutationibus & viciſsitudinibus morbi quidam generantur, ſic iiſdem ſoluuntur: quod & Hippo. ipſe dixit. Quare ſucceſsiones temporum morbos nihilomagis pariũt quàm ſoluunt. Alioquin quonam modo ille ſolum ita dicere contentus non fuiſſet, mutationes temporum pariunt morbos, ſed potiſsimum addidiſſet? Melius itaque fuerit propter huius vocis additionem per mutationes temporum intelligere eorum naturæ & temperationis alterationes. Hæ ſiquidẽ ſunt quæ maximè pariunt morbos, quum plures deinceps fuerint aliáque aliã excepe-

rit

rit, quemadmodum in Epidemiis ſcriptũ reliquit, atque hîc non ita multò pòſt eſt dicturus. Vnius verò ſolùm temporis alteratio morbos certè quidem efficit, ſed nó præcipuè. Quando igitur morbi fient potiſsimum temporis vnius alteratione? quum eius ſcilicet magna contigerit mutatio. propterea enim dicebat, & in ipſis temporibus magnæ mutationes caloris vel frigoris vel alterius cuiuſdam vt humiditatis, ſiccitatis, ventorum, horúmve ſilentij & quietis. Hæc recta eſt interpretatio, aptè præſenti lectioni conueniens. Eſt & alia eiuſmodi lectio. Mutationes temporum pariunt morbos maximos, & in ipſis temporibus magnæ præſertim mutationes. quæ ſcriptura nullam obſcuritatẽ habet apud eos maximè qui ea quorum modò finem dicendi fecimus, intellexerunt. Sunt & aliæ quædam eiuſdem dictionis lectiones, quas facile ex iis quę diximus examinare poteris & intelligere.

II.

Τῶν φυσίων αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δὲ πρὸς χειμῶνα εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι.

Naturarum quædam ad æſtatem, aliæ ad hyemem benè aut malè ſe habent.

Naturas hîc appellauit Hip. in proprio maximè & primario ſignificato, quod ex ipſa

ipſa maximè ſubſtantia naturæ ſumitur, quam quidem ſuprà dicebamus eſſe temperationem ex quatuor elementis, humido, ſicco, calido, frigido. In opere quoque de temperamentis demonſtratum nobis eſt vnicum & ſingulare temperamentum eſſe eucratum, omnibus perfectionis numeris abſolutum, dyſcrata verò & à perfectiſsimo illo deficientia eſſe numero octo, quatuor vnica dominante qualitate, quatuor item alia duabus qualitatibus præpotentibus. atque vna quidem vincente, calida, frigida, ſicca, humida: duabus verò ſuperantibus calida & ſicca, calida & humida, frigida & ſicca, frigida & humida. Ad æſtatem igitur frigidæ & humidæ naturæ optimè habent, ad hyemem calidæ & ſiccæ: Calidæ contrà & ſiccæ naturæ æſtate malè afficiuntur, frigidæ & humidæ hyeme. Atque hæ quidem naturæ omninò ſeu vtriuſque qualitatis ratione ad dicta tempora optimè & peſsimè ſe habent: quæ verò vtracunque qualitate iuuantur à temporibus aut offenduntur, hæ non omninò benè aut malè, ſed mediocriter afficiuntur, vt humida & calida æſtate & hyeme: æſtate nanque vt humida, hyeme vt calida melius afficitur.

III.

III.

Τῶν νούσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι, καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας, καὶ χώρας, καὶ διαίτας.

Morbi alij ad alia tempora benè vel malè ſe habent. Et quædam ætates ad tempora alia & loca & aliud victus genus.*

* *Morbi alij ad alia tempora facilius, difficiliúſve generãtur & ſoluuntur.*

Inordinatius hunc aphoriſmum extuliſſe mihi videtur Hippocrates. Nam melius ita dici potuit, Morbi alij & ætates aliæ ad alia tempora & loca & victus genus benè & malè ſe habent. Benè itaq; ſe habent ad tempora morbi quod ad ſui generationem attinet ſimiles, quod ad ſolutionem contrarij. Hoc enim prius definiuimus, quũ exponeremus aphoriſmũ illum cuius initiũ, Periculoſè minus ægrotant. Aetates autem vt & naturæ frigidæ ad calida, calidæ ad frigida tempora benè habent, vt ſenum ætas ad æſtatẽ, iuuenum ad hyemẽ habet melius. Eadem ratione à locis quoque nõ morbi modò, ſed etiam ætates afficiuntur. morbi enim calidi locis calidis magis generantur & minus ſunt periculoſi: meliúſque valent in frigidis regionibus ætates calidiores, & in aliis ad proportionem. Sic ad victus genus alij ad aliud bene maléve ſe habent tum morbi, tum ætates. Nam calidiores ad

ad victus rationem frigidiorem, frigidiores ad calidiorem, & ſicciores ad humidiorem, humidiores ad ſicciorem benè ſe habent, & vt breuiter dicam, contrarij morbi & ætates ad contrariam victus rationem benè, ſimiles ad ſimilem malè habent, niſi ætas moderatior victui & tẽpori & regioni tẽperatiori cõparetur. Nam hoc ſolo modo ſimiles & ætates & naturæ à ſimilibus benè afficientur: his verò quæ immoderatius à tẽperie receſſerint, contraria tum loca tum tempora, tum victus ratio magis conferũt. Iam verò morbi omnes quum immoderationes quædã ſint, à ſimilibus, tum locis tum temporibus generantur, ſoluuntur à contrariis.

IIII.

EN τῇσιν ὥρῃσιν ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης ὁτὲ μὲν θάλπος, ὁτὲ δὲ ψῦχος γίνηται, φθινοπωρινὰ τὰ νοσήματα προσδέχεσθαι χρή.

In temporibus cùm eodem die modò calor modò frigus, autumnales morbi expectandi.

Meritò ſanè. neque enim appellationes temporum, ſed temperationes cauſæ ſunt morborum. Quum igitur à ſua natura deſciſcunt, morbos quoque diuerſos perturiant eſt neceſſe.

V.

NΟΤΟΙ βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοί, νωθροὶ

νωθροί, διαλυτικοί· ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι πάσχουσιν· ἢν δὲ βόρειον, ἢ βῆχες, φάρυγγες, κοιλίαι σκληραὶ, δυσουρίαι, φρικώδεες, ὀδύναι πλευρέων, στηθέων· ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ. τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή.

Auſter auditum hebetat, caliginem viſui obducit, caput grauat, corpori tarditatem & languorem cōciliat. Quum itaque is increbreſcit talia inualidis accidunt. Contrà Aquilo tuſſes mouet, fauces exaſperat, aluum indurat, vrinam ſupprimit, horrores excitat, lateris & pectoris dolores facit. Hoc itaque dominante, talia infirmos expectare oportet.

Auſtro hebeſcunt ſenſus omnes, languent corpora.

Aquilo neruoſas & frigidas partes lædit.

Rei quidem certè effectū ſignificauit, quum diceret, Auſter auditum hebetat, oculis caliginem offundit, caput grauat, torpentes & languidos efficit: Cauſam verò indicauit, quum illud aſcriberet, Quum itaq; iis increbreſcit, talia laborantes inualetudine patiuntur. Semper ſiquidem medicum ſeparare & ſecernere oportet id quod propter externā aliquam cauſam non ratione morborum accidit, vt certius præſagia capiat. Cauſam verò quamobrem auſter grauiorem auditum, & caliginoſum viſum efficiat difficile nō eſt ex eius tēperamento intelligere, quippè qui calida ſit & humida natura. Eiuſ-

modi enim omnia vim replēdi capitis obtinent, quæ eadē ipſa cauſa eſt, vt ſenſuū inſtrumenta humiditate multa inferciat, & capitis grauitatē (quā καρηβαρίαν Græcì dicunt) faciat. Iam verò principio neruorū humefacto, voluntarios motus torpere, & veluti ſolutū ſe & languidū ſentire hominē eſt neceſſe. Contrà aquilonia vt ipſe inferius dicet, tempeſtate cogūtur ac firmātur corpora, & robuſtiora vegetioráque fiunt, expeditiora itē & alacriora promptioráq; ad motū euadunt & audituvalentiora. Sed nūc iſta non oppoſuit iis quæ ab auſtro corpori accidunt, quia hoc aphoriſmo ſola ea quæ ab vtroq; vento importantur incōmoda perſequi propoſuit, vt perſpecta ea & cognita habētes ab iis ſeparemus quæ morborum ratione eueniunt. Aquilonio igitur, inquit, ſtatu fiunt* tuſſes propter inſtrumētorū videlicet reſpirationi ſeruientiū intemperiē & faucium aſperitatē inæqualitatémve. de qua loqui ſe oſtendit, quum fauces addidit, vt ſubaudiremus exaſperat verbum. Nā hoc quoq; pacto interdū loqui ſolet. paulò poſt enim dicet, Autumno multi æſtatis etiam morbi, quartanæ, errones, ſplenes. Poſſumus & coniunctim iſta duo legere, Aquilo fauces, aluū indurat, vt interpr

** Fiunt etiam per accidēs tuſſes, Aquilone plenius cerebrū conſtringēte & humiditatem ipſius in partes ſubie-ctas exprimente.*

terpretes nonnulli legendũ eſſe putarũt. Nã & fauces per tẽpeſtatẽ aquiloniã euadunt duræ,quia exiccantur & refrigerãtur, & aluus dura excernit:tũ propter tẽporis conditionẽ ad ſiccius vergentem toto ſicceſcente corpore, & propterea humidiores alimenti partes auidius ad ſe trahente,tum etiam quia diutius in corpore retenta ſuperuacanea nec permeantia tota exucta & arida reddũtur. Dyſuria præterea id eſt vrinæ reddendę difficultas accidit flante aquilone, propter frigiditatẽ offenſa veſica. nam exanguis eſt & frigida, & idcirco pluſquàm aliæ partes frigidis cauſis patens ab iis promptius afficitur. Eadem Boreæ frigiditas,thoracis etiã dolores facit, communi cũ aliis partibus noxa : accedẽte etiam reſpirationis læſione,quæ non pariter pulmonem & cor attingit ob caloris in ipſis contenti copiam. Homines verò vt aquilonia cõditione inhorreſcant, facit manifeſtò aëris ambientis frigida & ſicca natura.

V I.

ΟΚόταν θέρος γίνηται ἦρι ὅμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πολλοὺς προσδέχεσθαι χρή.

Quum æstas ſit ſimilis veri, ſudores in febribus multos expectare oportet.

tum effecerit, tales ferè morbos expectare oportet.

Siccitatibus non multas, ſed acutas febres fieri inquit. Siquidem paulò pòſt dicturus eſt, Ex anni cõſtitutionibus in vniuerſum ſiccitates aſsiduis hymbribus ſalubriores, ac minus mortiferæ. Rurſum illud deinceps coniungens, inquiet, Humidiore ac pluuio cœli ſtatu plerunque morbi fiunt, & febres longæ, ídque bona ratione fit. Nã aëris ambientis humiditas pituitoſos humores cõgerit, & non paruã cumulat aqueæ ſuperfluitatis copiã. Siccitas verò humores quidem minuit, ſed qualitate bilioſiores reddit. Quæ cauſa eſt vt ſicciore temporis cõditione febres numero quidem pauciores gignãtur quàm pluuioſa, ſed hæ acutiores fiant. Quæ in aphoriſmo ſequuntur, ſunt manifeſta.

VIII.

ΕΝ τοῖσι καθεστῶσιν καιροῖσιν ἢν ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδῶσιν, εὐσταθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίνονται. ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν ἀκατάστατοι καὶ δύσκριτοι.

Certis temporibus & ſuam tempeſtiuitatem ſeruantibus certi & tempeſtiui ac iudicatu faciles morbi fiunt. Incertis autem & alienis, incertæ quoque ægrotationes fiunt & ad indicandum difficiles.

Καθεστῶτας καιροὺς (latinè ſtata, debita,

ordinata & conuenientia tempora dicere poſsis) appellat Hippocrates, partes anni ordinatim & tẽpeſtiuè ſuam temperationem ſortitas. Quẽ verò annum *καθεστῶτα* (Latinè, rectè atque ordine conſtitutum annum dicere potes, vel qui temporũ vices benè conſtitutas & tempeſtiuè diſpenſatas habet) idem Hippocrates vocet, ex eius libello de aquis, aëre & locis diſcere licet. Si inquit, ſyderum ortu & occaſu cõuenientia hæc ſigna appareãt, ſi autumno fiant pluuiæ, & hyems moderatior, neque nimis tepens & humida, neq; frigore excedens tempus legitimum, ſi vere & æſtate hymbres fiant tempeſtiui, ſic demũ annus euadet ſaluberrimus. Quum itaq; audieris quem annum *καθεστῶτα* dicat, facilè quem *ἀκατάστατον* appellet potes intelligere. Quæcunque enim tempora parte aliqua non ſeruarint anni benè conſtituti moderationem, ea *ἀκατάστατα*, id eſt, incerta, aliena, inordinata & intempeſtiua nominat, & morbos qui in ipſis gignuntur ſimiliter *ἀκαταστάτους* nuncupat, quos *δυσκρίτους* etiam, id eſt, *κακοκρίτους* vocat. vel enim cũ grauibus ſymptomatis & periculoſis Criſes in talibus morbis fiũt, vel præſenti ſunt exitio, vel reſtibili denique ſemine rediuiui ac reduces morbi fiunt.

I X.

Ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θα-
νατωδέσταται τὸ ἐπίπαν· ἦρ δὲ ὑγιεινότα-
τον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

Autumno in vniuerſum morbi acutißimi & pernicioſißimi: Ver autem ſaluberrimum & minimè exitioſum.

Quum anni tempora ſingula ſuam & conuenientem ſeruant temperationē, inter ea ver eſt ſaluberrimum, vt pote quod eucratum exiſtat & moderatum: morbos autē acutiſsimos & pernicioſiſsimos quātum in ipſis quidē eſt temporibus, autumnus adfert. Siquidem ver magnam cœli temperiē habet: Autumno verò hoc imprimis mali ineſt, quòd eodem die modò calor, modò frigus dominetur: deinde æſtatem excipiat, in qua humores multis aduſti, quibuſdā vires etiā ſunt debilitatæ. Nec verò ſola hac ratione morbifer autumnus, ſed quia humores etiam, qui prius ad cutim mouebātur, atq; eiuſdem perſpiratu digerebātur, per autumnū ab aêris ambientis frigore pellantur in profundum & intrò cogātur. Atq; hæc ſunt omnium hominū communia. Iis verò qui vitioſo victu vtuntur auctarij vice poma accedunt, quibus abundè repleti facilè malorum humorum copiam colligunt.

X.

Τὸ φθινόπωρον τοῖς φθίνουσι κακόν.

Autumnus tabidis nocuus.

Autumnum aliis etiam de cauſis incuſabat ſuperiore aphoriſmo, eundem nunc vt tabidis eximiè & præcipuè nocentem rurſum damnat. Iam verò vtrum eos ſolùm tabidos appellet, qui phthoē laborāt quibus vlceratus ſcilicet pulmo eſt, an omnes quacunque occaſione colliquefactos & macilentos coniicere non poſſumus. Verùm vtriſque conſtat autumnum eſſe aduerſum, quum ſiccus ſimul ac frigidus & inæqualis exiſtat.

XI.

Περὶ δὲ τῶν ὡρέων, ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τὸ θέρος πυρετοὺς ὀξέας καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας γίνεσθαι, μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας.

Inter anni partes, ſi hyems ſicca & aquilonia, ver pluuioſum & auſtrale fuerit, æſtate neceſſe eſt febres acutas fieri & ophthalmias & dyſenterias mulieribus præſertim & viris naturâ humidioribus.

De temporum variatione & immutatione agit his aphoriſmis, ab aquilonia hyeme & ſicca, & vere auſtrali & pluuio facto

facto initio. Eiuſmodi autem mutationes quanquàm paruæ exiſtũt, ſunt tamẽ præter naturã. Quare aduentãte æſtate morbos fore prædicit febres acutas, ophthalmias, dyſenterias. Atq; cauſam certè quidem cur poſt talẽ temporum ſtatum eiuſmodi morbi fiant ipſe explicuit in libro de aêre, aquis, & locis, cuius ſic habet oratio, Si hyems ſicca & aquilonia, ver pluuium & auſtrinũ fuerit, vt febribus æſtas abundet eſt neceſſe, in eáq; ophthalmias ac dyſenterias fieri par eſt. Vbi enim vernis hymbribus & auſtro madefacta & humectata terrâ æſtatis derepentè æſtus interuenerit, tum à terra permadeſcente & calida, tum à ſole adurente geminari ardorem eſt neceſſe, hominũ propterea neque cõſtantibus, ſed potius laxatis vẽtribus, neque cerebro reſiccato. Neq; enim vbi ver eiuſmodi præceſsit, fieri poteſt, quin corpus & caro fundantur & colliquefiant, ſimúlq; quum omnibus acutiſſimas febres, tum maximè pituitoſis eueniãt. Mulieribus verò par eſt dyſenterias fieri & viris natura humidioribus.' Atque hæc ſunt Hippoc. verba ex libro de aquis, aêre, & regionibus. Nos verò pluribus vt eius oratio apertior eſſet & perfectior effecimus, ac imprimis illud declarauimus,

quamobrem nec hyeme ipſa dixerit nec vere eiuſmodi tempeſtatem ſortitis, morbos exiſtere, quum tamen ſecundo Epidemiōn eo ipſo tempore deprauato Cranone carbúculos ortos fuiſſe prodiderit. atque eius ſic habet dictio, Cranone anthraces æſtiui, hymbri largo per ardores aſsiduè deſcendente, iiq; magis increbreſcente auſtro fiebant. Manifeſta itaque ex eius dictis cauſa eſt, quamobrem Cranone per æſtatem carbones ſunt facti. neque enim parum à naturali temperatione receſſerat, ſed ad talem ipſa venerat ſtatum per quem putrēt facilè, quæ naturam nacta ſunt putredini obnoxiā. Poſſunt enim humiditates præter modum auctæ putrefacere, vt & ipſe dicturus eſt, Morbi pluuioſis temporibus ferè fiunt febres longæ, alui fluores, putredines. Sed iis ipſis caliditates magis putrefacere poſſunt. Ambabus verò ſimul coniunctis, nec minus quàm Cranone vehementibus & immoderatis, tempus alterū corpus vt offendatur non expectat, ſed in priore grauiſſimè lædatur eſt neceſſe. Ac per hyemem ſiccam & aquiloniā corpora moleſtiis iis afficiūtur, quas ipſe prius retulit his verbis, Aquilo tuſſes mouet, fauces exaſperat, aluum durat, vrinam ſupprimit, hor-

rores

rores excitat, lateris & pectoris dolores facit: non tamen propterea effatu dignus morbus gignetur. nam alioqui ſicciores tempeſtates ſunt ſalubriores. In vniuerſum enim, inquit, ſiccitates perpetuis hymbribus ſalubriores, & minus mortiferæ. Hyems itaque illa aquilonia & ſicca homines tuſsi, alui retentione, dyſuria, & dolore partium pectoralium ὀρθοστάδην vexabit, (id eſt non tam malè habebit vt lecto teneantur, aut ſolitas actiones intermittere cogantur) non tamen febres aut dyſenterias aut ſimile quidpiam eſt effectura. Sed cur ne vere quidem pluuioſo & auſtrali morbi graſſantur? quia præceſsit hyems multum frigida & ſicca. ipſe verò dixerat non ſolùm ſpectandas eſſe præſentes tempeſtates, ſed etiam ex quibus & in quæ tempora mutationes fiant conſyderandũ. Corpus itaque prius per hyemem ſiccam & aquiloniã reſiccatum tantum abeſt vt à vernis pluuiis quicquã patiatur, vt aliquid etiam iuuetur, ad naturalẽ quadamtenus rediens mediocritatem. Si verò totum ver humidum fuerit, ad aliam corpus & contrariam ei quam prius ſiccam habebat, conditionem redigetur, in medio poſitam ſymmetriam, id eſt mediocritatem ſuperans. Quare paratum

tum ipſum ad offenſionē æſtas excipiet, vt pote terra adhuc humecta, atque ob id ſuffocantem æſtum & grauem efficiente, Eteſiis nimirum nondum flare ſolitis. nā ij poſterius & poſt Caniculam flare incipiunt. Quare totum illud tempus mediū febres habebit acutas, propter caliditatē & humiditatem in corpore humoribus putreſcentibus, ophthalmias item & dyſenterias pro partium habilitate facilè offenſionem admittentium. Aliæ enim aliis pro corporum temperatione ſunt ad patiendum faciliores aut difficiliores. Nā ophthalmiæ omnibus ferè ſunt moleſtæ capite repleto, niſi quibus oculi adſunt præualidi. Dyſenteriæ verò, vt & ipſe dixit eos torquent qui natura ſunt humidiore, & mulieres. hæ ſiquidem viris ſunt humidiores. Si totam igitur tempeſtatem damnamus tanquam noſtra putrefacientem corpora, conſtat vtique maiorem in corporibus humidis fore putredinem. ſiquidem hoc ipſum quod in corporibus caloris vi putreſcit, humiditas eſt cuiuſdam materiæ vicem obtinens. Ambientis verò aëris humiditas, quia humores in corpore redundantes deſiccari prohibet, ea ratione adiuuat vim putrefacientem. Nihil igitur mirum ſi talibus tempeſtatibus

bus

bus naturæ humidiores iniuriæ magis pateant: propterea dicebat febres pituitoſis magis obuenire. talibus ſiquidem eſſe humidioribus eſt neceſſe. Manente igitur putredine in corpore febres fiunt: ſi eadem per ventrem vacuetur, dyſenteriæ. Atque hæc mala per totam erunt æſtatem, niſi circa Caniculæ ortum aliqua fiat mutatio, de qua ipſe in lib. de aquis, aêre, & locis egit, ſtatim poſt eam dictionem conſequenter, quam ſuprà poſuit, cuius ea fuit clauſula, Et dyſenterias mulieribus par eſt accidere, & viris natura humidioribus. nam orationem continuans deinceps ſcribit in hunc modum, Et ſiquidem ſuperuenerit circa Caniculæ ortum aqua & tempeſtas, & Eteſiæ flauerint, ſpes eſt eiuſmodi quieturos morbos, atque autumnum ſalubrem fore. Alioqui mortis periculum imminet pueris & mulieribus, non etiam ſenibus: atque verendum ne qui euaſerint, in quartanam tandem incidant, quæ in aquam inter cutem terminetur. Verùm de iis quæ præterea dixit de aêre, aquis & locis, quũ eum librum interpretabimur, diligentius diſputabimus. De iis verò quæ ad præſentis aphoriſmi explicationem pertinent ſatis multa diximus, excepta dictione

vnà,

vnà, Neceſſe, quam nõ ſolo hoc aphoriſmo addidit, ſed etiam libro de aëre, aquis & locis, per eam ſcilicet ſignificans quòd rei natura fiſus, non obſeruatione aliqua hæc literis prodiderit. Quoties namque ipſum par eſſet vidiſſe talem temporum tempeſtatem, & quot in locis, num bis, térve quatérve? ſed ne ſi ſæpius quidem vidiſſe dixeris, iam queas ita ſemper fore pronuntiare. quemadmodum nec ſi medicaméto aliquo videris ſex aut ſeptem purgatos homines, iam dicere certò poſsis omnes poſthac ſimiliter purgandos eſſe. Quare pro manifeſto relinquitur quòd rei naturam, nõ obſeruationem aliquam ſecutus Hipp. ita ſcripſerit, Neceſſe eſt æſtate febres acutas fieri & ophthalmias & dyſenterias.

X I I.

ΗΝ δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος καὶ εὔδιος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες ἦσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν· αἳ δ' ἂν τέκωσιν, ἀκρατέα καὶ νοσώδεα τὰ παιδία τίκτουσιν, ὥστε ἢ παραυτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ λεπτὰ καὶ νοσώδεα ζῆν ἐόντα. τοῖσι δὲ ἄλλοισι δυσεντερίαι, καὶ ὀφθαλμίαι ξηραὶ γίνονται· τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι κατάῤῥοι συντόμως ἀπολλύντες.

Contrà verò ſi auſtralis hyems & pluuioſa & tepens fuerit, Ver ſiccum & aquilonium; mulieres quibus partus in ver incidit quauis occaſione abortiunt, aut ſi pariant, tam infirmos & morboſos partus edunt, vt vel ſtatim ipſi intereant, vel tenues & valetudinarij viuant. Cæteris dyſenteriæ & ophthalmiæ ſiccæ fiunt, & ſenibus catarrhi perniciem breui allaturi.

In duobus tẽporibus ſuperiore aphoriſmo comprehenſis craſis, id eſt qualitatum permiſtio vice verſa ſe habet atque in duobus præſentibus tẽporibus. Qualis enim illic hyems erat, tale nunc ver eſt, & quale illic ver, talis nũc hyems. Atque in illis non fuiſſe neceſſariũ vere morbos vehemẽtes exiſtere abundè diximus: nunc verò quòd hyeme humida & calida, vere frigido & ſicco neceſſarium ſit in ipſo vere homines ægrotare demonſtrandum eſſe videtur. Primùm mulieres quibus tempus pariendi in ver incurrit, quacunque occaſione abortiunt. Corpora ſiquidem per hyemem ἔνδιον, hoc eſt tepidam & clemẽtem humida & mollia & rara facta, intrò facilè ad intimas vſque ſui partes ambientis aëris verni frigiditatem admittunt. Quò ſit vt partus qui longo iam tempore aëris tepori & clementiæ aſſueuerãt, vehemẽtius à frigore perculſi,

bona

bona ratione alij in ipſo vtero iam mortui deprehendãtur, alij in ipſo partu moriantur. qui verò viui in lucem editi fuerint, non ferentes repentinam in contrarium mutationem vel breui poſteà tempore è vita decedãt, vel tenues & morboſi ægrè vitam trahant. Cæteris deinde pituitoſis & mulieribus dyſenterias fieri inquit, pituita nimirum à capite in ventrem defluente. Hunc ſiquidem humorẽ dicto cœli ſtatu cumulari par eſt, repleto ſcilicet per hyemem, & circa veris initium repentè refrigerato capite. quandoquidem cerebrum facilè pituitoſa generet excrementa, quum refrigeratũ ſubigendo non eſt & perdomãdo alimẽto. Sed & hoc pituitæ generationi accedit, vt quæ à vehementi frigiditate fit euadat acida: & quæ à calore caput replente, ſalſa. ſicut & quæ propter exiguam fit frigiditatem, nullam ad guſtum manifeſtã qualitatem aut certè paucam dulcedinem præ ſe ferat. Quæ itaque ob præſentem aêris ſtatum pituita fit, propter hyemis calorem ſalſa euadet. qua occaſione maximè dyſenterias generabit, quum mordẽs diutius & radens inteſtinum labefactauerit & malè affecerit. nam quum propter lentorem in tranſitu per inteſtina hæreat & ceſſet, ſempérque

ſua

ſua qualitate aliquid abradat deterátq;, dyſenteriam meritò efficit. Calidis verò naturâ & bilioſis hominibus ait Hippoc. ipſe ophthalmias ſiccas accidere. Sic autem eas vocat quæ citra materiæ affluxũ fiunt. Calidis ſiquidem naturis & ſiccis, ſicca & frigida tempeſtate calidã & humidam excipiente tales ophthalmias fieri rationi eſt conſentaneum. Caput enim prius per calidam & humidam temporis conditionem repletum eſt, frigus verò ſuperueniens velut manu quapiam extrinſecus apprehenſo & cõpreſſo veluti ſpongia cerebro contentam humiditatem exprimit: quæ delata aliàs ad alium locum iniuriæ opportunum & ad patiẽdum facilem varios concitat morbos: quo modo iis qui infirmos naturâ & debiles oculos habent ophthalmiæ fiunt, ex quibus propter aêris frigiditatem ſuperficiem denſantis foras nihil effluere poteſt. Iam verò quòd hæc omnia Hippo. quæ diximus ad cauſas referat antedictas liquet ex iis quæ lib. de aquis, aêre, & regionibus ſcripſit: cuius ita habet oratio, Pituitoſis itaque & mulieribus par eſt dyſenterias accidere propter naturæ humiditatẽ pituita à cerebro defluente: Bilioſis autem ſiccas ophthalmias ob carnis caliditatẽ & ſicci-

tatē. Similiter & illud quod in fine aphoriſmi ſcribitur, Et ſenibus catarrhi perniciem breui allaturi, ipſe eodē libro his verbis ſcriptū reliquit, Valde autē ſenibus tales propter venarū raritatē & attenuationem catarrhi fiunt, vt repentè ex iis nonnulli intereāt, aliis pars dextra ſiniſtráve reſoluta ſtupeat. quibus verbis Hipp. non illos valde cōſuetos catarrhos appellatos, qui ex capite per arteriam aſperam in pulmonem fiunt, ſignificare videtur, ſed eas fluxiones omnes quæ ex capite per venas in partes feruntur ſubiectas. Vnde illud, Breui perniciem allaturi rectè adiectum eſſe videtur, quia fluxiones eiuſmodi ſubita criſi terminantur, quum alij catarrhi longiore durēt tempore. Nonnulli tamē interpretes eos ipſos catarrhos intelligi volunt qui ex capite per fauces & arteriā in pulmonem fiunt. itaque orationē hanc cum negandi particula efferunt hoc modo, Et Senibus catarrhi, qui celeriter non interimant. ídque rectè ipſi dicūt. Siquidē frigidæ in ſenibus fluxiones propter ætatem coctionem non recipiunt. Verùm in quibuſdam exemplaribus ſcriptum eſt, breui perniciem allaturi, quandoquidem in lib. de aquis, aëre & regionibus dixerit, Vt repentè ex iis nonnulli intereant.

XIII.

ΗΝ δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βόρειον γένηται, τὸ δὲ φθινόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον, κεφαλαλγίαι ἐς τὸν χειμῶνα γίνονται, καὶ βῆχες, καὶ βράγχοι, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες.

Aeſtate verò ſicca & aquilonia, Autumno pluuioſo & auſtrali, vehementes capitis dolores in hyemem, & tuſſes, & raucitates, & grauedines, nonnullis etiam tabes expectandæ.

Eandem craſim nũc æſtati & autumno tribuit, quam hyemi & veri attribuerat paulò ſuprà, quum diceret, Si hyems ſicca & aquilonia fuerit, ver pluuium & auſtrale. Quin etiam eo loco propter hũc temporum ſtatum febres acutas æſtate futuras dixit, ophthalmias itèm & dyſenterias, ſic nunc capitis dolores (cephalalgias Græci vocant) tuſſes, raucitates & deſtillationes hyeme expectandas eſſe dicit. Sed neque illic aſcripſit æſtatis conditionem, neque hîc hyemis: quippe qui naturalem vtrumque tempus temperationem ſeruare vellet. Nam ſi præter alia tempora, in his etiam diuerſa quædam aëris fiat intemperies, propterea quiddam etiam aliud ad dictos morbos accedet, quod eius intempeſtatis ſit proprium. Verùm in eo cœli ſta-

tu quo hyemem ſiccam & aquiloniam, ver pluuium & auſtrale eſſe dixit, morborum qui hyeme fieri deberent cauſas explicuit in libro de aëre aquis & regionibus: ſed in præſenti ſtatu de ipſis nihil eo libro dixit. Statim enim poſt illas duas tempeſtates ſuprà ſcriptas, vnam qua hyemem borealem ſimul & ſiccam, ver pluuium & auſtrale eſſe ſtatuit: alteram, in qua vice verſa hyems pluuioſa eſſet & auſtralis, ver ſiccum & aquilonium, hanc iſtis conſequenter ordine tertiam à naturali ſtatu temporum declinationem, de qua propoſito agitur aphoriſmo, eo libro non adſcripſit, ſed huius loco aliam ſubiunxit, quæ talis eſt, Si verò æſtas pluuioſa fuerit *&* auſtrina, ſimilíſque ſequatur autumnus, morbis abundare hyemem eſt neceſſe. poſtquam deinceps alias quaſdam ſcripſit, ſed ne eas quidem præſenti ſimiliter. De quibus omnibus ipſi agemus, quum in eum librum commentabimur. In præſentia de propoſita ab ipſo Hipp. inter aphoriſmos tempeſtate dicamus, diſputationis eodem ſumpto initio quod paulò ante fecimus. Veriſimile enim eſt Hippoc. ipſum naturalem hyemi temperationem retinere, id eſt humidam & frigidam eatenus hyemem facere, quatenus

nus vtraque qualitas temperatis orbis terrarum partibus conuenit. de quibus moderatis mundi tractibus ipſum verba facere memoria tenendũ eſt, vt ipſe paulò pòſt quum eorum nominatim faciam mentionem dicturus ſum. Seruante itaque ſuam naturam hyeme, in ea nullus magnus morbus ortum eſt habiturus, ſed ſolæ cephalalgiæ & tuſſes, & raucitates & grauedines erunt moleſtæ, quæ pleni capitis ſunt ſymptomata. Quòd ſi fortè, vt antè dicebam, hymbres auſtrini vtrumq; tempus tum æſtiuũ, tum autumnale habuiſſent, in ipſa etiam fortaſſe æſtate, ſin minus, autumno certè frequẽtes omninò fuiſſent tempeſtatis humidæ & auſtralis proprij & familiares morbi. Nunc quoniam æſtatem ſiccam & aquiloniam præceſsiſſe, & autumnũ humidum & auſtralem ſequutũ fuiſſe ponitur, rationi profectò conſentaneum eſt non ſolùm protinus neminem ægrotare cœpiſſe, ſed ſiccitatis etiam æſtiuæ immoderatioris remedium non paruum fuiſſe autumni tempeſtatem humidam. Verumtamẽ quia totus autumnus talis ſecutus eſt, atq; idcirco iis qui humidiore ſunt natura caput præter modum repletum fuit, vt in proximam hyemem dicti morbi incurrant eſt neceſ-

ſe, quinetiam ex ipſis tabidi euadant qui tabi erant obnoxij, quales tum qui ſtricto anguſtóque ſunt pectore, tum quibus à capite in pulmonem fluxio defertur. His ergo tabes conciliabitur, aliis autem nullus grauis morbus, ſed tuſſes, raucitates & eiuſmodi alia ſymptomata erũt moleſta, quæ fiunt dum hyems repleta per auſtrinos hymbres capita excipit. quæ deinde ipſa in quibuſdam hoc ſolum efficit, vt in capite permanens excrementum ipſi ſit*doloris cauſa. Siquidem nulla corporis parte plenitudinem vllam hyems digerit aut diſcutit: In aliis verò auctor eſt vt vehementius coacto & conſtricto capite expreſſum excrementum in*partes feratur capite inferiores. Atque hæc velut capitis purgatio eſt & vacuatio. Sed in quibus præ copia grauatum prius & debilitatum caput hyemis frigus ferre nõ potuit, in iis iam per intemperiem refrigeratum * maiorum partibus inferioribus fluxionum cauſa exiſtit.

* Cauſa cephalalgiæ in hyeme.

* Raucitatis & grauedinis.

* Tabis.

XIIII.

Ἢν δὲ βόρειον ᾖ καὶ ἄνυδρον, τοῖσι μὲν ὑγροῖσι ἐοῦσι τὰς φύσιας καὶ τῇσι γυναιξὶ ξύμφορον· τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραὶ, καὶ πυρετοὶ ὀξέες, καὶ κόρυζαι· ἐνίοισι δὲ καὶ μελαγχολίαι.

Aquil

*Aquilonio verò & ſicco autumno, hominibus natura humidis & mulieribus commoditas parabitur. Alios ophtalmiæ ſiccæ, & febres partim acutæ partim*longæ, quoſdam etiam melancholiæ malè habebunt.*

Orationem hanc integrum aphoriſmum non eſſe, ſed vnius aphoriſmi partem alteram, cuius priorem explicandi modò finem fecimus omnibus eſt manifeſtum. Qualis enim ſuperiore aphoriſmo æſtas eſſe ponebatur, talis vtrique orationi cõmuniter manet, ſed prior autumnum illic pluuium & auſtralem faciebat & poſterior nunc propoſita eundẽ ἄνυδρον id eſt ſiccum & aquilonium eſſe dicit. Nihil enim refert ſiue ξηρὸν id eſt ſiccum, ſiue αὐχμηρὸν id eſt ſqualidum, ſiue ἄνυδρον id eſt pluuiarum expertem dixeris. Si itaque tempus vtrũque & æſtiuũ & autumnale ſqualidum fuerit & ſiccum, naturæ humidæ nõ modo nihil quicquam offendentur ab eiuſmodi tempeſtate, ſed aliquam etiam vtilitatem capient. Cuius cauſam Hipp. ipſe in lib. de aëre, aquis & regionibus aperuit his verbis, Pituitoſos hæc omnia iuuant. Deſiccantur enim, atque ad hyemẽ præ nimia humiditate minimè liqueſcentes & defluentes, ſed exiccati perueniũt. Reliquos verò, qui tali nõ

** Loco κέρυζαι in Græco exemplari reponẽdũ μακραὶ, vt Celſus legiſſe videtur: quam lectionẽ cõprobat locus citatus ex lib. de aëre, aquis & reg.*

ſunt natura præditi, ophthalmiæ ſiccæ, & acutæ & diuturnæ febres, & quoſdā melancholiæ etiam comitātur. Quorum affectuum gignendorū cauſam eodem ipſe libro ſuprà ſcripto expoſuit his verbis, Biliosis verò hæc tempeſtas eſt infeſtiſsima. Nimis enim exiccantur, atque ſiccæ ipſis ophthalmiæ ſuperueniunt & febres tum acutæ tum diuturnæ, quibuſdā etiā bilis atra. Deinde orationem continuans ait, Bilis nāque quicquid humidiſsimum eſt & aquoſiſsimū deſiccatur & conſumitur, quod craſsiſsimū & acerrimum relinquitur: quod in ſanguine quoque eadē fit ratione. Qua ex re ipſis dicti fiunt morbi. Atque hæc ſatis de propoſitis tempeſtatibus. Quamobrem autem Hip. harum meminerit ſolùm, quum & aliæ ſint multæ, dicere non habeo neceſſe. Malo viam & rationem aperire, quā ſi ſequaris, tempeſtates omnes permiſtè implicare & cōmittere poſsis. Atq; methodus ea talis eſt, A ſimplicibus aëris nos circunſtantis intempeſtatibus tanquam ab elementis incipiendum: quarum in paruas, maximas & mediocres diuiſione facta, de vnaquaque poſteà in ſingulis temporibus dicendum quos ſecundū ſuam quæque naturā morbos ſit generatura. Quo facto, inter-
ſe

ſe duorum deinceps temporum intemperies cõmiſcere oportet, quemadmodum nunc Hipp.facere eſt aggreſſus. Quibus commemoratis omnibus poſteà trium deinceps temporum omnes cum omnibus implicãdæ intemperies, atque ita demum deinceps quatuor etiã temporum copulandæ dyſcraſiæ. Sic enim perfecta abſolutáque & integra exercitatio euadet. De quibus intempeſtatum cõplexibus ipſi fortè aliquando ſi plus otij nacti fuerimus, ex profeſſo ſcripturi ſumus.In præſentia ſatis erit illud ſolùm dixiſſe, valde paucas Hipp.intempeſtatum complexiones proſequutum fuiſſe, vt exemplum potius quàm pars quædam iuſta totius doctrinæ quæ de his tradi poteſt, videri debeant.Atq; de his plura dicturi ſumus quum librum de aëre, aquis & regio nibus,& Epidemiων primum interpretabimur. Iam verò ſi quod paulò ſuprà dice re ſum pollicitus ſuperioribus attexuero, plura de his commentandi finem faciam. Tempeſtates enim omnes de quibus agit Hippo.in temperatis mundi regionibus fieri intelligere nos oportet, exceptis iis Thraciæ locis quæ remotiora ſunt à mari.ea enim pluſquàm par eſt humida ſunt & frigida : quẽadmodũ Aegyptus & Li-

bya regiones iuſto calidiores ſunt & ſicciores, demptis earũ tractibus illis qui ad mare ſunt ſiti. Nam frigidis regionibus, qualis Thracia & Pontus, quia humiliores ſunt oræ maritimæ, ideò temperamẽto ſunt calidiores. Calidis verò, qualis Aegyptus & Libya, quoniã per æſtatem vẽtis ab Arcto perflata loca maritima refrigerantur, idcirco minus calent, quàm quæ à mari continentẽ verſus receſſerũt. Exactè verò tẽperata & totius orbis media zona per Cnidum & Coum inſulas, & loca ea porrigitur, quæ ab his nõ longè ad Arctum Notúmve verſus receſſerunt. Intelligere autẽ te oportet & cogitatione comprehendere rectam quãdam lineam per quæ dixi loca ad ortũ & occaſum verſus perductam, quæ nihil aliud eſt quàm temperata illa zona appellata. quam rem exactius ab hominibus talium peritis diſcere poteris. Aſtrologi nonnulli non zonas ſed parallelas appellant, id eſt perpetuo ductu æquè inter ſe diſtantes lineas, quæ in terra ab ortu ad occaſum vſq; ductæ habitationum ſimilitudines deſignãt. Atque de his maximè locis Hipp. ſermo eſt habitus. Temporum autẽ ordo, vt & ipſe paſsim libris Epidemiωn indicauit & præſtantiſsimi ſcripſerunt Aſtrologi, ta-

lis eſt. Vergiliarum ortus æſtatis eſt initium. poſt quas Caniculæ ortus Oporam appellatam, id eſt pomorũ ſeu fructuum cortice molliore generationem inchoat. quam ipſam eſſe volunt alteram æſtatis partem. Poſt eam Arcturus ſuo ortu Autumno dat initium. Deinde Vergiliarum occaſus hyemi facit principium. quã excipiens æquinoctium veri initium impertit.

XV.

Τῶν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβριῶν, εἰσιν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες.

Ex tempeſtatibus anni in vniuerſum ſiccitates aßiduis hymbribus ſalubriores & minus mortiferæ.

Quòd hic aphoriſmus, quem nunc explicandum ſuſcepimus, inter eos primus ſcribi debuerit, in quibus de ſtatu temporum agitur, tum ipſa rerum commentatione didicimus quũ ipſo ad ſuperiorum aphoriſmorum probationẽ indiguimus, tum neceſsitate etiam ad id nos cogente ſumus edocti. Siquidem & natura & doctrina prius eſt ſimplex compoſito. Itaque ſecũdum illum aphoriſmum ſtatim, cuius initium, Auſter auditum & viſum hebetat, caput grauat, corpora pigra tardáque

dáque & languida efficit, ordine primum locabimus eum qui ita incipit, Tempeſtates quotidianæ ſiquidem Boreales fuerint, cogunt corpora: Secundum verò ſtatuemus eum qui nunc propoſitus eſt. In quo Hippoc. inter omnes tempeſtates anni ſiccitates perpetuis præfert hymbribus, ídque meritò facit. Siquidem per ſiccitates ſuperuacanea digeruntur, quæ hymbribus in corpore collecta putreſcunt, niſi quis ipſa quotidie congeſta quotidianis expurget & diſcutiat exercitationibus. Neque enim ea pro magna vacuatione habenda eſt excrementorum vaporatio, quæ balneorum conſuetudine perficitur, ſed ferè quæ in cute hærent ſolùm vacuat: quæ verò in profundo ſunt carni & ſolidioribus partibus interiecta & ſparſa, non ſatis abundè per balneas vacuantur. Sed nec ſi medicamentis purgantibus quotidianorum excremẽtorum procuretur vacuatio, apta commodáque fuerit, quippè quæ magnopere egentibus & magnis temporum interuallis vtenda veniat. Adhæc ſuperuacaneorũ quæ quotidie in corpore generantur vacuatio minor eſt, quàm pro purgantis medicamenti efficacitate & viribus. Quòd ſi veritus quiſpiam ne multa in corpore excrementa cumu

ta cumulentur, purgationem bis aut certè ſemel in mēſe adhibeat, is præterquàm quòd in malam conſuetudinem corpus adducet, etiam ipſum labefactabit, deteriúſque reddet. Porrò alimenti excrementum quoddam eſt velut ſeroſum & humidum, quod ipſi diſtribuendo vehiculi vice eſt admiſtum: alterum eſt velut fuliginoſum quiddam reſiduum in cibariis permultis peioribus præſertim: quod ſubactionem naturę & coctionem effugiens, nec aſsimilari alendo corpori nec agglutinari potuit. Quæ omnia quotidie quum vacuari deſiderent, ſiccis potius quàm humidis tempeſtatibus vacuari poſſunt. Atque propterea Hippo. illas ſalubriores eſſe pronunciauit.

XVI.

Νοσήματα δὲ ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρίῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες καὶ σηπεδόνες, καὶ ἐπίληπτοι, καὶ ἀπόπληκτοι, καὶ κυνάγχαι· ἐν δὲ τοῖσιν αὐχμοῖσι, φθινώδεες, ὀφθαλμίαι, ἀρθρίτιδες, στραγγουρίαι, καὶ δυσεντερίαι.

Aſsiduis imbribus morbi ferè fiunt, febres longæ, fluxiones alui, putredines, epilepſiæ, apoplexiæ, anginæ. Siccitatibus autem morbi tabifici, ophthalmiæ, articulorum dolores, vrinæ & inteſtinorum difficultates.

Mirum

Mirum videri non debet ſi febres longæ humiditatis conſequantur multitudinem. ſiquidem ægroti ad ſolutionē morborum coctione egent, & plures humiditates non niſi longo tempore concoqui poſſunt. Huc accedit quòd pluuiarum aſſiduitate frigidiores fiunt & humidiores humores, ſicut rurſum ſiccitatibus biliosiores. Quare hac quoque ratione febres pluuioſis temporibus diuturniores, contráq; ſiccitatibus acutiores euadūt. Quòd autem alui fluxiones meritò imbriū abundantia fiant, ex ipſa per aluum humorum expurgata redundantia fit perſpicuum: quemadmodum & quòd putredines. ſiquidem manifeſtò cernuntur ſicca humidis minus eſſe putredini obnoxia. Conſtat etiam apoplexiam & pilepſiam morbos eſſe pituitoſos. Angina autem fit interdum ipſa ſuperuacaneorum copia in fauces regeſta. fit etiam magna ex parte fluxionibus à capite in faucibus impactis & firmatis. Manifeſtum porrò quod & à nobis ſæpè dictum eſt, quum fluxiones alias tum maximè eas quæ ruunt ex capite, per multos & aſsiduos imbres fieri plurimùm. Contrà morbos ait tabificos per ſiccitates multum fieri, & ophthalmias, & articulorum dolores, ac vrinæ & inteſtinorum

norum difficultates: de iis mihi quidem non ſatis diſtinctè & definitè pronunciare & ſtatuere viſus. Morbi enim tabifici duas has tempeſtates conſequuntur, tum ſummè frigidam qua vas aliquod inſtrumentorum reſpirationi ſeruientium rumpatur, tum calidam humiditate adiuncta, qua caput repletũ ad pulmonem fluxiones ableget. Siccam verò tempeſtatem, quãtum in calore eſt & frigore naturaliter habentem, quiduis potius morborum quàm tabes comitabitur. Vnde coacti ſunt nonnulli adiectiuum nomen tabifici referre ad oculorum vitium quod in dictione proximè ſequitur, vt oratio eſſet eiuſmodi, Siccitatibus autem immoderatis tabificæ ophthalmiæ fiunt, hoc eſt quæ in tabem oculorum deſinant. vnde oculi deſtituti alimento exucci fiunt, & plus quàm eorum naturę conueniat exiccantur, eorúmque redditur pupilla anguſtior, conſumpto ſcilicet & deſiccato humore proprio. à quo quidem mediocriter diſtenta, in naturali modo retinebatur, magis verò quàm ratio poſtulat ampliata, in vitioſam & improbandam extendebatur latitudinem. Quòd ſi ipſas per ſe dici ophthalmias intelligamus, ipſis addendum ſiccas. Quamobrem verò ſiccæ per

ſqualores

ſqualores immoderatos ophthalmiæ fiăt, cauſam non ita multò antè explicauimus. Iam verò à fluxione morbi articulares, ſiccitatibus immodicis fieri omninò non poſſunt. nam qui humorum quădam con ſequuntur acrimoniam, ſi immoderatus quoque calor acceſſerit, tum demum fient ſolùm. Quaſnam igitur arthritides ſiccitatibus fieri dixerit Hipp. inueſtigandum. Si enim tantus fuerit ſqualor vt articularem humorem exiccet & conſumat, motus profectò præ ſiccitate difficultatem, & verò etiam dolorem fortè fecerit, nunquam tamẽ affectionem arthritim appellatam commiſerit, niſi quis omnem articulorum dolorẽ ita vocitare velit. quanquam ipſe Epidemiωn ſecundo eos qui Aeni per annonæ caritatem leguminibus veſci coacti in crurum debilitatem inciderant & propter eruorũ eſum genuum dolores patiebătur, non arthriticos, ſed γουναλγᾶς, id eſt ab genibus dolentes appellauit. Dicat etiam fortaſſe quiſpiam non vnius articuli dolorem, ſed multorum arthritim nominari. atque eo certè modo τοὺς γουναλγᾶς, id eſt ex genuũ dolore cauſarios, nondum arthriticos appellandos eſſe. Atque hæc de arthritide in quæſtionem & dubiũ hactenus reuocaſ-

ſe, ſit

ſe, ſit ſatis. Deinceps dicamus de vrinæ difficultate.neque enim hæc ſiccitates abſolutè ſequitur, niſi tribus additis & explicatis conditionibus.quarum prima ſiccitas eſt immoderata,altera eadem eſt im modica ſiccitas quæ caliditatem, vel frigiditatem (quæ tertia eſt diſtinctio) habeat coniunctam.quarum Hipp.non meminit.Si cuipiam tamen placeat omnium anni tempeſtatum naturam inquirere,ſic ipſi erit faciendum. Erit autē manifeſtior oratio ſi à propoſitæ quæſtionis exemplo non recedamus. Squalor enim immodicus aliam in temperatis naturis, aliam in ſiccis, & aliam in humidis affectionem in corpore relinquit. Sic etiā in calidis & frigidis,diuerſam in vtraque efficit affectionem. Et coniugatis ſimplicibus intemperaturis, aliam cum calida & ſicca cōmunicat, diuerſam ab ea quā frigidę & ſiccæ impertit. Similiter in reliquis duabus fit coniugationibus. Et quemadmodū ſimplicem aëris intemperiē retinentes modo dicebamus,pro quaque natura propriam quandam affectionem efficere: ſic compoſitam ſuppoſitantes ſecundum ſingulas rurſum naturas conſyderare poterimus affectiones ab ea corporibus infligendas. Fuerit autem compoſita ambientis aëris

ſicca tempeſtas, quæ vel frigiditatem vel caliditatem habuerit admiſtã.quanquam videri poteſt vel ſimplex quodam modo compoſita eſſe.miſcebatur enim aëris ſicca hæc intempeſtas cum tẽpeſtate temperata inter exceſſum vtrũque tam eum qui in calore eſt,quàm eũ qui in frigore reperitur media. Verùm quando tradẽdis doctrinis habetur pro confeſſo ſimplices eas intemperies eſſe, quæ qualitate vna à naturali ſtatu recedant, non ſimplices, quæ pluribus, meritò aëris ſi oppoſitione ea quæ ſicci eſt cum humido intemperatus, & ea quæ calidi eſt cum frigido temperatus fuerit,dicemus ſimplicem eſſe intemperiem. Nobis verò ita ſpeculantibus omnia & perſcrutantibus, non dubiũ quin oratio tam ea quæ de tempeſtatibus eſt, quàm quæ nũc de veſica habebatur multò ſit longior euaſura. Stranguria enim, id eſt vrinæ incontinentia,vel vrinæ difficultas, quòd guttatim & ægrè vrina reddatur,ſit tum propter vrinæ ipſius acrimoniam, tum propter imbecillitatem virtutis retentricis veſicę.quę imbecillitas rurſum ſit propter immodicã quampiam intemperiem.Quum verò immoderationes octo habeantur, harum vnaquaq; poterit imbecilla veſica fieri, atque idcircò eam

ſtrang

ſtranguria comitari. Quinetiã vrinę acrimonia & mordacitas ab intemperie fit aliqua, pręcipuè verò à caloris, deinde à caloris & humiditatis ſimul, & tertiò à ſiccitatis exceſſu. Stranguria igitur his etiã de cauſis fiet, præter veſicæ proprios & peculiares affectus, *quos ſymptomatis ratione ſtranguria cõſequitur, veluti quũ propter vlcus, aut eryſipelas aut abſceſſum in ea factum, aut inflammationẽ aut eiuſmodi aliquẽ affectũ in ſtranguriã inciderit. neq; enim de his in præſentia agimus, ſed de iis ſolùm quæ ab aëris proficiſcuntur tẽperatione, quemadmodum nec de iis quę propter vitioſum & improbabilem victum accidũt. Quæ de vrinę difficultate ſunt dicta, eadẽ mihi de dyſenteria quoque dicta eſſe intellige, de qua neque ipſe cum Hip. conſentio. neq; enim dyſenteria abſolutè ſiccitates ſequetur, niſi diſtinctè explices, primùm ſiccitatis extremum exceſſum, deinde aëris in calore & frigore mutationem, poſtremò naturas etiã affectorum corporum cõſyderes. De Hippocrate verò addubitare, & mirari quòd tãtam artem quam primus inchoauit & informauit, vniuerſam non excoluerit & perfecerit, nõ pariter æquũ fuerit, atq; de Diocle primùm, deinde ſecundum ipſum

*Symptomatica ſtrãguria.

de Mneſitheo quoque, & aliis poſteà multis medicis qui veris Hippo. viis inſiſtentes multa ſibi particulatim expolienda & conficienda propoſuerunt. Quũ enim ipſi deberent, ſi quid aliud maximè de temporibus anni diſputationem, quemadmodũ nuper inſtitui, articulatè explicare, & abſolutam perfectámq; reddere, prætermiſerunt omninò atq; neglexerunt. Sed nos id ipſum alio opere integro his priuatim dicato præſtare conabimur, ſi quæ in manibus habemus prius abſoluta fuerint.

XVII.

Αἱ δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρεισι τά τε σώματα συνιστῶσι, καὶ εὔτονα, καὶ εὐκίνητα, καὶ εὔχροα, καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι, καὶ περὶ τὸν θώρηκα ἄλγημα, ἤν τι προϋπάρχῃ μᾶλλον πονέουσιν· αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυηκοΐας, καρηβαρίας ποιέουσιν, καὶ ἰλίγγους ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι.

Quotidianæ tempeſtates, Aquitoniæ cogunt corpora firmántque, mobiliora item expeditioráque & coloratiora & auditu valentiora reddũt, aluum ſiccant, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis prius habuerit, exaſperant. Contrà auſtrinæ eadem ſoluunt & humectant, auditum hebetant,

hebetant, caput grauant, vertiginem oculis, tarditatem & langorem corporibus adferunt, aluum humectant.

Boreas ventus ſiccus & frigidus ex corpore excrementa omnia abſumit, atq; inſtrumẽtis ſubſtantiæ denſatione à ſe conſtrictis & coactis robur ingenerat. Propterea enim inquit, perfectius ſuas functiones & munia obeunt tam naturales quàm animales facultates. Quũ enim corpora dixit mobiliora & expeditiora fieri, animales, quum coloratiora, naturales actiones oſtendit, quarum vtriuſq; cõmunis eſt eutonia, id eſt firmamentum & robur inſtrumẽtis additum. Manifeſtũ etiã eſt, vnico auditus ſenſu velut exempli gratia propoſito, idem quoq; de reliquis ſenſibus intelligendum indicauiſſe. Atq; hęc in Borealibus tẽpeſtatibus inſunt bona, quibus ij maximè fruuntur qui ſalubritate corporum ſunt præditi, præſertim ſi humidiores fuerint. Adſunt tamen ſua his etiam tempeſtatibus parua quædam mala, miniméq; iis quæ auſter inuehit ſimilia. Quis enim inficias eat iſta pro paruis habenda, aluum ſiſti, oculos pungi, inueteratos pectoris dolores irritari? ſed horũ paruitatem apertius intelliges, ſi ea cum auſtrinis tẽpeſtatibus contuleris. quas ait

ſoluere & eneruare corpora, rē profectò ad omnem tum vitalem tum animantem functionem maximo malo futuram. nec paruum etiam capitis grauitas & auditus hebes malum. Quid de vertigine dicam, proxima epilepſiæ & apoplexiæ affectione? Ea enim ſcotodinia quædam eſt, id eſt tenebroſa obuerſatio qua circumagi videtur omnia: quæ fit dum craſſus ſpiritus humore permiſtus mouetur in capite. Vnde & ipſa Epilepſiam & apoplexiam *præcedit. Dyſcineſiam quoque, id eſt motus peruerſitatem (quam palpitationem interpretātur nonnulli) oculis & vniuerſo corpori cōciliari dicit: quæ & ipſa praua ſunt ſymptomata. Id ſolùm ipſis moderati adeſt, quòd aluum humidiorē efficiant, quod & alia omnia quum propter caliditatem, tum maximè propter humiditatem præſtare poſſunt. Initio autem orationis quod ſcriptū reperitur, præſtitiſſet cōmutato ordine legi, vt primo loco humectant, ſecundo ſoluunt legeretur, atq; deinceps alia eo quo habētur ordine. Nam ſi humectant, aliorum etiam continuò quodq; faciūt, ad id calore etiā conferente. Actiones enim fiunt per ſolidas animalis partes, quæ quidem reipſa & verè ſunt cenſendæ ipſius particulæ. hæ

*Vertigo apoplexia nuntia.

hæ ſemel humiditatis copia oneratæ & grauatæ agunt deterius.

XVIII.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας, τοῦ μὲν ἦρος καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος, οἱ παῖδες, καὶ οἱ τούτων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν ἄριστά τε διάγουσι καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα· τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μέν τινος, οἱ γέροντες. τὸ δὲ λοιπὸν φθινοπώρου καὶ τοῦ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι.

Quo ad ætates verò pertinet, vere & prima æſtate pueri & his ætate proximi optimè degunt valéntque maximè. Aeſtate verò & autumni ad aliquam vſque partem ſenes: Reliquo autumno & hyeme qui mediam ætatem agunt.

Si orationem hoc loco Hippocrati habitam non ſolùm in ætatibus, ſed & in omnibus aliis quæ ſecundum temperationem vel moderatè vel immoderatè ſe habent examines, veram eam eſſe cōperies. Naturis ſiquidē, ætatibus & regionibus temperatis tempus optimum, quod temperatiſsimum. quippe quæ non habitudinis quam habent mutatione, ſed cōſeruatione egeant. quandoquidem à ſimilibus ſeruetur res quæque, mutetur à cōtrariis. Quare pueri, & adhuc magis adoleſcētes (ipſorum enim ætas eſt omnium optima) ætatem vere degūt optimè. eadem quoq;

ratione temperatæ regiones & naturæ vere habent belliſsimè. Adiunxit autem veri æſtatis principium Hippo. latius extendens vniuſcuiuſq; theorematis vſum. Exactius autẽ & apertius dicere poterat, adoleſcentes vere, pueri æſtatis principio optimè valent. At verò ſenibus propter naturæ frigiditatẽ æſtas eſt vtilis: ſicut iis qui florentẽ & vigentem ætatẽ agunt hyems vtiliſsima. hæc enim bilioſæ ipſorũ temperiei contraria eſt. Sic naturæ bilioſiores hyeme, pituitoſiores æſtate, temperatæ vere degũt optimè. Similiter temperatis regionibus ver conuenientiſsimum, vt frigidioribus æſtas, calidioribus hyems conuenientior. Quin peſsima etiam cuique ætati & naturæ & regioni tempora ex iis quæ dicta ſunt inuenire poſſumus. Siquidem quę optimis ſunt aduerſiſsima, peſsima cenſenda. Eadem ratione media etiã inter optima & peſsima inuenire licet. Illud præterea diligenter animaduertendum, ver adoleſcentibus dictum optimũ, aliis omnibus eſſe medium. neq; enim his optimum eſt, neque peſsimum. Similis eius eſt ad naturas quoq; & regiones reſpectus. Contrà verò omnibus & ætatibus & naturis & regionibus malus autũnus. minus tamen per id temporis calidæ

&

& humidæ naturæ læduntur quàm aliæ.

XIX.

Νοσήματα δὲ πάντα μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται.

Quilibet in quibuſuis temporibus morbi fieri poſſunt: Nonnulli tamen in quibuſdam magis tum fiunt tum irritantur.

Si aëris ambientis temperatio ſola eſſet morborum cauſa, ſingulis temporibus omnes morbis illis afflictaremur, qui ipſorum ſunt proprij & peculiares. Nūc verò quum etiam propter vitæ intemperantiā, & alia peccata in vita admiſſa morbi fiāt, omnes in omnibus temporibus fieri poterunt, plures tamen qui cuiuſque temporis proprij ſunt & familiares, non parum ad id conferente etiam naturarum diſcrimine. Neq; enim ſimiliter ab eadē cauſa calidus ac frigidus, nec humidus ac ſiccus offendi ſolet. quemadmodū nec temperatus ac quilibet horum, aut ij qui per coniugationem aliquam ſunt intemperati, vt ſuprâ diximus.

XX.

Τοῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ τὰ ἐπιληπτικὰ, καὶ αἵματος ῥύσιες, καὶ κυνάγχαι, καὶ κόρυζαι, καὶ βράγχοι, καὶ βῆχες, καὶ λέπραι, καὶ λει-

χῆνες, καὶ ἀλφοὶ καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσται, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά.

Vere enim inſania, melancholia, epilepſia, fluxiones ſanguinis, anginæ, grauedines, deſtillationes, tuſſes, lepræ, impetigines, vitiligines & puſtulæ vlceroſæ plurimæ, tubercula, articulorum dolores.

Quî quæſo iam rectè ab eo ſuprà dictũ videatur, Ver autem ſaluberrimum & minimè exitioſum, quum in eo fiant permulti morbi? Siquidem ipſum præter quàm quòd vniuerſa tempora morborum quos generat varietate adæquare videtur, ſuos etiam quoſdam & proprios morbos habet. Nam veſania, atra bilis quam melancholiam appellant, epilepſiæ, anginæ morbi ſunt autumnales: vt grauedines, deſtillationes, tuſſes hyemis proprij ſunt affectus. Quam autem cõmunitatẽ æſtas habeat cũ vere oſtendere volens, de ea ipſe deinceps dicet, Aeſtate verò horũ nõnulli, id eſt ſuprà cõmemoratorũ in vere morborũ. Auctarij verò vice & ex abundanti præter aliorũ tẽporũ morbos, Ver ipſum ſanguinis efficit fluxiones, lepràs, impetigines quas lichenas Græci appellant, vitiligines, id eſt alphos, & eruptiones in cute vlceroſas plurimas: turbercula quæ phymata dicunt, & articulorũ dolores. Qui quidem

quidem tẽporis verni proprij morbi omni periculo vacãt, tantúmq; abeſt vt aphoriſmum illũ falſum eſſe cõuincant, in quo dixit, Ver autẽ ſaluberrimum & minimè exitioſum, vt maiorẽ ipſi confirmando fidem aſtruere videantur. Nã hoc ipſo tempore profundum corpus expurgatur vitioſis humoribus, à partibus principalibus ad cutem peruenientibus. Sic enim fiunt lepræ, lichenes, alphi, & quàmplurimæ vlceroſæ puſtulæ. Aliter verò tuberculis enatis, & articulorum doloribus affligentibus, corpus altum purgatur, vitioſis ſcilicet humoribus ad extremas partes translatis. Quòd autem ſanguinis profuſiones plenitudinem & cacochymiam id eſt humorum prauitatem vacuando, ab his morbos fieri prohibeant omninò eſt manifeſtum. Quòd ſi corpus aliquòd euchymum, id eſt ſucci bonitate abundans, vernum tempus accipiat, integerrimam ipſi valetudinem tuetur & ſeruat, nihil ex propria innouans natura. non tamen de æſtate ita aut autumno, aut hyeme dicere poſsis. Hæc enim tempora licet purum corpus & omni ex parte inculpatum excipiant, flauam tamen bilem æſtas iuſto copioſiorem, atram Autumnus, pituitam hyems generare conſueuit. Porrò eiuſ-

modi

modi aliquid in vere accidit, quale corporis exercitationibus fieri videmus. Nā etſi ipſa alioqui corporis exercitatio eſt ſaluberrima, tamen ſi pituita plenum hominem, aut bile alterutra, aut etiam ſanguine ipſo exercere volueris, ei epilepſiā aut apoplexiam tali exercitatione cōtraxeris. Aut ſi iſta non accidant, periculum certè imminebit ne rupto aliquo in pulmone vaſe, in morbum incidat incurabilem. Iam verò multi quum febricitare cœpiſſent propter exercitationes acutiſsimis morbis ſunt correpti. Quibus verò purgationis humorum in profundo latentium loco exercitatio imperata fuerit, ea ad cutem cacochymiam id eſt prauorum humorum copiam euocans & ſpargens, vlcera & ſcabiem excitat. Nam & hoc innuebat Hippocra. ipſe quum diceret, Impurgatum ſi exerceas, vlcera exorientur. Sic ſanè verno tempore aëris ambientis calor humores fundens euocat ad cutem perſimili exercitationum effectu. Nec verò exercitationū effectis ſolùm, ſed ipſius etiam naturæ operibus ſimilia ſunt veris effecta. Illius ſiquidem partes ſunt, tum occultam illam toto corpore perſpirationem efficere, qua corporis excernantur ſuperuacanea, tum etiam per morbos variis

riis modis corpus expurgare.

XXI.

Τοῦ δὲ θέρεος, ἔνιά τε τούτων, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καὶ καῦσοι, καὶ τριταῖοι πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ διάῤῥοιαι, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὤτων πόνοι καὶ στομάτων ἑλκώσιες, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἵδρωα.

Aeſtate verò ſuperiorum quoque nonnulli & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, quartanæ item, & vomitiones, alui profluuia, ophthalmiæ, aurium dolores, oris vlcerationes, genitalium putredines & ſudationes.

Ex vernis morbis quoſdã æſtate etiam fieri dicit, id eſt æſtatis initio. Nam æſtatis pars quæ fini veris committitur, quẽadmodum ſimilem habet cum vere temperationem, ita morborum etiam communem habet generationem. Nam & alios quoſdam æſtatis proprios morbos fieri dicit, febres continuas & ardentes & tertianas, &, ne ſingula enumerem, quæcunque ex flaua bile corporibus accidunt mala æſtate fieri conſueuêre. Nam bile ſurſum ad os ventriculi repente & innatante vomitiones fiunt, vt alui deiectiones deorſum eunte. Ophthalmiæ quoque æſtate plurimæ, vtpotè repleto capite. Sic & aurium dolores, aliáque ſimilia æſtate corpus patitur propter repletionem capitis

tis aliâs ad aliam corporis partem excrementum deponentis. Oris etiam vlcerationes propter bilioſum humorem fieri eſt manifeſtum. Genitalium verò putredines non quauis æſtate fiunt, ſed quando vel humidior paulò fuerit, vel vento ferè vacauerit, vel ad auſtrinam conditionem inclinauerit. Nam vbi plurimùm à ſtatu naturali ad humiditatem & auræ vacationem receſsit, non modò naturalium, ſed cuiuſuis etiam alterius partis putredines facit, qualis profectò erat illa cœli tempeſtas, quæ & tertio Epidemiων & ſecundi ſtatim initio deſcribitur: quæ verò parum à naturali ſtatu deſciuerit ad humidius, ea naturalia tentat, ipſa alioquin ob humiditatem & caliditatem facilè putreſcentia. Quare quum propriam etiam æſtas ſeruat temperationẽ, ſi multis excrementis infeſtentur, quæ fortè occaſione aliqua ad naturalia fluxerint, ipſorum putredines patiuntur. Sudationes autem è genere ſunt eruptionum in ſummo corpore hærentium, quæ more vlcerum cutem exaſperant. Fiunt autem, vt ipſum nomen oſtendit, propter multos ſudores, qui vel bilioſiores, vel mordaciores omninò euaſerint. mordent enim hi cutem & pruritum in ea ardorémque excitant

citant, & vlcerum inſtar exaſperant.

XXII.

Τοῦ δὲ φθινοπώρου, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι καὶ πλανῆτες, καὶ σπλῆνες, καὶ ὕδρωπες, καὶ φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λειεντερίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες, καὶ κυνάγχαι, καὶ ἄσθματα, καὶ εἰλεοὶ, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά.

Autumno æſtiui etiã multi morbi, & febres quartanæ, & incertæ, lienis tumor, aqua inter cutem, tabes, vrinæ difficultas, inteſtinorum tum læuitas tum difficultas, coxæ dolores, angina, anhelatio, inteſtinorum parte quapiam coarctatio, epilepſia, inſania, melancholia.

Autumno, inquit, æſtiui morbi multi fiunt, manente adhuc per id temporis humore æſtiuo, flaua ſcilicet bile. Neq; enim quo modo æſtas veri ſuccedens humores vacuat, ita & autúnus æſtiuos, ſed modo prorſus contrario à partibus ſummis & externis ad interiores & profundas reuocat. Itaq; meritò æſtatem quidem nónullos vernos morbos gignere, Autumnum verò æſtiuos non aliquot, ſed multos creare dicit. Quinetiam id temporis quartanas febres fieri ait, quę ex atra bile ortum habent, geminam & ipſa generationem ſortita

Vide aphor. 34. et 35. lib. 4. et aph. 37. lib. 6. et lib. 7. aph. 60.

Vide aph: 43. lib.6. et ẽt aph: 48. eiusdem libri.

ſortita, vnam ex flaua bile retorrida & peruſta, alteram ex craſſo ſanguine. Fiunt etiam incertæ & erraticæ febres per autumnum propter temperaturæ inæqualitatem. Fiunt & lienes magni; redundante excremento melancholico, & aqua inter cutem lienis vitio. Et ſi qua eſt affectio tabida ſuſpecta, maximè autũno deprehenditur ob ſiccitatem & frigiditatẽ, & temporis inæqualitatẽ, nihilóque minus etiã propter humorum vitium. Fit & iiſdem de cauſis eo maximè tempore vrinæ diffi cultas, ſtranguria Græcis, Latinis vrinæ incontinentia dicta. Nam & incertis illis inordinatíſque ac repẽtinis caloris & frigoris mutationibus refrigeratur veſica, & ex cacochymia, id eſt humorum vitio profecta acrimonia ipſi moleſtiam exhibet, præſertim quũ facta in frigidius mutatione humores qui anteà cutis perſpira tu digerebantur & ſudoribus vacuabantur, ad veſicam fuerint cõuerſi. Læuitas vero inteſtinorum, id eſt Λειεντερία, ſubita eſt & ſine vlla omninò mutatione ciborũ deiectio, quę fit vel propter exulceratiõẽ ventriculi aut inteſtinorum in ſuperficie eodem modo factam, quo aphthæ in pueris, id eſt oris vlcera, vel propter virtutis retentricis imbecillitatem. quorum prius

propter

propter mordaces & ſubſtãtia tenues humores fieri ſolet, ſecundum magnam ventriculi aut inteſtinorũ intemperiem conſequitur. quæ duo mala autumno maximè fieri conſueuêre. Coxæ autem dolores cũ ex humorum malignitate, tũ refrigeratione maximè fieri rationi eſt conſentaneũ. At verò anginæ ex biliofis humoribus originem ducunt ad fauces decumbentibus: quæ ab iis quę verè fiunt eo differunt, quòd illæ ſunt quodammodo pituitoſiores. Iam verò anhelatio, id eſt animæ ducendę difficultas, quã aſthmatis vocabulo Græci intelligunt, tũ propter humorum ad interiora motũ, tum propter refrigerationem fieri ſolet. Propter hæc ipſa inteſtinorum coarctatio, quem εἰλεὸν Græci appellant quia in arctum cogatur inteſtinum, fit dum alimenti excrementa deorſum deſcendere & inteſtina peruadere prohibentur, quod magna ex parte accidit propter inteſtinorũ partis alicuius inflammationẽ. maximè verò par eſt, vt frigido, & inæquali, & malos humores gignente tempore offendantur ventriculus & inteſtina. Nam æſtate tenuatos & mobiles factos humores autumnus excipiẽs in profundũ corporis ſua frigiditate & inæqualitate cõpellit. eſt verò profun-

dus inteſtinorum ſitus. Epilepſia verò iis qui naturâ ſunt huic malo obnoxij, accidit propter repentinam in contrariũ mutationem. nam ferè meridianis temporibus calor, nocturnis atq; matutinis & veſpertinis frigus viget. nihil autem æquè epilepticas acceſsiones generare, atque eiuſmodi mutatio poteſt. Inſania verò quam maniam appellant, propter tenuiũ ac bilioſorum humorum malignitatẽ accidit, quo modo melãcholia propter atrã bilem, de qua paulò antè diximus.

XXIII.

Τοῦ δὲ χειμῶνος, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων, καὶ πλευρέων, ὀσφύος, κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι

Hyeme pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, grauedines, raucitates, tuſſes, pectoris, laterum, & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ.

Hyemales morbos ſtatim poſt autũnales exponens, non eadem qua in ſuperioribus vſus eſt loquendi forma, hyeme ſcilicet multos etiã autumnales morbos fieri. quãquàm prius, quũ de æſtiuis ageret, vernis eos comparans dixit, Aeſtate verò horũ etiam nõnulli: & quum de autũnalibus diſputaret, Autumno æſtiuorũ etiã

multi

multi. Nunc autem morborum hyemalium catalogum abſolutè citra alterius temporis mentionem confecit, ſiue quòd de communi voluerit hoc etiam loco nos ſubaudire ex dictis morbis aliquot, ſiue abſolutè pronuntiare, tanquam nihil autumnale tempus cũ hyemali cõmunicet. Atqui prima certè quidem hyemis pars & ratione & experientia communitatem cum autũno & ſimilitudinem habere videtur. Ipſe enim dicebat, Aeſtiuæ quartanę magna ex parte breues, Autũnales longæ, præſertim quæ hyemem attigerint. niſi quis dicat, ipſum de quartanis iis quæ extrema autũni parte generantur mẽtionẽ facere. Verùm hoſce vult hyemis proprios morbos eſſe, pleuritides & peripneumonias, quoniam inſtrumẽta reſpirationi ſeruientia à frigore lædantur. Cætera enim licet tam exactè obtegere & munire aduerſus cœli iniurias, vt nihil aut certè minimum ſentiant aëris ambientis frigiditatem. Reſpirationis verò vſu neque nobis interdicere poſſumus, neq; aliunde datur reſpirandi facultas. Sola enim aura eſt, quam inter reſpirandum ducunt reddúntq; cõmuniter omnia animantia. Ob hãc ipſam refrigerationẽ caput lęſum, grauedines, tuſſes, & raucitates cõmittit. Et

quemadmodum dolores laterum propter refrigerationem fiunt, ſic etiam capitis, lumborum, & omnium denique partium neruoſarum. Vertigines etiam, capitis læſionem conſequuntur, ſimiliter & apoplexiæ. Nam hic quoque morbus fit, quum cerebrum pituita repletum fuerit.

XXIIII.

Ἐν δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιάδε συμβαίνει, τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλοῦ φλεγμοναὶ, ὤτων ὑγρότητες.

Secundum ætates autem hi morbi fiunt, paruis & nuper natis puerulis oris vlcera, vomitiones, tuſſes, vigiliæ, pauores, vmbilici inflãmationes, aurium humiditates.

Diligentior fuit Hipp. in explicatione ætatum & morborum qui in ipſis fiunt, quàm temporum. ſiquidem ætates in minimas etiam partes ſecuit. In puerulis itaque recẽs in lucem editis aphthas fieri dicit. Sic Græci vocant exulcerationes, oris ſuperficiẽ occupantes, præ mollitie inſtrumentorum maximè factas. ea enim tenella adhuc neq; contactum, neq; qualitatẽ lactis non parum ſeri continentis ferre poſſunt. quod quidẽ ſerum quum abſtergendi vim habeat, nihil mirum, ſi in mollioribus corporibus quaſdã in ſuperficie

exulcerationes excitet. Vomitiones autẽ id ætatis ipſis accidere par eſt,propter lactis quod ſugunt nimiam copiam. Vigilias verò ipſis adeſſe, res eſt minimè conſueta. quippe qui maximam temporis partem dormiant,niſi fortè quia patiãtur aliquid, vigilias ipſis fieri putes. Siquidem multus ſomnus,ipſis eſt maximè ſecundũ naturam.Pauores autem per quietẽ infantes pueros inuadunt eos præſertim qui ſunt natura edaces,quãdo vẽtriculus ſentiendi quidẽ vi pollet exquiſita,ſed imbecillitate naturali laborat, & in eo cibus corrũpitur. Nos ſiquidẽ non in tantillis ſolùm,ſed etiam ætate perfecta & grandi hominibus horrificas per ſomnũ imaginationes fieri obſeruauimus,quũ & multi & vitioſi humores vẽtriculum & ipſius os præſertim grauarẽt & morderent. hæc enim ipſius particula ſenſibilis eſt maximè.Vmbilici quoq; non multò antẽ præciſi inflammatio recẽns natis pueris meritò accidit, nõ aliter quàm ſi qua alia pars vlcerata foret. Sed & auriũ humiditates reponit inter morbos,non etiam palati & narium excrementa eodem numero comprehendẽs, quoniam ſecundum naturam ſit per nares atq; palatum cerebri excrementum deriuare, quod iis etiã qui æta-

te iam ſunt perfecta vſu venit: præter naturam autem per aures deriuatio. Pueris tamẽ infantibus per aures quoq; expurgatur cerebrum, rectéq; Hippoc. inter proprios huius ætatis morbos aurium etiam humiditates ſcripſit. Eſt certè quidẽ puerulis recèns natis corpus totum humidiſsimum, adeò vt oſsium etiam natura in ipſis veluti cerea ſit potius quàm lapidea, præ cæteris verò partibus cerebrum longè humidiſsimũ, vtpote quod in adultis etiam & perfectis tale exiſtat. Quare non citra rationem in ipſis quum multa ſuperuacaneorum copia redundet, per omnes excernitur meatus.

XXV.

Πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν, οὔλων ὀδαξισμοὶ, πυρετοὶ, σπασμοὶ, διάῤῥοιαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας, καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παίδων, καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι.

Aduentante dentitionis tempore gingiuarum pruritus, febres, conuulſiones, alui profluuia maximè quum caninos edunt, & ijs præſertim qui craßißimi ſunt, & qui aluo ſunt dura.

Gingiuarum ὀδαξισμὸν, id eſt pruritum fieri, quum puerulis dentes prodituri ſunt & emerſuri mirum videri nõ debet, ὀδαξισμὸς enim pruritus quidã eſt cũ exiguo

quodam

quodam & leui dolore.Febres verò & cõuulſiones & diarrhœæ, id eſt ſolutiones alui pueris ipſis iam dentientibus, id eſt dentes iam edentibus, non etiã edituris accidunt. quemadmodum ipſe his verbis oſtendit, Maximè quum caninos edunt. Quæ ſanè ſymptomata euenire eſt veriſimile, foratis à prodeuntibus dentibus gingiuis,veluti quum paxillus carni fuerit impactus. Atque profectò plus dentes affligũt,quàm infixus paxillus, hic ſiquidem ſemel firmatus in mẽbro cui ab initio infixus eſt quieſcit, dẽtes verò ſemper tantum procedunt,quantũ augentur.Febricitãt ergo hac ætate pueri propter dolores,vigilias & inflammationes. Cõuelluntur etiam tum ob hæc ipſa, tum quia probè in ipſis non coquitur alimentũ, & quia neruoſarum partium natura nondũ ſatis valida exiſtit.Quæ omnia neceſſariò diarrhœæ & alui deiectiones conſequuntur, quia alimentum non benè coquatur neq; diſtribuatur.Illud autem,Et iis prȩſertim qui craſsiſsimi ſunt & qui aluum duram habent, ad conuulſiones referri debet. His enim maximè pueris conuulſiones fieri dicit qui craſsiſsimi ſunt, & qui aluo ſunt dura.Tales enim plethorici ſunt & excrementis abundant, & ideò

conuulſionibus facilè corripiuntur.

XXVI.

Πρεσβυτέροισι δὲ γινομένοισι παρίσθμια, σφονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον ἔσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατυριασμοὶ, στραγγουρίαι, χοιράδες, καὶ τ' ἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Ipſis verò grandiuſculis tonſillarum inflammationes, vertebræ in occipitio introrſum luxationes, anhelationes, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, ſatyriaſmi, ſtranguriæ, ſtrumæ, & alia tubercula, præcipuè verò antedicta.

Primùm ſcripſit de puerulis recens in lucẽ editis, deinde de dentiẽtibus, nũc de iis agit qui in mediã ætatem agunt inter eos qui dentire deſierũt, & eos qui puberi ſunt proximi. Nã de pubertati proximis deinceps ſecundũ hos quartũ ordine locũ obtinentibus mentionẽ facit ſequenti aphoriſmo. Verùm tertiã ætatẽ, qua de nunc agitur, ad duodecimũ & tertiumdecimũ vſq; annum progredientem corripi dicit Hip. iis affectibus, quorũ prima pariſthmia ſcribit quæ locorũ ſunt ad iſthmum, id eſt fauces pertinentiũ inflammationes. Hoc autẽ loco per*iſthmũ intelligẽda eſt pars illa quæ os & gulam interiacet

* *Iſthmus & fauces*

iacet, quæ per metaphorã ab iſthmo propriè dicto ita eſt appellata. Eſt autẽ anguſta quædã terra inter duo maria peruia, quas fauces Latini & anguſtias maris appellant. Hæc autem pariſthmia interdum ſolius ſunt tunicæ ventris & gulæ & faucium totiúſq; oris cõmunis inflammationes, interdũ verò ipſi etiam ſubiectorum muſculorũ: quo tempore vertebræ etiam quæ eſt in occipitio antrorſum inclinatio fit. de qua ſtatim poſt pariſthmia inquit, Et vertebræ in occipitio antrorſum luxationes. nam vertebra hæc à muſculis inflammationem patientibus tracta, ad partem inclinat colli anteriorẽ. ſed hanc partem Hipp. non anteriorem, ſed interiorẽ appellauit, vt qui ad vertebrã ponè locatam orationem referret. Corporis enim è ſua ſede in profundum emotio, ſiue ex anterioribus, ſiue ex poſterioribus fiat partibus, per vocem vnam introrſum ſignificatur. Quæ cùm ita ſint, quamobrẽ tandem Hip. in pueris recèns natis neque de pariſthmiis, neque de vertebræ in occipitio luxatione quicquam dixit, quum & illi nihilò minùs habeant cerebrũ humidum & excrementis abũdans, adeò vt in ſubiectas partes fluxiones dimittat? An quia tam puſilli & tenelli prius moriãtur

nomina metaphorica: vndè pariſthmia glandulæ ad linguæ radicẽ, & earundẽ inflammationes.

quàm ſubiecti faucibus muſculi vnà cum neruis vehementem patiantur inflammationem? & alioqui partes has molles habeant, atque ideo tam vehementem nequeant ſuſtinere tēſionem, vt vertebram intrò ad ſe poſsint attrahere? Quinetiam aſthma, id eſt anhelatio, (Sic autem Græci crebram reſpirationem vocant, qualis currentibus, aut quouis alio modo ad vehementem motionem adductis accidit) in concitatis quidem vehementius fit, quia multa propter exercitationem reſpiratione animal indigeat, vbi verò exercitatio abeſt, fit ob coarctionem & anguſtiam pulmonis cauitatum. Hæc verò anguſtia fit fluxionibus ſupernè irruentibus repleto viſcere. Atqui hæ plures in recèns natis puerulis fiunt, & citò ipſos interimunt, quoniam aliàs etiam habeant malè. nam & ab vtero in aërem ambientem inſolens tranſitus, & alimenti diuerſitas, & inflammatio tum quæ primùm fuit locorum ad vmbilicum, tum quæ deinde propter dentium ortum eſt nata, hæc inquam eiuſmodi omnia imbecillos reddunt, & vix ea quæ dixi tolerāt mala, nedum præter hæc fluxiones etiam in pulmonem decumbentes ſuſtinere poſsint. Lithiaſis verò, id eſt calculi in veſica generatio

ratio, proprius eſt puerorũ morbus, propter edacitatem & ingluuiem crudos humores non paucos coaceruãtium.ex quibus craſsior pars vnà cum vrinis ad veſicam delata, fit lapidum gignendorũ materia:accedente cauſa altera caloris copia. Nam & ſenes aceruãt humorem quidem crudum non paucum,non propter voraci tatem vt pueri, ſed propter vis coctricis imbecillitatem:verùm calorẽ non habent fortem, qui ex craſſa materia per humoris reſolutionẽ in vaporem deſiccata lapidem generet. Lumbrici verò & aſcarides videntur aliis animalibus ſimiliter gigni, quæ non ex ſemine,ſed ex putredine ortũ habẽt. Sola enim putredo nõ ſatis eſt hiſce generãdis, ſed multo etiã calore eget. Pueris ergo cibus plerũque corrumpitur in ventre pręſertim inferiore:verùm caliditas in valde paruis & tenellis nondum materiæ potens eſt & ipſi dominatur. In grandiuſculis verò materiã obtinet idoneam ad eiuſmodi animaliũ generationem, & præter eã inſuper calorẽ acquiſiuit. Aſcarides ergo ſunt tenues quidã lum brici in parte maximè inferiore craſsi inteſtini geniti:cuiuſmodi plurimi manifeſtò cernũtur in veterinis animalibus malè cibũ coquẽtibus.quorũ deprauatã coctio-

nem

nem fœtor indicat excrementorũ. Aliud lumbricorum genus rotundorum, in ſuperioribus magis inteſtinis generatur, vnde fit vt in ipſum quãdoq; ventriculum aſcendant. Atque multò plures hi quàm aſcarides gignũtur in pueris. Rarior lumbrici lati generatio, qui & lõgiſsimus eſt, & ſæpe per omnia extenditur inteſtina. Verùm de hoc penitus nullam Hip. fecit mentionem, quoniam neq; ipſi erat propoſitum de omnibus morbis agere, qui accidunt hominibus, ſed de iis tantum qui quaque ætate fiunt. Propterea enim ipſe enumeratis iam dictis, deinceps verrucas penſiles, quas Cræci acrochordonas appellãt, & ſtrumas adiecit morbos ex vitioſi humoris foras & ad cutem vergentis copia natos. quorũ genus totũ appellat phymatis, id eſt tuberculi nomine, ita deinceps ſcribens, verrucæ pẽſiles, ſtrumæ, & alia tubercula. Verùm eximiè phymata quædã appellãtur inflammationes nonnullæ ſpontè naſcentes quæ & celerrimè oriuntur, & ocyſsimè in acumen & altum attolluntur, & citiſsimè etiam ad ſuppurationẽ perueniunt. quorum plurima in inguinibus & axillis generatio, quoniam in his locis multi ſunt adenes eã ſortiti naturã vt in ſe excrementa facilè recipiant

piant. quorum morbus ſtruma quoque eſt, non vtique ex calida materia, & ad ſuppurationem feſtinante, ſed ex pituitoſiore & frigidiore maximè conſtans.

XXVII.

Τοῖσι δὲ ἔτι πρεσβυτέροισι καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, τουτέων τε τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιες.

Grandioribus autem & ad pubertatem accedentibus ſuperiorum etiam morborum multi, & febres diuturniores potius, & ex naribus ſanguinis fluxiones.

Pueri pubeſcere incipiunt poſt annum quartumdecimum. illi ergo prope ætatem hanc accedere dici poſſunt, qui vel duodecimum, vel tertiumdecimum, vel quartumdecimum annum agunt. neque enim vnus eſt omnibus certus ſtatúſque pubertatis terminus, propter caliditatem & frigiditatem naturarum. Calidiores enim citius, frigidiores tardius pubeſcunt. Verùm ætate hac laborant multis ex morbis ſuprà dictis propter temperationis ſimilitudinem, & prætereà longioribus febribus quàm erant ſuperiores. quamquam de iis febribus quæ prima ea ætate abundant quales eſſent nihil quicquam dixit, verùm ex eo quod nunc

dicitur,

dicitur, apertè oſtendit acutas eſſe. immutatur enim & alteratur citiſsimè habitus puerorum propter corporis humiditaté, &*naturalis virtutis imbecillitatem. Sanguinis verò per nares fluxiones fiunt grandioribus, quoniam talis humor ea ætate redundare incipit, non quòd copioſior generetur quàm anteà, ſed quia nunc ipſius minus conſumatur, propterea quòd augmentum pro corporis ratione minus hac ætate procedat, quàm ſuperiore.

* *In pueris fortiſsima naturalis facultas cæterarũ virtutum comparatione, per ſe verò imbecillior eſt quàm proximis ætatibus.*

XXVIII.

ΤΑ δὲ πλεῖστα τοῖσι παιδίοισι πάθεα κρίνεται, τὰ μὲν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι, τὰ δὲ, ἐν ἑπτὰ μησὶ, τὰ δὲ, ἐν ἑπτὰ ἔτεσι, τὰ δὲ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν. ὅσα δ' ἂν διαμένῃ τοῖσι παιδίοισι καὶ μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν, ἢ τῇσι θήλεσι περὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας, χρονίζειν εἴωθεν.

Pueris maximam partem morbi iudicantur, alij intra dies quadraginta, nonnulli intra ſeptem menſes, quidam intra annos ſeptem, alij ipſis etiam ad pubertatem accedentibus. Qui verò permanſerint, neque pueris circa pubertatem, neque fœminis quum menſtrua erumpunt ſoluti fuerint, inueteraſcere conſueuerunt.

Si vox diuturni, orationi adiecta fuiſſet,

ſet, melius foret. Inde enim nonnulli nomen πάθος, quo hîc vſus eſt Hippocr. de diuturnis tantũ morbis intelligere ipſum arbitrantur. Verùm his aduerſantur, quæ in aliis dixit aphoriſmis, quale illud eſt, In acutis πάθεσι rarò & per initia medicationibus vti oportet. Item & illud, Victus tenuis in longis ſemper πάθεσι & in acutis. Ex quibus fit manifeſtum non in diuturnis tantum morbis Hipp. ſed etiam in acutis vſurpare conſueſſe πάθος nomen. Videtur tamẽ nunc aut diuturnis morbis id nominis accommodaſſe, aut imperfectam orationem reliquiſſe. Nos verò ipſi quod deeſt ad perfectionem ſupplentes, ita efferemus, Maximam partem pueris diuturni morbi ſoluuntur, quidam intra dies quadraginta, Alij ſpatio ſeptimeſtri, nonnulli ſeptẽnio. Quadrageſimus namque dies diuturnorum morborum primus criticus, & degenerũ acutorum vltimus decretorius, quemadmodum ſuprà docuimus. Qui verò hunc ſuperant terminum, ſeptenaria ratione iudicationem ſortiuntur, non iam diebus connumeratis ſeptem, ſed primùm quidem menſibus, deindè annis. Et verò morbos qui hoc tempus ſuperauerint ad quartumdecimum annum peruenire eſt manifeſtũ.
Nam

Nam ſecundus ſeptenarius eo tempore completur, cũ eo quòd in pubertate magnæ fiunt corporis mutationes, in fœminis præſertim propter menſium eruptionem. Quo fit vt qui ne hac quidem ætate morbi ſoluti fuerint, in longum vſque tempus permanere ſoleant.

XXIX.

Τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν, αἵματος πτύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τ' ἄλλα νοσήματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

* *Iuuenibus ſanguinis expuitiones, tabes, febres acutæ, epilepſiæ, aliíque morbi, ſed præcipuè nunc dicti.*

Quum primas ætates ad pubertatem vſque minutiſsimè & particulatim explicuerit, neſcio quo modo nunc adoleſcentiam prætermiſit, inter puberes & eos qui floridam iuuenilémque ætatẽ agũt mediam. Verùm qualis ea ſit licet ex iis quas oratione eſt proſequutus coniecturã facere, quippe quæ in multis cõmunicet cum illis ætatibus quæ vtrinque eã circunſtãt: ſed in maribus peculiarem eximiámque habet ſanguinis per nares profuſionẽ. de qua in iis mentionẽ fecit qui propius pubertatem accedunt. Nam hoc ſymptoma ea ætate apparere incipit, ſed maximè viget in adoleſcentibus, deinde remittitur

in

in viris. Verùm ætatẽ hanc prætergreſſus Hip. ad iuuenum ætatem peruenit, ac primùm ſanguinis excreationes & tabes, deindè febres acutas, & ſecũdum has epilepſiam ſcripſit, poſtremò adhæc omnia, & alij, inquit, morbi, ſed maximè nunc enumerati, rectè quidem hoc adiiciens. Nam ita rem habere cernimus, ſed non ſatis de morbis acutis dixit. Neq; enim abſolutè dictum oportuit acutos (nam & in pueris nihilo ſecius videntur fieri) ſed inter acutos morbos febres maximè tertianas, & ardentes. Hæ enim omniũ ſunt bilioſiſſimæ, & ſæpiſsimè iuuenes inuadunt, quoniam flaua quoq; bilis hac ætate abũdat, ex qua morbi tales iis qui florente & vigente ſunt ætate fiunt. Nam tabes & ſanguinis expuitiones patiuntur non ſecundum ætatis naturam, ſed ex accidenti ipſius quopiam. vnde ſuprà dicebat, Senes ferè minus quàm iuuenes ægrotare: vbi nos quoque diximus propter intemperantiam, non ob virtutis imbecillitatem iuuenibus ægritudines multas accidere. Eadem quoque ratione ſanguinis ſcreatus iuuenibus accidunt, vel quia vulnus acceperint, vel contuſi ſint, vel ſaltauerint, vel vehementius & contentius vociferati, vel refrigerati fuerint, vel humi

cubitauerint, vel plenitudine nimia aut eiuſmodi occaſione aliqua in id mali inciderint. Ad ſanguinis verò ſputum, tabes conſequitur. Quare propter eiuſmodi actus iuuenes ægrotabunt per accidens non primariò neque ætatis ratione. Epilepſia verò iuuenibus, quamuis etiam malo victu vtantur, non multùm accidit: vt mirari ſubeat quo modo Hippocr. hanc aſcripſerit, quum alibi non modò pueris plurimùm accidere, ſed indè etiam puerilem morbum appellatum fuiſſe, & verò ætatis mutatione ſanari dixerit. Fit ergo Epilepſia in quibuſdam iuuenibus, quibus antea pueris non acciderat, propter ipſorum vitioſam & inordinatam viuendi rationem, & peccata in cibo & potu & aliis actibus admiſſa, exempli gratia quum humi cubãt, & ſoli ſe exponunt & imbribus, aliáque patiuntur his ſimilia. Verùm nec ſic quidem multæ hac ætate epilepſiæ: aliíque his non minus quidam morbi fieri poſſunt eadem ratione. Quare melius fuerit, ſi ita ſcribatur aphoriſmus, Iuuenibus quum alij prope modum omnes in aliis ætatibus dicti morbi fiunt, tum verò præcipuè ardentes febres, quos cauſos appellant Græci, & tertianæ fieri ſolent.

xxx.

XXX.

Τοῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν ἡλικίην ταύτην ἄσθματα, πλευρίτιδες, περιπλευμονίαι, λήθαργοι, φρενίτιδες, καῦσοι, διάῤῥοιαι χρόνιαι, χολέραι, δυσεντερίαι, λειεντερίαι, αἱμοῤῥοΐδες.

Vltra hanc ætatem prouectis aſthmata, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phreuitides, ardentes febres, diuturna alui profluuia, choleræ, dyſenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides.

Iuuenum ætas quinto ſeptenario circunſcribitur. Siquidem id innuens ipſe in prognoſtico dicebat, Expectanda in iis magis profuſio ſanguinis, qui nondum trigeſimumquintum annum attigerunt. Nam quæ iuuentutem ætas proximè excipit, ad ſequentes duos ſeptenarios extéditur, in qua ætate qui ſunt, omnia quæ geruntur in vita facere adhuc aggrediuntur, non aliter quàm qui floridam & iuuenilem ætatem agunt, ſed non ſimiliter labores perferre poſſunt. Nam ab ardoribus ſolis & frigoribus, & in nuda humo cubatu, quam chameuniam Græci appellant, & vigiliis, & cibi potúſve expletione nimia magis offenduntur quàm iuuenes. Iam verò horum quoque temperamentum quodam modo melancholicum magis eſt. ideóque per eam ætatem, vt inter anni tempora per autumnum multi atra-

bili perciti vexantur. Quemadmodum enim hoc tempus frigidum exiſtens flauam bilem æſtiuis caloribus peruſtam excipit, ſic vergens ætas & inclinata iuuenilem æſtati ſimillimã ſubſequitur. Vnde mirari ſubit, quî factum ſit vt in hac ætate non meminerit melancholiæ. quanquam ego hãc quoque in quibuſdam exemplaribus aſcriptam inueni, ſiue ſit quiſpiam auſus adiicere id quod deeſſe videbatũr, tanquam ab Hippo. prętermiſſum, ſiue alij deprauatis & falſis exemplaribus fidentes ita legendum omninò putauerint. Sed & ex tabidis quoq; multi, & ex iuuenibus quotquot ex ſanguinis ſputo in tabem inciderint hac ætate moriũtur, non tamen hac ætate multi ſanguinem expuunt, quoniam neque ætate tam progreſsis ſanguinis copia adeſt. Aſthmatis autem id eſt anhelationibus & peripneumonia id eſt pulmonis inflammatione, & pleuritide corripiuntur hac ætate magis quàm iuuenili, vt potè qui & victu ſimili & laboribus vtãtur, & multo imbecillius quàm iuuenes corpus habeant. Denique morbos quos ſilentio præteriit quum de iuuenilibus ageret, nunc omnes recenſet. Nam phrenitides & ardentes febres & choleræ, & dyſenteriæ nihilominus accidunt

dūt iuuenibus quàm ætate prouectis, ortus vtique occaſionem ex flaua bile ſortitæ. Diuturniores autem diarrhœæ, id eſt ventris ſolutiones ætate deferueſcente (quæ eadem matura & conſtans ætas dicitur) fiunt propter imperfectam & deficientem alimenti diſtributionem. Nam omnium ferè ætatum deferueſcens, paracmaſtice Grçcis dicta, paucisſima indiget corporis refectione. ſiquidem id quod diſcutitur & diſsipatur paucisſimum eſt. neque enim corpus ſimiliter calidum ac prius, neque amplius in augmentū quicquam abſumitur, ſed neq; in his facultate retentrice valdè imbecilla, ſicuti in ſenibus, effluit plus ex corpore. Quum igitur diarrhœæ fiant vel concoctione vel diſtributione offenſante, vel etiam bile ſua acrimonia inteſtinum deradēte, quæ omnia in progreſsis ætate & prouectis adſint, nō ſine ratione ipſis diuturnæ fiūt alui fluxiones. Cæterùm febres lethargicæ fiunt ex humore pituitoſo in cerebro aceruato: qui prioribus quidem ætatibus parcior potius eſt quàm redundantior, in ſenili verò ætate plurimus habetur, ſed propter ætatis frigiditatem febres non accendit. In quibus autem ætatis feruor & vigor elangueſcit eiuſmodi etiā abun-

dat humor, necdum frigidum corpus eſt. Lienterias verò, id eſt læuitates inteſtinorum oſtẽdimus aliâs à frigida fieri pituita, aliâs à ſola intemperie, quæ vẽtris vim retentricem imbecillam reddiderit, aliâs denique ab vlceroſa quapiam committi affectione: quæ omnia abundãter adſunt ætate progreſsis. Ex hæmorrhoïdibus autem venis ſanguis profluens huius ætatis verus eſt & proprius morbus, ſicut & melancholia. Fit enim id ab atra bile ad ſedis venas cumulatius decumbente. Atq; ſic mihi omnium enumeratorum morborum cauſa eſt explicata. Qui verò certam horum probandorum ſcientiam comparare ſibi volet, is commentationes noſtras, in quibus horum demonſtrationes docuimus, diligenter euoluat, quæ quot qualésque ſint, & quam quæque rem profiteatur & doceat intelliget, de librorum noſtrorum ordine libello perlecto. Hinc enim auſpicatus quomodo ipſorum quiſque legi debeat intelliget.

XXXI.

Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι, δύσπνοιαι, κατάῤῥοι βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης καὶ ὀφθαλμῶν, καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμ-

βλυωπ

βλυωπίαι, γλαυκώσιες, βαρυηκοΐαι.

Senibus ſpirandi difficultates, deſtillationes cum tuſsi, ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, malus corporis habitus, cachexia Græcis dictus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum & aurium humiditates, viſus obtuſior, glaucomata, auditus hebetior.

Quidam Hippo. ſectatores τοὺς πρεσβύτας τῶν γερόντων, id eſt vt ipſi interpretantur, prouectos ætate à ſenibus diſtinguũt, nomen τῶν γερόντων poſtremæ ætati tribuentes, atq; id perpetuũ eſſe exiſtimantes: τῶν πρεσβυτῶν autem appellationem priori ætati accommodantes inter iuuentutem & ſenectutem mediæ. Sed nũc manifeſtò oſtendit ſe πρεσβύτας eos appellare, qui poſtremam ætatem agunt. In ipſis ſiquidem de ætatibus diſputationem finiuit, quaſi omnes iam ætates percurriſſet. Senes ergo deſtillationibus cum tuſsi ſæpiſsimè corripiuntur, quoniam ipſis caput facillimè refrigeratur, atque idcirco multa in eo gignuntur pituitoſa excrementa, quum iam cerebri ſint temperamẽto valde frigido. Aſthmata verò & anhelationes, tum propter has deſtillationes ortum habẽt, tum etiam quia alioqui ipſa reſpirandi inſtrumenta nõ rarò proprium fri-

goris habent principiũ. Quum verò ipſis multa ac craſſa excrementa generentur, inſupérq; virium adſit imbecillitas, ſæpe fit vt renes obſtruantur & lapides gignãt, poſtquã tenax & craſſa ſuperuacanea materia ibidẽ hęrens & permanens calloſam fuerit concretionem nacta. Articulorum quoque dolores fiunt interdum affluentibus ad hæc loca excrementis, interdum verò inſtrumentis ipſis refrigeratis articulos mouentibus. Vertigines verò ſpiritus cum multo vapore in ipſo cerebro cõtenti inordinata & turbata motio ſæpè excitat, ſæpè etiam in ventriculo vitioſis ſuperuacaneis coaceruatis vapida in cerebrum exhalatio tollitur. Sed quid de apoplexia dicere conuenit? nullus enim adeò ſenili ætati familiaris eſt morbus. in ea nanque cerebrum pituitoſis repletum eſt excrementis. Sicubi verò vlcus factum fuerit in ſenibus, ægrè ſanatur propter ſanguinis defectum. Et aſsiduè ſe ſcabunt toto pruriente corpore, quia pruritum excitantia ſuperuacanea difficilem per cutem vacuationem habent. Siquidem propter refrigerationem tum cutem ipſis denſari & cogi, tum plura excrementa ſimul & craſsiora euadere rationi eſt cõſentaneum. Complures etiam

(neque

(neque enim omnes) continenter vigilant, tum quia alioqui ferè ſenectus ipſa ſolicita eſt & anxia, tum etiam propter corporis ſiccitatem. Quare tunc etiam magis vigilant, quum integra ſanitate fruuntur. Nanque diximus in commentariis de temperamẽtis ipſas quidem corporis partes per ſenectutem ſicciores euadere, ſed excrementorum pituitoſorum aceruari copiã. Vnde vulgò ratiõne quadam probabili habetur ſenectus frigida & humida. Quandiu igitur eiuſmodi excremẽta in cerebro plura coaceruata fuerint, ſomniculoſi magis ſenes, quandiu bellè excernentur vigilantiores fient. Verùm & pauciora gigni excrementa, & citius excerni accidit ipſis benè & ſalubriter habentibus. Vnde vel maximè propria affectio ſenilis ætatis videtur eſſe vigilia. Humiditates verò oculorum & narium in ipſis fieri liquet. propter cerebri ſuperflua excrementa. quibus in ventrem defluentibus ipſe etiam ſæpius humectatur. Obtuſior autẽ viſus & hebetior auditus ſenſibili facultate in ſenibus imminuta & obſcurata, fiunt. Et Glaucomata, id eſt glaucitates ipſis accidunt ob immodicam inſtrumentorum viſui ſeruientium ſiccitatem, & quia ſuffuſionis habeãt ſpeciem.

GALENI IN APHORISMOS,

Id eſt, ſelectas maximéque ratas Hippocratis ſententias,

COMMENTARIVS QVARTVS, GVLIELMO PLANTIO Cenomano, interprete.

I.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν, ἧσσον δὲ ταύτας· τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα εὐλαβεῖσθαι χρή.

Prægnantes purgabis, ſi materia vrgeat, quadrimeſtres, & vſque ad ſeptimum menſem, ſed has parcius. Minore verò aut grandiore conceptu, cautius religioſiúsq; agendū.

Eandē fœtus cum vtero cohærentiæ & coalitus rationē habent, quam cum arboribus fructus. Hi etenim prima generatione infirmis pediculis cōtinentur, atque ideò facilè decidūt, ſi quando vētus vehementior concuſſerit, poſtea verò aucti ipſi

diffic

difficulter à plantis diſſoluuntur & diuelluntur. quẽadmodum rurſus, vbi ad perfectam maturitatẽ peruenerint, ſponte ſua & ſine vlla vi externa decidunt. Eodẽ ſanè modo cõceptus quoq;, primo à ſeminis ſubmiſsione tẽpore ſi vel ſaltare aliquãdo, vel loco lubrico veſtigiũ fallente cadere, vel quoquo modo aliter aut animo aut corpore vehemẽtius moueri mulierẽ contigerit, facilè ab vtero abrũpuntur: quemadmodũ & quum perfecti iam fuerint & adulti. Tẽpore verò intermedio firmiorẽ coalitũ habent & auulſioni minus obnoxium. Quare mulier tũ in vtero ferens poteſt vehementiores motus ſuſtinere ſine fœtus offenſione. Quæ omnia animaduertens & probè tenens Hipp. rectè ait, Prægnãtes purgabis, ſi materia ſuo motu inuitet quadrimeſtres, & vſq; ad ſeptimum menſem: quod prægnationis tempus eſt mediũ, quum ſcilicet fœtus vtero firmiter adhæreſcit & cõtinetur. Sed ne hoc quidem tempore omnes quæ purgatione indigeant vacuari permittit, ſed ſi materia ὀργᾶ id eſt ἐπείγεται καὶ ὁρμᾶ ſuo motu inuitet & ſolicitet ad ſui vacuationẽ. Tracta enim appellatio eſt ab animalibus ad coitum cõcitatis. Nã quum humores redundantes mouẽtur & quaqua per corpus feruntur

runtur nondum corporis parte aliqua firmati, tunc ad eorũ expulſionẽ natura incitatur, atq; aliquo qui veluti manũ porrigat, & illum humorũ motum ad aluũ dirigat atq; deducat indiget. Nã qui parte quapiã firmati fuerint & impacti humores mouere nõ oportet. In eam ſiquidem ſententiam illud dictum eſt, Qui inflãmatas partes per morborũ initia aggrediuntur purgatione ſoluere, ij præter quàm quòd de parte cõtenta & inflammatione laborãte nihil educũt, (neq; enim crudus adhuc morbus permittit) ſanas etiã partes & morbo reſiſtẽtes colliquefaciũt. Quòd autem Hip. verbum φαρμακεύειν, pro medicamento purgante vti vſurpare cõſueuerit, in cõfeſſo eſt apud omnes qui vel minimã habent eius dictionis notitiã. Nã vt alia eius ſcripta omittas ſolis aphoriſmis contentus, aliud profectò nihil per eam vocẽ in ipſis ſignificari poſſe fatearis neceſſe eſt, vt paulò poſt fiet manifeſtum.

II.

ΕΝ τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα χρήσιμα· τὰ δὲ ἐναντίως ἰόντα παύειν.

Purgantium medicamẽtorum vſu talia è corpore educenda, qualia ſpontè etiã prodeuntia, iuuant: Contrario verò modo exeuntia, ſiſtenda.

Vltrò

Vltrò ex corpore vacuari ea dicimus quæ citra omnem medici operam excernuntur, natura noſtrum corpus moderáte & regente ea per ſe interdú expurgáte, interdum etiam alicúdè irritata, vel quia à vaſis capi nequeant. Quum itaq; natura quod ſuperfluum eſt euacuat, iuuatur animal: quum verò aliter excernitur ratione ſymptomatis, præterquam quòd indè vtilitas nulla cõſequitur, talis vacuatio prauæ etiã affectionis eſt ſignũ. Rectè igitur Hip. conſulit imitandã eſſe naturã. Quod aſſequemur, ſi ſingulis morbis tales humores vacuare tẽtabimus, quales vidimus in ſpontinis profuiſſe vacuationibus. Suprà itaq; ipſe de omni humorũ vacuatione generalius locutus eſt in húc modum, Sic & vaſorum depletio ſi quidem talis fiat, qualé fieri oportet, confert & leuiter ferũt. nunc verò de ſola purgatione eundem habuit ſermonem, quoniã de ea hoc maximè libri loco diſputationem inſtituerat. Atq; præſtiterit fortaſſe de omnibus vacuationibus, quas medici circa ægrotãtium corpora occupati moliuntur, altius diſputationem repetere. Fiunt ergo vacuationes interdum medicamentis tum vomitoriis tum deiectoriis totum corpus purgantibus. Nonnunquam verò

medica

medicamentum ex parte quapiã vacuandi vim habet, qualia quę per palatũ & nares capitis educunt excrementa. Sunt etiã de genere expurgantium ſuperflua, quæ per tuſsim thoracem & pulmonem expurgant, & quæ per vrinas eliciunt totius ſanguinis ſeroſum excrementũ. Clyſter quoque fuerit de hoc genere, & quicquid denique totum corpus æquabiliter non vacuat. quo modo tum phlebotomia vacuare creditur, tũ generaliter omnis ſanguinis ablatio quouis modo facta. Eiuſmodi quoq; eſt vacuatio tum quæ per vterũ & hæmorrhoïdas fit, tum etiam quæ per exercitia & frictiones & motum omnem, & quæ tepore fit & balneis calidis, præſertim ſi vel nitroſæ vel ſulfureæ, vel bituminoſæ fuerint, & deniq; ex accidẽti inedia æquabiliter vacuat. Hæc ſiquidem omnia videntur totum æquabiliter corpus vacuare: quamquam ſi quis exactius veritatem exquirat, nõ æqualiter vacuare comperiet: Verùm quum in his paruus ſit alterius ad alterum exceſſus ſecundum eorum quæ vacuãtur qualitatem & quantitatẽ, ideò æqualis vacuatio videri queat, At verò cathartica appellata pharmaca euacuationis diuerſam ſpeciẽ cõſtituunt. de quibus, vt dixi, ipſi nunc eſt diſſerendi

prop

propoſitum. non tamen maius quicquam do[illegible] quàm quod de omnibus vacuationibus ipſe iã dixit. Vnus enim eſt omnibus ſcopus propoſitus, humor redundãs, cuius quidem humoris internoſcendi peritia petenda eſt tum ex cuiuſque colore præter naturam toto corpore apparente, tum etiam ex ſymptomatis & morbis, anni etiam tempore, regione, ætate, aëris conditione præſenti, & ægrotãtis natura & vitæ genere & ſtudio, & victus modo. Vt ſi exempli gratia flauus toto corpore color appareat, vt in his fit qui regio morbo laborãt, & per ſedem bilis non excernatur, ſi puſtulæ quædam bilioſæ per totum corpus eruperint. Et particulatim, ſi ventriculi morſus, & cibi faſtidium, & inappetentia adſint, ſi ſitis & oris amaritudo, aut ſi aliqua parte corporis eryſipelas, aut tertiana febris hominem habeat, aut ardens ex bile ſæuiente febris, quem *καῦσον πικρόχολον* Græci dicunt. Nã in his omnibus abundat flaua bilis. atque idcircò eam educere conabimur iis medicamentis quæ ab effectu cholagoga, id eſt bilem ducentia appellata ſunt. Atque illud eſt quod ab Hipp. dicebatur, Si qualia oportet purgẽtur, confert & facilè ferunt. Nã illud qualia oportet, humorum ſua qualitate

litate ægrotum infeſtantium abundantiam ſignificat. propterea, quia ſcilicet peccans humor vacuatur, tales ait conferre vacuationes. Sed quoniã omnes ſolertes & artificioſæ coniecturæ in agendo fallunt interdum (ſimilitudines enim, vt ipſemet ait, nõ ſolùm vulgo medicorum, ſed præſtantibus etiam medicis errorem creant) alterũ nos indicium docet & notam à bonis non ſeparatam vacuationibus, euphoriam ſcilicet, id eſt in ferendo facilitatem, & leuationem ægrotantis: vt vel huius fiduciã rectè nos vacuationẽ moliri fiamus certiores. Quod autem de flaua bile veluti exempli gratia dixi, de atra quoque intelligere potes. Nam & in hac totius corporis color nigrior, & puſtulæ atræ bilis colore erumpunt. Morbi etiam propter ejus abundãtiam facti manifeſtò humoris indicant copiam, vt Elephas & cancer. Quinetiam quartana periodus, id eſt quarto quoq; die morborum repetitio fit propter melancholicum humorem. Et lien magnus, & nigreſcentes varices affectus ſunt eiuſdẽ humoris ſoboles & propagatio: quemadmodum & melancholia appellata, furor deniq; omnis, & inſania iracunda, temeraria, immanis & fera. Hippo. verò ex menſtruis quoque redundantem

dantem in mulieribus humorem conie-ctabat, cuius rei notas & ſigna ſcripſit primo li. de morbis muliebribus. Ex his igitur atram bilem redundare internoſces, atque his adductus indicationibus, ita demum poteris ad eius accedere vacuationem. Poſterius autem ipſa durante vacuatione ſecunda ſumetur indicatio ex ęgrotantis euphoria, id eſt ferendi facilitate & leuatione. Quæ de atra bile & flaua dicta ſunt, ea mihi de pituita quoque intellige, œdematoſos tumores, eruptiones item quas Græci ἐξανθήματα appellant & totius corporis colorem ſecundum humoris formam, adhæc febres quotidianas, & mẽtis pigritiam & torporem, ad ſomnũ propẽſionem, capitis grauitatem, & acidos ructus oxyregmias Græcis dictos, ſiquando in ventre talis cõtinebitur materia. Nam hæc omnia ſuadent dãdum pharmacum quod purget pituitam, ob id phlegmagogon appellatum. Iam verò purgatione facta, euphoria & facilitas ferendæ vacuationis tuam de internoſcẽdo humore redundante coniecturam confirmabit, qua confiſus ad talem aggreſſus es vacuationem: quam quidem coniecturam & fiduciam vacuationis non ſolùm ætas & natura ægrotantis adiuuabunt, ſed & anni

tempus, & præſens cœli ſtatus, & regio, & victus antecedens ſimul cum aliis vitæ inſtitutis, artibus & ſtudiis ad eam rem conferent aliquid. Etenim iam didiciſti ex iſtis omnibus alia pituitã, alia flauam bilem, atrã alia augere & amplificare. Atq; ab his omnibus vti diximus exhibẽdi medicamenti ſumuntur indicationes, quod peccantis humoris expurgandi vim habeat. Media verò vacuatione altera exiſtit indicatio, quæ vel coniecturæ veritati aſtipuletur, vel errorẽ coarguat. Siquidẽ ægrotandis euphoria, id eſt ferendæ purgationis facilitas rectè nos peccantẽ conieciſſe & internouiſſe humorem teſtabitur, dyſphoria verò, id eſt in ferẽdo difficultas perperã iudicaſſe coarguet. Nam ſi infeſtãtes humores vacuentur, facilè ferẽt ægrotantes, ſi verò aliud quiddam & non quod moleſtum eſt vacuetur, neceſſarium eſt omninò grauiter moleſtéque ferre. Quod igitur, vt modò dicebam, libri initio complexus aphoriſmo vno oſtendit his verbis, Sic & vaſorum depletio, ſiquidem talis fiat, qualem fieri oportet, confert & facilè ferunt: id nunc de purgationibus agens in duas ſecuit orationis partes, quarum priore quænam ſint commodæ vacuationes, poſteriore quòd tales vacuatio

cuationes firma approbatio & nota comitetur ægrotantis ſcilicet euphoria docuit. Porrò vacuationũ benè ac fœliciter ſponte naturæ factarum exempla protulit ipſe multa libris Epidemiων, pauca verò hoc aphoriſmorum libro, qualia ſunt, Aqua inter cutem laboranti per venas in ventrem aqua fluente, morbi ſolutio. & Si ophthalmia vexet, alui profluuio corripi, bonum. & Quibus bilioſæ ſunt deiectiones, ſurditate ſuperueniente ceſſant: Et contra quibus ſurditas adeſt, bilioſis deiectionibus interuenientibus, ceſſat.

III.

ΗΝ μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι. τὰ δὲ ἐναντία, δυσχερῶς.

Si qualia oportet purgentur, confert, & facilè ferunt: Contrà verò ſi fiat, grauiter.

Suprà nobis hic aphoriſmus declaratus eſt in præcedentis aphoriſmi expoſitione: ſcriptus etiam antea alia libri parte iiſdem verbis. Quare nonnulli eum ex hoc loco ſuſtulerunt.

IIII.

Φαρμακεύειν θέρεος μὲν μᾶλλον τὰς ἄνω, χειμῶνος δὲ, τὰς κάτω.

Aeſtate ſuperiorem potius, hyeme inferiorem purgare conuenit.

Subaudire oportet ventrem. Recte autem æſtate purgat supernè. Nam per id temporis humor exuperans bilis eſt flaua, & vniuerſa omninò animalis natura propter aëris ambientis calorem ſurſum magis mouetur. Superuacaneum verò quodque & redundans quo vergit ducere per loca commoda oportet. Adiecit autem huius aphoriſmi dictioni aduerbium potius, neque abſolutè dixit, Aeſtate ſuperiorem, hyeme inferiorem ventrem purgare oportere. Nam vt non ſæpius, at certè quandoque (licet raro) viſus in quodam eſt per æſtatem abundare pituitoſus humor, ſicuti hyeme aliquando bilis flaua.

V.

Ὑπὸ κύνα καὶ πρὸ κυνὸς, ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.

Sub Canicula & ante Caniculam difficiles ſunt purgationes.

Nam & noſtra tum natura ardoribus deflagrans æſtiuis purgantium medicamentorum acrimoniam & vehementiam non facilè feret, vnde complures purgati hoc tempore in febres incidunt: & natura propter æſtum imbecilla, purgatione magis ſoluetur & debilitabitur. * Quin ipſa etiam purgatio ægrè procedet,

Hinc colligi poſſe videtur, à medica potione ſomnum nō eſſe prohibendum.

det, aêris ſcilicet ambientis calore foras contra quàm medicamentum agat humores retrahente. Vt enim calidæ balineæ purgationibus aduerſari ſolent, ita calor æſtiuus iiſdem reluctatur, præſertim ſi ſeipſo extiterit vehementior.

V I.

Τοὺς ἰσχνοὺς καὶ εὐημέας ἄνω φαρμακεύειν, ὑποστελλομένους χειμῶνα.

Graciles & ad vomendum faciles per ſuperna purgare, niſi hyems adſit.

Etiam hîc addenda particula potius, vt paulò antè monuimus. Magna enim ex parte qui graciles, bilioſi: quibus ſi ad vomendum facilitas acceſſerit, supernè ſunt purgandi, niſi reclamet hyems. Nam ſuprà dixit, Aeſtate ſuperiorem potius, hyeme inferiorem ventrem purgandum eſſe.

V I I.

Τοὺς δὲ δυσημέας καὶ μέσως εὐσάρκους κάτω, ὑποστελλομένους θέρος.

Aegrè vomentes & medicè carnoſos, quos euſarcos appellant Græci, infernè purgato, deuitans æſtatem.

Si quidem & vomat facilè & gracilis ſit, ſupernè purgandus eſt, præterquàm quum hyems adeſt, id eſt æſtate, autumno & vere. Si verò difficulter vomat, & mediocriter carnoſus ſit, per inferna purga-

ri debet, ſi quidem eò vergat materia, ſolam vitando æſtatem: aliud verò nullum anni tempus reformidandum.

VIII.

Τοὺς δὲ φθινώδεας, ὑποστελλομένους τὰς ἄνω.

Obnoxios phthiſi ſuprà ne purgato.

Nunquam, inquit, obnoxios phthiſi ſuprà purgaueris, veritus nimirum inſtrumentorum reſpirationi ſeruientium imbecillitatem. Per obnoxios phthiſi intelligere par eſt, vel eos qui phthiſi, id eſt tabe morbo ſunt correpti, vel qui ad phthiſim ſunt idonei aptíque natura. De quibus ipſe primo Epidemiωn in hunc modum ſcribit: Maximéque moriebantur, quorum natura ad tabem propenſa erat. his verò anguſtum ſtrictúmque pectus adeſt, & qui in eo continetur pulmo non modo anguſtus, ſed & imbecillus.

IX.

Τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τ' ἀναντία προστιθέντες.

Melancholicos infrà vehementius purgabis, eadem ratione contrariam iniens vacuandi viam.

Ventres inferiores melancholicorum ἁδροτέρως, id eſt σφοδρῶς fortiter, vehemētérque

que purgare oportet. Quia autem hic humor propter inſitam grauitatem tendit deorſum, meritò eum per inferna vacuari iubet, ſicut flauam bilem per ſuperna, leuem ipſam & ſponte ſua continenter per ſumma fluitantem. Habent itaq; humor vterq; id commune, vt quò vergunt duci debeant per loca conuenientia : verùm vnius proprium eſt, vt per ſuperna vacuetur, quoniam eò vergat, alterius verò per inferna, quandoquidem & eò inclinet. Quum igitur ſupernè facta vacuatio, contraria ſit ei quæ infernè fit, vtriuſque profectò vna fuerit communis ratio. Quare rectè dixit Hipp. Eadem ratione contrariam iniens vacuandi humoris viam.

X.

Φαρμακεύειν, ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερὸν, χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν.

Purgandum in valde acutis, ſi incitet materia, eodem ipſo die. differre enim in talibus malum.

Hoc loco repetam quod ſuprà etiam mihi dictum eſt, Hippocratem verbum ὀργᾷν ab animalibus ad veneris vſum impulſis & concitatis tranſtuliſſe ad humores, quum ea naturali quadam cupiditate mouētur ad ſeminis excretionem. Siqui-

dem oſtendimus in libr. de ſemine fœminā quoq; in coitu ſemen emittere. Quando igitur vel toto corpore ſimilis huic animantiū concitatę ad ſeminis emiſsionem libidini, fuerit naturæ impetus ad excretionem redundantium humorum, vel ſi non toto corpore, at certè partibus principalibus: eiuſmodi naturæ quæ moleſta ſunt expellere geſtientis motum cōſueuit Hip. verbo ὀργᾷν ſignificare. Itaque cenſet protinus medicamento vacuandum eſſe priuſquam vel corporis virtus collabatur immınuatúrque, vel febrilis augeatur calor, vel vagi & errantes per corpus humores in partem quampiam principem decumbant. Quòd autem valdè acutos morbos nūc dixerit, quos prius peracutos appellauit, cuiuis eſt manifeſtū. Quinetiam horum iudicationis primam ſeptimanam eſſe terminum mihi ſuprà dictum eſt.

X I.

Ὁκόσοισι στρόφοι καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, καὶ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μήτ᾽ ἄλλως, εἰς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

Quibus tormina adſunt & circa vmbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento neque aliter ſoluatur, in ſiccum hydropa firmatur.

Tormina

Tormina fiunt tũ propter morſum vehementem, tum propter ſpiritum flatuoſum, qui exitum non habet, ſed inteſtinorum flexuoſis illis orbibus & gyris interceptus hæret. Quòd verò dolores & cruciatus ad tales affectiones cõſequãtur nemini dubiũ. Verùm vbi circa vmbilicum & lumbos firmati fixíque, neque medicamentis poſteà neque aliis remediis ſolui poſſunt, tum earũ partiũ habitualis quædam vt ita loquar, intemperies eſt, quę ferè perſeuerans eũ hydropa facit, quẽ Hip. ſiccum appellat, quem ſubſequuti medici Tympaniam nominarunt, quoniã hypogaſtrium percuſſum talem ſonitũ reddat, qualem tympana edũt. Nam & in his per circuntenſam pellem cõtentus aër verberatur, quemadmodũ in hoc morbi genere per mediam cutim qui in profundo eſt flatus percutitur. Quòd autẽ à tumoris ſimilitudine quam cum aqua inter cutẽ habet id morbi genus, hydropem quoq; appellauerit eſt manifeſtum: non tamen humidum dixit, quẽadmodum Aſcitem ad aſci, id eſt vtris ſimilitudine appellatũ, in quo materia collecta nõ aër eſt flatuoſus, ſed aquoſus humor. A maiore autẽ frigiditate aquoſus hydrops generari videtur, quem Aſcitem appellant, quoniam in pe-

ritonæo veluti in aſco, id eſt vtre quodam humor contineatur: à minore verò Tympanias. neque enim mutari in aërē flatuoſum humiditas ſine aliquo calore poteſt.

XII.

Οκόσοισι κοιλίαι λειεντεριώδεες, χειμῶνος φαρμακεύειν ἄνω, κακόν.

Quibus propter læuitatem ventres cibi ſunt incontinentes, hyeme ſuprà purgare malum.

Quum celeriter cibaria talia deiiciuntur, qualia ſunt deuorata, eum affectum Leenteriam Græci, læuitatem inteſtinorum Latini nominant. Fit autem propter retentricis facultatis infirmitatem: atque omnium ad ventrem pertinētium inſtrumentorum, hoc eſt ipſius ventriculi, in quem vorando cibos ingerimus, & inteſtinorum cibos ab hoc acceptos tranſmittentium dyſcraſias comitatur & intēperies. Fit etiam interdum Leēteria, inteſtinorum ſuperficiē occupante exulceratione quapiam, illis non diſsimili quæ in ore fiunt, quas aphthas appellāt. Porrò habituales, vt ita dicam, intemperies aliquando fiunt (ſic eas vocāt quæ ipſo corporum habitu læſo perficiūtur) propter frigidam pituitā, qualis maximè eſt acida. Exulcerationum verò ſuperficiem tenentiū cauſa exiſtit humor acris & tenuis. Hic ergo

quāquàm per ſuperna purgari poſtulat, quoniam eiuſmodi humores per ſumma potius fluitare, quàm peſſum ire ſoleant, non tamē hyeme hoc faciendū eſt, quēadmodum ſuprà eſt dictum. Alter verò pituitoſus ille humor, quum inſerctus inductúſque inteſtinis fuerit, nunquam eſt per ſuperna id eſt vomitorio medicamēto purgandus. Sola enim ea euomi comparata ſunt natura, quæ habentur in ventriculo. Eorum verò quæ continentur in inteſtinis nihil poſsis per vomitum vacuare.

XIII.

Πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ δὲ πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ, καὶ ἀναπαύσει.

Qui ad veratrum non facilè ſuprà purgantur, eorum corpora ante potionem copioſiore alimento & quiete præhumectanda.

Prius feciſſe oportet periculum naturę eius qui elleborū ſumpturus eſt, quo modo ſe habeat ad ſupernas purgationes, hoc eſt leuioribus & moderatioribus quibuſdam medicamentis vomitoriis antè periclitari & tentare quo modo vomitiones ferat. Si itaque non facilè purgari videatur, non oportet eiuſmodi hominem ad elleborum adigere ante legitimam præ-

parationem. id autem fiet ſi is qui ellebo-rum ſumpturus eſt continenter vomendo aſſueſcat ad promptè vomendum. Verùm hoc ipſum tanquam paruum & omnibus notum prætermiſit Hipp. Melius autem fiat eiuſmodi præparatio, per corporum præcedētem humectationem. Præhume-ctantur autē alimento copioſiore, & quiete. Nam quietem corpora humectare clarum eſt. Quo modo enim exercitia exiccare ſolent, ſic & quies (quæ aliud nihil eſt quàm otium & ab exercitatione vacatio) corporum ſeruat humiditatem. Cibus verò non qui plenior abſolutè naturâ humectat, ſed qui nullam fortem habet qualitatem, hoc eſt neque acerbā neque acrem, neque ſalſam, neque amaram. Quin fortaſſe ne alimentum quidem abſolutè dicendum eſt eiuſmodi, ſed quaſi medicamentoſum alimentum. quippe quod abſolutè eſt alimentum, ſolum ex omnibus ſecundum ſuam ipſius naturam, non ex accidenti poteſt ſolidas animalis partes humectare : quod ipſum non per ſe, ſed per accidens præſtat quies. Quia enim acceptam ab alimento partium humiditatem non exiccat, idcircò humectare dicitur. Aqua verò neque epota, neque extrinſecus adueniens poteſt de ſua natura ſoli-

das

das animantis partes humectare. Cæterùm qui perfectiorem horum intellgentiam aſſequi volet, is noſtros de facultatibus naturalibus commentarios, & de maraſmo librum diligenter legat.

XIIII.

Ἐπὴν πίῃ τις ἐλλέβορον πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας ἧσσον· δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.

Poto elleboro, corpus mouendum potius, quàm ſomno tradendum aut quieti. Nam vel nauigatio indicat motione turbari corpora.

Ipſemet cauſam attulit, quamobrem eorũ corpora moueri præcipiat qui ſumpſerunt elleborum. Quies ſiquidem eodem ſtatu ſeruat corpus, mutat & alterat motio. quod vel indicare poteſt nauigatio, quæ motus ſpecies eſt, adeò turbans corpora vt ad vomitũ adigat. Quum igitur talis motio vel ſola poſsit ad vomitũ corpus præparare, fit veriſimile ipſam vomitorio cuipiam paruo medicamẽto iunctam longè maiorem habituram efficaciam. Quidam pro nauigatione nauſeam legunt, vt ſit talis oratio, Nam vel nauſea quæ corporis vehementes motiones

ſequitur

ſequitur,ſatis poteſt oſtendere motionem corpora turbare. Hinc liquidò conſtat hunc aphoriſmum eandem cum ſuperiore vim habere.

X V.

Επὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα· ἐπὴν δὲ παῦσαι, ὕπνον ποίει, καὶ μὴ κίνει.

Quum elleborum citare voles, moue corpus, quum verò ſiſtere,ſomnum concilia,nec moue.

Superior aphoriſmus quo modo oporteat hominem qui elleborum hauſit ad purgationem comparare nos docuit,pręſens verò quo modo ſiſtenda ſit purgatio tradit. Conſentaneum porrò rationi eſt ea purgationem ſiſtere,quæ vomitũ cientibus ſint contraria. Quod itaque citat motio, quies ſiſtit, multóque magis ſomnus, per quem actiones animales ferientur & quieſcunt, tum quæ per ſenſuum fiunt inſtrumenta, tum quæ per muſculos,in motibus voluntariis.

X V I.

Ελλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι, σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει.

Elleborus periculoſus ſanas carnes habẽtibus. Conuulſionem enim ingenerat.

Quòd ſuprà de omnibus purgationi-
2. aphor. 26 et 27. bus dixerat, hoc nunc de ea ſola repetit,

quæ

quæ elleboro fit. itaque poſſunt aphoriſmi inuicem iungi hoc pacto, Qui corpore ſunt ſano, ægrè moleſtéque ferunt purgationes. Sic nanque elleborus iis qui carnes ſanas habent periculoſus. conuulſionem enim accerſit. Siquidem habet præ cæteris id eximium elleborus, vt propter actionis vehementiam ſpaſmum accerſat.

XVII.

Ἀπυρέτῳ ἐόντι ἀποσιτίη, καὶ καρδιωγμὸς, καὶ σκοτόδινος, καὶ στόμα ἐκπικρούμενον ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Non febricitanti cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo purgatione per ſuperna opus eſſe ſignificant.

Apoſitia: nomen quo vſus eſt Hipp. idē quod anorexia, id eſt cibi faſtidium ſignificat. καρδιωγμὸς (quam vocem nos popularem loquendi cōſuetudinē ſequuti cordis dolore reddidimus) morſus eſt cordis, id eſt oris ventriculi. nam hoc quoque veteres cor appellabant. Scotodinos, id eſt vertigo fit, quum ſimul quæ cernuntur circumagi videntur, & derepentè ſenſus qui viſu fit euaneſcit, putātibus qui id mali patiuntur ſibi offuſas eſſe tenebras. Hoc autē accidit ore ventriculi morſo & vellicato ab humorum prauitate. Nam pro-

pter

pter neruorum magnitudinẽ ex cerebro in ipſum deſcendentium animæ functiones læduntur, hac malè affecta particula. Atque ſymptomata eiuſmodi communia ſunt omnium humorum mordendi vim habentium: Oris verò amaritudo, ſolius pallidæ & flauæ bilis appellatæ ſymptoma exiſtit. Quare rectè Hippoc. ait enumeratis ſymptomatis ſignificari purgationem per ſuperna. Quod eius dictum explicare ſi placeat, ſic ſonabit, Enumerata ſymptomata ſignificant medico hominem ſupernè, id eſt, vomitu purgandum eſſe.

XVIII.

ΤΑ' ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα, ὁκόσα καθάρσεως δέονται, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει· ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω.

Supra ſeptum tranſuerſum dolores, quicunque egent purgatione, per ſuperna purgandũ eſſe ſignificant. Qui verò infra ſunt, per inferna.

Quod ſuperiore aphoriſmo de vno dolore docuit oris ventriculi, hoc nunc ad omnes extendit dolores. ex quibus quicunque ſupra ſeptum tranſuerſum conſiſtunt purgatione ſcilicet egentes, ſupernè purgandum eſſe ſignificant: quicunque verò infra ſubſiſtunt, per inferna quoque purgationem poſtulare eſt manifeſtum.

Addidit

Addidit autem orationi, quicunque purgatione egent, ne quis Hippoc. omnes abſolutè dolores per purgationem ſanare putet. neque enim in præſentia hoc dixit, ſed pro humorum noxiorum momento & inclinatione vacuationem eſſe faciendam: neque ſupra ſeptum conſiſtentes dolores per deiectoria medicamenta, neque infra ſitos per vomitoria vacuare oportere.

XIX.

Ὁκόσοισιν τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι, καθαιρόμενοι οὐ παύονται πρὶν ἢ διψήσωσιν.

Qui potione medica dum purgantur non ſitiunt, ipſorum purgandi finis non fit donec ſitierint.

Quidam dum purgãtur ſtatim ſitiunt, alij poſtea. Quod fit tum propter ipſius ventriculi affectionem, tum ob propinatum medicamentum, tum etiam propter humoris vacuãdi naturã. Ac propter ventriculum quidem fit, dum præ caliditate vel ſiccitate vel vtraque ſimul promptè ſitim concipit, ſiue hoc naturâ adſit ei qui hauſit medicamentum, ſiue eo duntaxat tempore. Medicamenti verò ratione fieri poteſt, ſi acre & calidũ, & mordax fuerit. Humor quoque vacuandus eſſe poteſt

in cauſa,ſi bilis amara fuerit. Atque hiſce quidem de cauſis ſitiunt, contrariis verò plurimo tẽpore ſine ſiti permanent, quando ſcilicet & qui purgatur frigidiore fuerit vel humidiore ventriculo, ídque vel ab initio, vel purgationis tẽpore, aut quum medicamentum ipſum omni mordacitate vacat. & tertiò quum vacuãdus humor vel pituitoſus vel aquoſus extiterit. Verùm nonnulla in his etiam, quum liberalius fuerint vacuati, ſitis ſequi ſolet. Poteſt enim vel quæ reſtat à vacuatione ſiccitas ſitim efficere. Ad hæc purgantis etiã medicamenti vis aliquam, licet non manifeſtam neque ſenſibilem, latentem tamen habẽtis acrimoniam & caliditatem, poteſt ſitim accendere.

X X.

Ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γίνηται στρόφος, καὶ γουνάτων βάρος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Si citra febrem tormina adſint & genuum grauitas, & dolor lumborum, inferna purgatione opus eſſe ſignificant.

Quemadmodum paulò antè ſigna tradidit eorum qui ſupernè purgãdi eſſent, ita hoc loco docet ſigna quibus eos cognoſcas qui per inferna purgari poſtulant. Atque vtrorumque purgandi communis

munis eſt ratio, à differentibus oſtenſa ſymptomatis. Nam pro momento & nutu humorum noxiorum, vacuandi viam inire oportet.

XXI.

Ὑποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπ' αὐτομάτου ἰόντα καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα. καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα ὑποχωρημάτων πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον· ξὺν φαρμάκῳ δὲ, ἄμεινον· καὶ ὁκόσῳ ἂν πλείω χρώματα, οὐ πονηρά.

Excrementa alui nigra ſanguini atro ſimilia, ſponte euntia ſiue cũ febre ſiue citra febrẽ, peßima: & quãto ipſorũ colores peiores fuerint plures, eo deteriora. A medicamento autem talia exigi, meliuseſt, idq; quãto ipſorũ plures fuerint colores.

De iis excrementis ipſi nunc eſt ſermo quæ à veteribus medicis nigra vocantur, bilis verò atra exquiſitè non ſunt. Nã nec acrimoniam, nec exedendi & exulcerãdi vim, nec acerbitatem habent, multóq; minus in terram iacta & effuſa eam fermentant, ſed ſunt, vt ſimilitudine rẽ apertius declarem, velut ſanguinis ſordes & limus quidã, qualis in vinis craſsis quum defæcantur & ab ebullitione reſident ſubſidere ſolet, quam fæcẽ appellant. quæ ſi diutius retineatur in corpore, nec per aliquẽ ſenſibilem aut occultum meatum expel-

lendis è corpore excrementis comparatū excernatur, ſed mutetur atque putreſcat, atra exactè bilis generatur. Verùm antequam hæc generetur, lien impurū & cœnoſum illum humorem,qui veluti ſangui nis fæx eſt, attrahit, eóque ſanguinem & iecur expurgat,quemadmodum in commentariis de facultatibus naturalibus eſt demonſtratum.Quo quidē ſucco melancholico ad ſui nutritionem lien abutitur. Deinde quicquid eius vi nec ſubigi nec molliri potuit, id tanquam ad nutriendū ineptum in ventrem propellit, vnà cum aliis purgamentis excernendum. Si quando igitur lien malè iecur expurgauerit, atque ideo ſanguis in hepate contentus multum huius ſqualidæ & cœnoſæ materiæ habuerit, in eam debilitatem viſcus deueniet,vt ſuperuacanea in ſeipſo continere nequeat.Quo facto nigra illa appellata excrementa deiicientur, de quibus nūc ipſi ſermo habetur. Porrò addidit in aphoriſmi contextu Hippo.ſanguini atro ſimilia,quibus verbis tale quiddam ſignificare voluit, Qualis apparet ſanguis ille, qui morâ in inteſtinis dum per ea fertur denigrari ſolet, talia ſunt nigra reddita excrementa.Nam extremæ foret dementiæ exiſtimare ſanguini ſecundum naturā habenti

hab nigra iſta reiectanea eſſe ſimilia. ea en rubra eſſent & nigra. Atqui idẽ ſimul ubrum eſſe & nigrum eſt impoſsibile. Quamplurima eiuſmodi excrementa peſtilenti morbo illo longo vidimus, quæ nõ magis in iis qui perniciosè quàm qui ſalutariter ægrotarẽt apparebant: nõ tamen morborum initio vel incremento conſpiciebantur. Tunc enim quæ vacuabantur, tum flaua tum fulua colore erant colliquefacta ramenta. Quæ verò poſterius apparebant veluti ſanguinis fæx nigra, vel ipſo ſanguine retorrido & peruſto, vel extraneam aliquam putredinem nacto habuerant originem, non aliter ac in ventriculi fit cruditatibus, quum in vitioſos ſcilicet humores cibariorum corruptela deſinit ac terminatur. Quare morborum quidem initio nunquã in bonum apparere ſolent talia excreta, vtpotè grauem afflictationẽ & vexationem viſceris indicantia: vigorẽ verò ſæpè ſequũtur, natura tũ ſuperuacanea expurgante. Verùm iſta hoc aphoriſmo non diſtinxit Hippo. quamuis alibi vniuerſaliter dixerit, Signa criſima id eſt quæ in melius dicernũt, nõ protinus apparere: Et particulatim ſequẽri aphoriſmo, Morbis quibuſuis incipientibus, ſi bilis atra ſupernè infernéve ſub-

ierit, pernicioſum. Nunquid igitur ſatis mentem ſuam aperire viſus eſt, quũ euntia dixit (temporis enim longinquitatem indicat id nominis) vt vel per totum morbum, vel per longum ipſius tempus talia excrementa exierint? Si enim vnum aliquod tempus oſtendere voluiſſet omninò vel ſuperuenientia, vel deiecta, non ſpontè euntia dixiſſet. Cæterùm ſumpto medicamento melanagogo, id eſt quod vacuandi nigra vim habeat, ſi talia deiiciantur nihil mirum videri debet. Sic ſanè excrementorũ quoq; plures colores ſi ſpontè vacuentur, multarum in corpore affectionum ſunt ſigna: à medicamento verò plures humorum ſpecies vacuãdi vim habente ſi exigantur, abſurdi nihil alienìve ſignificant.

XXII.

Νοσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων ἢν χολὴ μέλαινα ἢ ἄνω ἢ κάτω ἐπέλθῃ, θανάσιμον.

Morbis quibuſuis incipientibus ſi atra bilis ſuprà infráue exierit, pernicioſum.

Præcedente aphoriſmo melancholicũ ſuccum ab atra bile diſtinximus, de qua Hip. nunc ſermo habetur. Et cauſam quidem, quamobrem morborũ initio ſi comparuerint humores eiuſmodi ſint pernicioſi

cioſi, poſterius verò ſi ſe prodiderint, criſimi ſint & decretorij, abundè eo aphoriſmo explicuimus. Verùm quãdo de iis quæ ad artem ſunt imprimis neceſſaria ſæpius diſputatio ſuſcepta habet operæpretium, ideò hoc etiam loco eadem repetere non grauabimur. Quum morbus aliquis incipit ſi quid excernatur, id tunc naturæ ratione & lege nõ excernitur, ſed ſunt omnia earũ quæ præter naturã ſunt in corpore affectionum ſymptomata. Quandiu enim à cauſis morbũ faciẽtibus grauatur natura, & humorũ adeſt cruditas, tũc vt aliquid rectè vacuetur fieri omninò non poteſt. Siquidẽ vt bona criſis fiat, coctionem præceſsiſſe oportet, & ſecretionẽ ſequutam fuiſſe, tandémque vacuationem. Hæc enim ipſe nos docuit primo Epidemiωn his verbis, Coctiones criſis celeritatem, ſalutis ſecuritatem ſignificant: Cruda verò & incocta & in malos abſceſſus conuerſa, vel iudicationis fruſtrationem, vel dolores, vel diuturnitatem, vel mortẽ, vel eorundem malorum reditum denunciant. Quoties igitur poſt morbi coctionẽ humor aliquis vitioſus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur. Et proinde atra etiam bilis & quiuis alius eiuſmodi humor, ſiquidẽ coctionis ſigna apparue-

rint in morbi progreſſu bonā vacuationem ſignificant: aliâs ſi excernantur ſine coctionis ſignis, exitioſum eſt ſymptoma. Quare quum in morbi principio ſemper ſint cruditatis ſigna, omninò vt tum mala non ſit eiuſmodi humorum vacuatio fieri non poteſt.

XXIII.

Ὁκόσοισιν ἐκ νουσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων, ἢ ἄλλως πως λεπτυνομένοις χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοῖον αἷμα μέλαν ὑπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι.

Quibus per morbos acutos, aut diuturnos, aut vulnera, aut alium modum extenuatis atra bilis, aut velut ſanguis niger ſubierit, poſtridie moriuntur.

Huius aphoriſmi poteſtate talis eſt oratio, Siue atra bilis (de qua præcedēte egit aphoriſmo) ſiue nigra quædam atro ſanguini ſimilia (de quibus in eo aphoriſmo qui præcedentem anteceſsit) extremè attenuatis ſuperuenerint, poſtridie moriūtur. Natura enim in talibus adeò imbecilla eſt, vt neque coquere, neque ſecernere, neque excernere quæ tam praua ſunt poſſit. Propter morbi igitur magnitudinem quum contineri & regi nequeant, effunduntur, & eodem die mortis difficultatē & ſæuitiam non in poſterum adferunt, vt

in aliis fit morbis, propter virium imbecillitatem. Oſtẽdit porrò hoc aphoriſmo apertè, quod ſuprà, quum diceret, Excrementa alui nigra vel qualis ſanguis, ſubaudiendum eſſe voluit: vt talis ſit orationis plenitudo, Excrementa alui nigra, vel qualis ſanguis ater. Oſtendit etiam nos rectè bilem atram ab excrementis illis nigris diſtinxiſſe. Hæc enim ſanguini denigrato ſimilia deiiciuntur, ſed differunt quòd fuſa ſint, non vt ille concreta. Atra verò bilis differt, quòd & ipſa ſit ſine concretione fuſa, & ſplendentem nigrorem habeat, prætereáque ſit vt acetum mordax, & terram excutiat fermentétq;, quorum nihil nigris adeſt.

XXIIII.

Δυσεντερίη, ἣν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.

Dyſenteria ſi ab atra bile incipiat, exitioſa.

A bile pallida quibuſdã, ab aliis flaua appellata ferè dyſenteria incipit, primùm deraſis propter humoris acrimoniam inteſtinis, deinde etiam exeſis adeò vt exulcerentur, fiátque dyſenteria. Hanc itaque dyſenteriam ſæpe ſanauimus. Cæterùm quæ ab atra bile facta fuerit, incurabilis planè eſt, nihil ab exulcerato cancro differens. Si igitur in corporis ſuperficie con-

ſiſtens eiuſmodi cancer vix curetur, aut etiam omninò curationem non recipiat, licet impoſitum ſibi remedium ſemper habere queat, eum profectò qui occupauit inteſtina, non ſolùm quia medicamentum continenter adhæreſcens habere nõ poteſt, ſed quòd alimenti præterea excrementorum contactu perpetuo irritetur, inſanabilem prorſus remanſurum rationi eſt conſentaneum.

XXV.

Αἷμα ἄνω μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν· κάτω δὲ, ἀγαθὸν, μέλαν ὑποχωρέον.

Sanguinem ſupernè quidem efferri, qualiſcunque ſit, malum: Infernè verò niger ſi deijciatur, bonum.

Superioribus aphoriſmis de iis quæ per os & ſedem excernuntur verba fecit Hip. Quare propoſito etiam aphoriſmo quum ſupernè ſanguinem efferri dicit, ea ſola intelligẽda quæ per os fit excretio, ea quæ per nares fit minimè comprehenſa. Illam itaque ait ſemper malam eſſe, qualiſcunque ſit ſanguis qui excernitur, hoc eſt ſiue ſpumoſus, ſiue ruber, ſiue flauus, ſiue niger, ſiue aquoſus craſſúſve extiterit. Infernè enim ſubire melius eſſe dicit, ſed ne illac quidem copioſè erumpentem, vt in hæmorrhagia fieri ſolet, ſed paulatim

tim fluentem, ita vt tranſitus morâ denigretur. Et verò ipſum omninò ſanguinẽ confluere in aliquod inteſtinum, malum eſſe arbitrari oportet, ſed melius eſt quũ ſenſim, quàm quum hæmorrhagiæ inſtar abundãter & cumulatè effunditur. Quare & illud quod dixit, bonum, nõ tanquã propriè dictum accipere oportet, ſed vt idem quod melius ſignificet, quaſi ita diceret, Infernè verò nigra deiici melius. Nam ſi verum fatearis, multò malis hac, quàm quoquo modo per os tibi ſanguinẽ efferri. Atque iſta ſic diſtinguere poſsis, ad tollẽdam antiqui Senis verborum repugnantiam, qui quidem nunc ſi nigra deiiciãtur, bonum eſſe pronunciat, quod paulò antè peſsimum eſſe dixerat. Poſſumus in eum quoque ſenſum nigra accipere, quo ipſe in Epidemiis quum de hæmorrhoïdibus ageret, vſurpauit, eatenus ſcilicet probandam nigrorum deiectionem eſſe, quatenus melancholicos affectus ſanat. Nam reuera maximo & iam factæ melancholiæ remedio, & futuræ impedimento eſt hæmorrhoïs. Quæ ſi ita acceperimus, eiuſmodi eſſe poterit oratio, Sanguinem ſupernè efferri, qualiſcunque ſit malum, infernè verò per hæmorrhoïdes profluere bonum, quum nigra

gra vacuantur, id eſt quum hominis natura multum humoris huiuſmodi accumulat. Alioqui temerè non eſt vacuationi per hæmorrhoïdas aſſuefacienda natura: quippe quæ vtrunque periculoſum exceſſum habeat, & quũ vltra modũ ſanguis excernitur, & quum ex toto ſiſtitur.

XXVI.

HN ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ ὁκοῖαι ἂν σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.

Si dyſenteria laboranti veluti carunculæ deijciantur, mortiferum.

Dyſenteriæ initio opima quædam & adipoſa excernuntur corpora, poſtea, niſi ipſa prius deſierit, ipſorũ inteſtinorũ ramenta quędã, deraſa ſcilicet interiore ſuperficie ipſorum membranoſa ac denſa exiſtente, non ſecus ac epidermis eſt quæ cutem corporis extimã obtegit. Poſtremò de ipſa etiã inteſtinorũ ſubſtantia aliquid deraditur. Quo demũ tempore, non adhuc fieri dyſenteriã, ſed iam factã, abſolutámque & cõſummatã eſſe dicimus. Quando igitur per dyſenteriã inteſtinorum partes adeò magnæ excernuntur, vt ipſæ carnis appellationẽ mereantur, tum pernicioſum inquit morbum eſſe, quum neque caro regigni neque cicatrix obduci tam magna exulceratione poſsit.

XXVII.

XXVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν αἱμοῤῥαγίης πλῆθος ὁκοθενοῦν, ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται.

Quibus per febres ſanguinis vndecunque eruperit copia, conualeſcentibus ventres humectantur.

Calore natiuo propter hæmorrhagiã debilitato neque probè cõcoqui cibi, neque in ſanguinem mutari, imò verò nec diſtribui poſſunt. Quibus omnibus ventres ipſis humidiores fieri par eſt, quoad vires natura cum tempore reparauerit ac receperit.

XXVIII.

Ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος γινομένης παύεται, καὶ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων γινομένων παύεται.

Quibus deiectiones ſunt biliosæ, ſuperueniente ſurditate ceſſant: & contrà quibus ſurditas adeſt, bilioſorum deiectione finitur.

Non de inueterata & firmata in habitum, ob idq; ſolutu difficili ſurditate ipſi nunc ſermo eſt, ſed de ea quæ repentè in febribus, aut aliter facta eſt aſcendente in cerebrum bile. Ipſa ſiquidem quum meatus auditorios obſedit ſurditatem efficit, rurſúmque inde à natura deturbata, dum per aluum deiicitur, eandem ſoluit.

XXIX.

XXIX.

Ὁκόσοισι ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἑκταίοισιν ἐοῦσι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτα.

Febricitantibus ſi ſexto die rigores fiant, iudicationem habent difficilem.

Febribus ac præſertim ardétibus rigores ſuperuenientes bona perfectáque criſi decernere ſolent, ſi & die decretorio, & cum ſignis coctionis acciderint: nō bona neque perfecta, ſi vel diei, vel coctionis ſigna fuerint imperfecta. Quòd itaque cōcocta eſſe oporteat, quæ rectè ſint decernéda, docuit primo Epidemiωn in ea dictione, quam paulò antè protulimus, cuius eſt initium, Coctiones criſeωs celeritatem, ſalutis certitudinem ſignificant. Quòd autem non in omnès dies criſis incidat, & in prognoſtico, & in hoc ipſo aphoriſmorum* libro declaraui, & præterea primo Epidemiωn. Congeſta autem & collata nobis ſunt hæc ōmnia cū apta & conueniente expoſitione, quæ quidem ab eo de diebus decretoriis ſcripta ſunt, in tractatū de diebus criſimis, quæ verò de ſignis coctionis, in libros de criſibus. In quibus cōmentationibus de criſi etiam, quæ ſexto die fit diſſeruimus, cuius ipſe nunc meminit. Ait enim rigores qui hoc die fiant, dyſcritos eſſe, id eſt vel malā iu-

* *Galeno vnus tantum aphoriſmorum liber.*

dicat

dicationem adferre ac ſi cacocritos dixiſſet, vel certè parum firmã incertámq; ita vt facilè reuertãtur febrés vel in longum tempus protrohantur, quaſi dyſlytos, id eſt ſolutu difficiles dixiſſet. Quinetiam interdum cum grauibus ſymptomatis ſexto die criſis fit. de quibus omnibus, quicquid ad perfectam abſolutámq; ipſorum cognitionem attinet ſcripſimus in commemoratis tractationibus. Hæc verò ita fieri, ipſa etiam experientia compertum teſtatúmque eſt: quorũ longum foret in præſentia cauſas exponere. Nam de diebus decernentibus tertio de diebus decretoriis libro diximus. De rigore autem ſeorſum proprio huic dicato libro.

XXX.

Ὁκόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, ἣν ἂν ὥρην ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ἐν τῇ αὔριον τὴν αὐτὴν ὥρην ἢν λάβῃ, δύσκριτα.

Quibus acceßiones fiunt, quacunque hora febris dimiſerit, eadem ſi poſtero die repetat, indicatu difficilis eſſe ſolet.

Ponamus primo die aliquem ægrotare cœpiſſe hora tertia, & deſiiſſe alia quauis hora: deinde ſecũdo die eadem tertia hora cœpiſſe, rurſúmq; ceſſaſſe alia quacunque, Item tertio rurſum die tertia ſimiliter hora cœpiſſe, ac rurſum quauis hora deſiiſſe:

deſiiſſe:& quarto item die cœpiſſe eadem tertia hora, atque ita deinceps tertiã horam, in qua initium habet acceſsio, eandem ſemper ſeruari, alias verò horas in quibus deſinit, nõ ſeruari:neceſſe eſt eum qui ita ægrotet morbo impediri diuturniore, quàm ſi principij acceſsionis horã incertam inordinatámque habere contigiſſet. Atque hoc nos ab Hipp.experiẽtia comprobante & atteſtante dictum eſſe arbitramur. Sunt tamẽ qui quod ab Hip. dicitur eſſe velint eiuſmodi, Si quæ primo die ægrotum acceſsio inuaſit hora exempli gratia tertia, &(ſi ita ſors tulit)duodecima deſiit, eadem ſecundo rurſum die duodecima incipiat, morbum aiunt iudicatu fore difficilem: quum interim nullam ſui dicti rationem adferre, nullam atteſtante experientia probationem monſtrare poſsint. Iam verò * illud iudicatu difficilis, quod δύσκριτον appellãt Græci in alio ſignificatu intelligere non poſſumus, quàm pro ſolutu difficilis, id eſt δύσλυτος, quaſi Hip. diceret, ſiue quotidie, ſiue tertio quartóve quoq; die acceſsio eadẽ hora repetat, morbus hic erit dyſlytos, id eſt ſolutu difficilis, ſiue multas, ſiue paucas horas duret acceſsio. Quod dictum Hipp. experiẽtia vt dixi, comprobatur. Eius verò

* *Dyſcriton pro dyſlyto.*

rò cauſam tálem eſſe putandũ eſt, Quum acceſsionũ cauſa minimè fixa firmatáve fuerit, eãdem periodũ & ſtatam horam non ſeruat: quũ verò firmata & conſtans extiterit, eandem ſeruat, atq; idcircò quæ firmata ſtabilitáque eſt cauſa, eadẽ ſolutu difficilis, quæ verò talis non eſt, ſoluta facilis exiſtit.* Nam quæ firmata ſunt & impacta, robuſto quodam vt dimoueantur quaſi vecte opus habent, qui & longo tempore, & cum fortibus & pluribus auxiliis adhibeatur.

**Tenax et impacta materia nõ facilè excutitur.*

XXXI.

Τοῖσι κοπώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἐς ἄρθρα καὶ παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Qui per febres laſsitudinem ſentiunt, ijs ad articulos, & iuxta maxillas potiſsimùm abſceſsus fiunt.

Quaſdam laſsitudines ob multos motus fieri ſuprà diximus, quæ ſimpliciter & propriè laſsitudines nominantur. Nonnulli verò neque multis neque vehementibus vſi motionibus laſsitudines ſentire conſueuerunt. Tales itaque laſsitudines, non laſsitudines abſolutè, ſed cum adiectione laſsitudines ſpontaneas appellare ſolent. quarum vtriuſque communis eſt locus affectus, totum ſcilicet in corpore

genus muſculoſum. earum verò fatigationum quæ motiones plures ſequuntur, propria & peculiaris eſt excitata in articulis caliditas. Quare per has in articulos abſceſſus ſi decumbant, mirum videri non debet, vt pote qui iuxtà ac muſculi laborauerint, atque incaluerint præter modum. Spontaneis autem laſſitudinibus quemadmodum & aliis omnibus ferè morbis qui abſceſſu iudicantur, vt fluxiones decumbant ad articulos vna fit ratione ſola, nempe quia ſpatia ſuperuacaneis recipiendis idonea faciliáque habeant. Rariores igitur in cæteris morbis abſceſſus fiunt: in iis verò qui laſsitudinis coniunctum ſenſum habent plures, præſertim ſi fuerit ſpontanea laſsitudo, & morbi à plenitudine profecti. Erit igitur aphoriſmi paucis & ſummatim comprehenſa huiuſmodi ſententia. Quoquo modo in febribus facta ſit laſsitudo, ad articulos, & maximè circa maxillas fiunt abſceſſus. hoc verò ideo vſu venit, quia à calore febrili ſublata in caput eſt humorū copia, quam indè poſtea ruentem maxillarum adenes ſuſcipiunt, quo modo fit, quum in alas & inguina à ſuperioribus partibus aliquid peruenerit.

XXXII.

Ὁκόσοισι δὲ ἀνισταμένοισιν ἐκ τῶν νούσων τι πονέει, ἐνταῦθα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Quibus ex morbo conualeſcentibus pars aliqua laborat, eò abſceſſus fiunt.

Siquidem labor & vehementem motum, & dolorem & læſionem ſignificat, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus, conſtat ſanè laborare quoq; verbum, tum motione vſum eſſe vehementiore, tum dolorem aliquem aut noxam contraxiſſe ſignificare. Propterea in nonnullis etiam qui ſe ex morbo recipiunt, quum humores morbum facientes nõ ſatis rectè purgati fuerint, ſed quædam eorum reliquiæ ſuperuacaneæ reſtiterint, ſi vel laborantem vel dolentem partem quampiam habeant, in eam apoſtemata decumbere videntur, ídq; defatigatione cauſæ, dolore ſigni rationem obtinẽte. Nam per vehementiores motus tum vires imbecilliores fiunt, tum caliditas maior accenditur: dolor autem fluxione iam decumbente perficitur. Hic igitur abſceſſus, vt dixi, qui fit ſignum eſt: imbecillitas verò & calor ad locum affectum viam ſuperuacaneis præeunt. Vtroq; igitur, vt demõſtrauimus modo accipere poſſumus verbum laborare: vniuerſæ tamen eorũ ſenten-

tię de quibus pręſens inſtituta eſt ab Hip. oratio, alterum ſignificatum magis conuenire videtur. Siquidem prius de febribus cum laſsitudine copulatis locutus eſt, rurſúmq; deinceps inquit, Sed ſi qua pars prius laborauerit. Primo enim aphoriſmo, cuius initium, Qui per febres laſsitudinem ſentiunt, de iis laſsitudinibus quæ fiunt in morbis, in eo verò qui nunc propoſitus eſt, de iis quæ conualeſcentibus accidunt, in ſequente de iis quæ morbum antecedunt diſputare videtur.

XXXIII.

Ἀτὰρ ἢν καὶ προπεπονηκός τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσέειν, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος.

Sed ſi qua ante morbum pars laborauerit, ibi morbi ſedes.

Siue placet cum duobus ſuperioribus aphoriſmis præſentē connectere ad vnius aphoriſmi perfectionis explendos numeros, ſiue ſeorſum vnumquemque ſcribere, nihil retulerit. Nam & quid ipſi inter ſe commune habeant, & quid ſingulare & proprium explicuimus ſuperiore aphoriſmo. Quod etiam nunc paucis repetere non abs re fuerit. Quum in morbo laſsitudinis ſenſus eſt, ægro abſceſſus aliquis ad articulos ac præſertim circa maxillas expectandus. Similiter ſi ſe ex morbo

bo recolligenti, aut etiã antequàm ægrotaret, pars aliqua corporis laborauerit, in eam abſceſſus timendus. nam ferè in tales partes humorum* decubitus fieri ſolet, in iis videlicet morbis in quibus ſpes eſt futuri abſceſſus, neque prius per excretionem ſoluendus morbus videtur. nam de talium morborum dignotione tum in ſuperioribus nonnulla diximus, tum quicquid de his dici debuit declarauimus in commentariis de criſibus.

** Pars ſemel affecta ferè ſẽper manet imbecillior, & quaſi vicinarum partiũ ſentina fit.*

XXXIIII.

HN ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιγίνηται, θανάσιμον.

Si febre detento ſuffocatio derepentè ſuperuenerit, nullo in faucibus apparente tumore, eſt mortiferum.

Poſſumus ſimpliciter intelligere huius aphoriſmi initium in quo ait, Si febre detento, quaſi ita diceret, Si homini febricitanti in faucibus nullo exiſtente tumore: poſſumus etiam cũ maiore quapiam emphaſi exaudire, quo modo in Epidemiis ſcribere ſolet, quum dicit, Febris eum habebat, non abſolutè eum qui quouis modo febricitat demonſtrans, ſed eũ cui magna febris adeſt his verbis deſignans. Cõtingit nanq; etiã ſine magna febre ſtran-

gulatione derepentè ſuperueniẽte interire hominem:ſed ineuitabilior & celerior mors eſt, ita vt ne inopinatò quidem vllus vnquam ſeruatus ſit, quum vehemens febris detinet ægrotantem. Indiget enim eiuſmodi febris (vt in commentariis de dyſpnœa demõſtrauimus) copioſa inſpiratione: fit verò non modò non copioſa, ſed etiã prorſus exigua in iis quibus ſuffocationis imminet periculũ. Neq; enim aliud eſt ſuffocatio, prẹter internecionem ob reſpirationis defectum factã: qui quidem reſpirationis defectus fit propter anguſtiam & coarctationem alicuius ſpiritalium inſtrumẽtorum. neque enim talis anguſtia ſine inſtrumentis reſpirationi ſeruiẽtibus fieri poteſt. Deſit etiã reſpiratio vel propter virtutis thoracẽ mouentis imbecillitatem, vel propter vitalis principij vehementem refrigerationem. Ob anguſtiam verò fit omninò ſtrãgulatio. anguſtia autem fit vel repleta regione ea quæ inter thoracẽ eſt atq; pulmonẽ media, vel pulmonis cauernis & fiſtulis, vel inflammatione quapiã totum viſcus habente, vel arteriam aſperam, vel eam partem, quæ eſt velut eius caput, quã Laryngem & bronchon Græci, guttur Latini nominant. Sed & in illa capacitate guttu-

ri præiacente(quæ Græcè pharinx, Latinè fauces dicitur) ſuffocatio quandoque fieri conſueuit. Sic enim Homerus internum oris locum, vbi gulæ & gutturis ſumma conueniunt, appellat. *Odyſſea decimo.*

--Vinúmque eructat faucibus imis,
Humanóſque artus.

illam ſcilicet regionem quæ gulæ & gutturi prępoſita eſt, fauces nominans, quem hoc loco imitans Hip. hanc eandem particulam ita appellaſſe videtur. ait enim tumore in faucibus non apparente. Nam ore multum hiante partē eam licet exactè cernere: id quod in gutture fieri nequit. Erit igitur tota iſtiuſmodi oratio, Si febre detento ſuffocatio repentè ſuperueniat citra tumorem, in faucibus conſpicuum, lethale eſt. Nam veteres promiſcuè tumorem quemuis τότε οἴδημα καὶ τὸν ὄγκον appellebant. neq; tamē nos latet triplicem eſſe tumorum differentiam. Vel enim ſunt cum dolore, quas recentiores appellant phlegmonas, id eſt inflammationes, vel ſine dolore duri, quos ſcirrhos vocant, vel citra dolorem molles, quos iidem recentiores Græci œdemata propriè appellant. propttereáq; ab appellandi veterum vſu in tantum receſſerunt, quatenus non iam omnes præter naturā augmenta

tiones complectuntur œdematis vocabulo. Quum igitur ſine tumore fauces appa ruerint, & derepentè ſuperuenerit ſuffocatio, ſolius gutturis eſt eiuſmodi affectio. Sanè ſuffocātur, vt dixi, propter alios etiam morbos paulò antè cōmemoratos: ſed repentina ſuffocatio ſoli adeſt gutturi. Peripneumonia enim derepentè non ſuffocat ægrotantes, ſed poſtquam ab initio paulatim incrementum capeſſens ad proprium vigorem ſummúmq; incremētum peruenerit, in eo tale ſymptoma adfert. Si quod etiā tuberculū aut abſceſſus in pulmone fiat, hic quoque diuturnus morbus eſſe ſolet. quemadmodū etiā inter pulmonem & thoracē pure repletum ſpatium hominē ſæpè ſuffocat, rupto ſcilicet apoſtemate & intra ipſum pure effuſo, quod certè & ipſum longo tēpore conflatum eſt. Aſperæ verò arteriæ inflammatio difficultatem quidē ſpirandi aliquam efficere poteſt, ſuffocationem verò non poteſt, tum propter eius capacitatis magnitudinem, tum ob tunicæ tenuitatem. Siquidem corpore adeo tenui inflammationem magnum ſpatium replere eſt impoſsibile. Reliquum igitur guttur eſt, quod ſubitam poſsit ſuffocationem efficere, quandoquidem quantum ipſum patet

in

Vide Gal. in V. lib. de loc. aff. c. 2. et Auic. c. proprio, ubi dat signa peripneumoniæ calidæ.

In longum coarctatur pulmonis meatus, & interiores ipſius muſculi vnà cum ambiente tunica inflammationem patiẽtes, ſpiritus viam poſſunt intercipere, quam affectionem ex medicis nonnulli non per ſ. ſynanchen ſed per c.cynanchen nominant.quibus placet fauciũ inflammationem per ſ.ſynanchen, id eſt anginam appellare. Alij verò paraſynanchen & paracynanchen vocant, illam quando muſculorum faucibus adiacentium phlegmone fuerit, hanc quũ extra guttur inflammatio extiterit ita appellantes. Ex his igitur quæ dicta ſunt, rationi eſt cõſentaneum, talem affectionem gutturi dolorem aliquem inferre, cuius doloris Hipp.manifeſtò meminiſſe videtur in Prorrhetico hiſce verbis, Fauces dolẽtes, graciles, id eſt nullo manifeſto tumore, cũ inquietudine ſuffocantes citò perniciem adferunt. nũc verò dolẽtes fauces nõ appellauit, ſiue quia ex iis quæ antè dixerat poſſet ſub audiri, ſiue quia etiam abſque dolore putauerit memoratam pręcedente oratione ſuffocationem aliquãdo fieri poſſe. Quòd ſi omninò eſſe poteſt ſine dolore ſuffocatio, eiuſmodi cauſas cõſequetur. Fieri poteſt vt humiditatis præſertim pituitoſæ copia interiorẽ gutturis tunicã madefa-

ciente, in eo tumor anodynus excitetur: poteſt etiam aperiẽtibus ipſum muſculis reſolutis meatus anguſtior reddi. Poteſt vtriſq; etiã ſimul iunctis idẽ fieri, nec impoſsibile præ ſiccitate nimia muſculis internis gutturis admodum tenſis meatum coarctari, qui quidẽ muſculi quales ſint, & quomodo dum tendũtur guttur claudant, demonſtrauimus in tractatu eo qui nobis de voce ſcriptus eſt.

XXXV.

ΗΝ ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον.

Si febre detento repentè collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo exiſtente tumore, mortiferum.

Non hîc locum deſignauit, quũ dixit, nullo exiſtente tumore, quemadmodum in præcedẽte aphoriſmo, quum faucium meminit his verbis, Nullo in faucibus exiſtente tumore. Nos verò ex duobus alterum dicturi ſumus, vel de communi ſubaudiendum eſſe in faucibus, vel certè in omnibus locis ad collum pertinentibus. Quum enim horũ nullo, neque ore multùm aperto in faucibus, neq; extrinſecus tumore apparente, æger deglutire nõ poteſt,

teſt, ſymptoma id pernicioſum eſt ob inflammationem aliquando muſculorum gulæ ſubſtractorum, interdum verò gulæ ipſius natum. Eſt enim partibus iſtis per neruos & ligaméta communio quædam & ſocietas cũ dorſali medulla & meningibus ipſam ambientibus, ac pręterea hiſce extrinſecus adiacẽtibus vertebrarum oſsibus. Quum itaque ad partes inflammatas ligaméta & nerui tenduntur, vertebras quoque vel intrò vel ad latus trahi eſt neceſſe. Nam ſi in altero tantùm neruorum exortu tenſionem fieri cõtigerit, ad latus: ſi vtroque, intrò fiet vertebrarum diſtortio. Verùm nos pluribus de iſtis agemus, quum de articulis librum interpretabimur, vbi ſpinæ diſtortiones fieri tradit crudis tuberculis intra ipſam natis.* Eo itaque libro cyphoſim etiam, id eſt gibbum ſeu extuberationem ſpinæ fieri eſt auctor vertebrarum ad interna tenſionibus, non ſolùm lordoſim, id eſt excauationem, & ſcolioſim, id eſt ſpinæ in obliquum tortionem. Secundò verò Epidemiωn libro de ea, qua de nunc agitur, angina mentionem faciens, inquit. Erant anginæ tales affectiones, ceruicis vertebræ intrò vergebãt, & forinſecus manifeſta videbatur in ceruice cauitas, in

*Vide ca. 5. lib. 4. de locis affectis & tertium Gal. cõmentarium in lib. de Articulis.

qua

quà dum tangeretur laborãs dolorem ſentiebat: quibus verbis vnicam ſignificauit vertebrarum peruerſionem, eam ſcilicet quæ introrſum fit. Præſenti autem aphoriſmo generalius orationem extulit hoc modo, ſi collum intorqueatur. nã intorqueri verbum omnem præter naturam à recto vertebrarum tramite & porrectione declinationẽ ſignificat. Porrò Epidemiωn ſecundo orationi adiecit, qua parte dum tangeretur ægrotus dolebat, quum hoc loco nihil de dolore dicat: quãquam dolorem vnà cum ceruicis inflãmatione adeſſe eſt neceſſarium, niſi hîc etiam præ ſiccitate nimia tractionem partium factam & tẽſionem & deprauationem ſolùm demonſtret, proptereáque dicat ſymptoma eſſe mortiferum, quum alterũ ex inflammatione ortum, omninò mortale non ſit, quale illud prius erat, cui ſuffocatio & deuorandi difficultas erat cõiuncta. Verùm ſi propter exuperantem ſiccitatem ceruicis deprauatio accidat, & deglutiendi labor, lethale erit tale ſymptoma, maximè quum vehemẽs febris afflixerit: vt verba illa, Si febre detẽto, in hunc etiam ſenſum intelligenda veniant. Sed ob hãc eandem febrem par eſt immodicam membris conciliari ſiccitatem. Atque ita vehemens illa febris

febris duplicem habitura eſt ad mortem rationem, tum quia vt ſignum ceruicis deprauationem illam & in deuorando difficultatem propter ſiccitatem accidiſſe indicabit, tum etiam quia & ipſa aliquid conferet, tanquam vna quæpiam ex cauſis ad mortem perducentibus.

XXXVI.

Ἱδρῶτες πυρεταίνουσιν ἢν ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τριταῖοι, καὶ πεμπταῖοι καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐνναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι, καὶ μίῃ, καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ τριακοστῇ πρώτῃ, καὶ τριακοστῇ τετάρτῃ. οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νούσους κρίνουσιν· οἱ δὲ μὴ οὕτως γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νούσου, καὶ ὑποτροπιασμούς.

Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperint die tertio, quinto, ſeptimo, nono, vndecimo, decimoquarto, decimoſeptimo, viceſimoprimo, viceſimoſeptimo, triceſimoprimo, & triceſimoquarto. ij enim ſudores morbos iudicant. Qui ſecus euenerint, laborem, & morbi longitudinem, aut eiuſdem reditum ſignificant.

Non tantùm ſudores, ſed alui non contemnendę deiectiones, & vrinæ multæ, & iuxta aurem aut aliquem alium articulum abſceſſus dictis diebus commodè apparere ſolent. Oratio enim vniuerſaliter

ſi eſſe

ſi efferatur, talis fuerit, Signa decretoria & ſymptomata diebus criticis incipiant: quæ oratio ſatis eſſe poterat. Verùm Hip. non de omnibus criſimis, id eſt de omnibus decernendi vim habentibus, ſed de ſudoribus tantum egit, nobíſque dies criticos qui ſunt intra quadrageſimũ redegit in memoriã. Morbi enim terminũ hunc ſuperãtes non admodum conſueuêre per ſudores iudicari, vt nec omninò per excretiones, ſed vel per concoctionem, vel per abſceſſus. Iam verò non quemuis dierum numerum ad decernẽdum idoneum eſſe experientia ipſa manifeſtò teſtatur. vnde admirari ſubit eos qui nullã in his differentiam ſtatuunt. Nam & ex iis quæ rei euidentia conſtant eorum dierũ differentiam diſcere, & effecti cauſam per otium inueſtigare præſtaret. quod nos in tractatu de diebus criticis egimus. Nã differentias in duobus prioribus commẽtariis ad artem neceſſarias explicauimus, & in tertio eorũ cauſas pro viribus exquiſiuimus. Porrò autem non parua eſt de diebus in aphoriſmo ſcriptis diſſentio, aliis aliter pro libidine ſua ſcribẽtibus. nos verò Hip. preſcripta ſecuti, & in Prognoſtico, & Epidemiis, & hoc ipſo aphoriſmorum libro eorum enumerationẽ fecimus. Dictiones

verò

verò Hipp. in quibus de hiſce diebus ſcripſit, habes in commentatione de diebus criticis, & de criſibus omnes à nobis collectas. Nũc verò à tertio incœpit, qui quarto anteuertit per breuioris temporis morbos. poſt quem quintum ſcripſit vno die poſteriorem quarto. Sic enim in omnibus ferè exemplaribus ſcriptum inuenitur, nuſquam in aphoriſmo quarto die aſcripto, quamuis hic primus criticus eſſe videatur. attamen ipſum nunc prætermiſit vel Hippocrates ipſe, vel is qui primus librum ſcripſit. Quòd ſi Hip. omninò eum præterierit, mihi propterea id feciſſe videtur, quia morbi plurimi peracuti, qui cũ ſudore iudicantur, tertio & quinto die potius quàm quarto iudicium ſubeãt. rariores enim ſunt, qui die quarto decernãt. Quod quum diu multúmq; vel ob eã cauſam quæſiuiſſem quia hoc aphoriſmo fuiſſet ab Hip. prætermiſſus dies quartus, ita tandem habere longa experiẽtia comperi. Hoc autem ideo accidere videtur, quia morbi peracuti tum primam ſtatim acceſsionem vehementiſsimam habeant, tum eam quæ die tertio fit primæ ad proportionem reſpondens. Per vehementiores autem acceſsiones criſes fieri, & morbos qui diebus imparibus commouentur

citius

citius criſi terminari, qui verò paribus, longius trahi; id quoque nos experientia didicimus. Atq; ideo ſi initio ſtatim morbus aliquis concitetur vehementius, in dies impares potius, ſi verò trahi debeat, in pares vehementiores acceſsiones incidunt. Atq; hæc habui, quæ de quarto die dicerem. Ad finem autem aphoriſmi nõnulli triceſimumprimum diem, alij triceſimumquartum ſcribũt, quos criticorum dierum numero contineri certò ſcimus, ac fortaſſe plus poteſt triceſimuſquartus. Quadrageſimi verò non meminit, quia fortè hunc diuturnorum morborum principium putabat, qui non libenter ſudoribus iudicãtur. nam & ipſum triceſimumprimum, & triceſimumquartum, & ante ipſos viceſimumſeptimum raró per ſudores iudicare comperias.

XXXVII.

Οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι, θανάτον· ξὺν πρηϊτέρῳ, δὲ μήκος νόσου σημαίνουσι.

Frigidi ſudores cum febre quidem acuta mortem, cum mitiore verò morbi longitudinem ſignificant.

Rem ita habere ſæpè docet experientia; eius verò inquirenda eſt cauſa. Nam explicatu difficillimum eſſe videtur, quo modo

modo febre calidiſsima hominem haben te, ſudor frigidus fiat. Quòd itaque in aliis corporis partibus vehementem ineſſe caliditatem, ex aliis ſudores frigidos vacuari oporteat, cuiuis eſt manifeſtum. Calfacti enim fuiſſent, ſi ex partibus calidiſsimis manaſſent. Vacuantur autem ex eadem cute ſudores, quæ frigida eſſe poteſt, quum vrantur interim ea quæ ipſi ſunt ſubiecta. Nam humoribus quibuſdam putreſcentibus febres acutas fieri oſtendimus. hi verò ſæpè toto corpore, ſæpè etiam in ſolis vaſis putreſcunt. Si quando igitur hæc duo contigerint, vt & humores in vaſis putreſcant, & natura ſolidas partes moderans & regens (quæ ſecundum Hippocratem eſt natiuus calor) vel prorſus extinguatur, vel proprius extinctionem accedat, quæ tum ex his vacuantur frigida apparẽt, atq; interim vehemẽtiſsimam eſſe caliditatem ex putrèdine ortam, nihil prohibet. Ac propterea frigidus ille ſudor exitiale eſt ſignum, indicans ſcilicet in animalis corpore humorum ſuperare copiam vſque eo frigidorum, vt neque ab inſito, neque à febrili calore excalfieri potuerint. Verùm ſi febris fuerit remiſsior, pòterit homo ſeruari, concocta ſcilicet longiore tempore

humorum multitudine, atq; euicta à natura. Nam acuta febris & cauſa eſt, & ſignum pernicioſiſsimũ. ac cauſa quidem, quando ſuapte natura poteſt reſoluere corpora:ſignũ verò, quia humorum multitudinem oſtendit, quæ frigidiſsima eſt, quum ne à febrili quidem calore mutetur. Quæ verò acuta non eſt, ſed moderatior febris materiæ copiam per diuturnitatem temporis coquẽdam naturæ permittit:quippe quæ hominẽ frangere, aut tollere de medio non præoccupat. Nec verò ſignum adeo exitioſum eſt, ac febris vehemens. fieri enim poteſt, vt remiſsiore febre, etiamſi modicè frigida ſit humoris copia, inexcalfacta maneat.

XXXVIII.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος ἱδρὼς, ἐνταῦθα φράζει τὴν νοῦσον.

Qua corporis parte ſudor, ibi morbus.

Si ad totum animalis corpus morbus pertineret, ex toto etiam æquabiliter fieret vacuatio. Fiunt ergo ſudores, vel natura ſuperuacanea euacuante(quo tempore ipſi commodè & vtiliter decernunt)vel etiam quia in corpore contineri non poſſint morbi ratione fiunt. Vtrolibet autem fiant modo, partibus affectis contentam humiditatem vacuant.

XXXIX.

XXXIX.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος θερμὸν ἢ ψυχρὸν, ἐνταῦθα ἡ νοῦσος.

Et qua parte corporis ineſt calor aut frigus, ibi morbus.

Quacunq; corporis parte inſignis fuerit calor, aut frigus, ibi morbũ deliteſcere eſt neceſſe: ſiquidem ipſa longius receſsit à naturali eucraſia, id eſt, proba temperatione, quæ nihil aliud eſt quàm ſanitas.

XL.

Καὶ ἢν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνηται, μῆκος νούσου σημαίνει.

Et quando toto corpore mutationes accidunt, vt ſi corpus refrigeretur & viciſſim calefiat, vel color alius ex alio oriatur, longitudinem morbi ſignificant.

Variæ & diſcrepantes affectiones, ſemper diuturniores fiunt, quàm quæ ſunt vniuſmodi & formæ: quia ſcilicet natura paruo tempore multas affectiones ſubigere & concoquere nequit.

XLI.

Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ φανερῆς αἰτίης γινόμενος τῷ σώματι, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται· ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίγνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται.

Sudor multus per ſomnum factus, copioſiore cibo corpus vti ſignificat: Quòd ſi parcius epulãti hoc accidat, vacuatione indigere ſciendum eſt.

Nonnulli aphoriſmũ ſcribunt in hunc modum, Sudor multus per ſomnũ factus ſine cauſa manifeſta. Quidã verò ſic, ſine cauſa altera. Verùm iſta & eiuſmodi alia locis innumeris ab Hipp. prætermiſſa, intelliguntur facilè, etiamſi non aſcribantur, quia ea nos ſubaudimus, quamuis nõ dicantur: quippe qui ſemel ab eo didicerimus, propter externam cauſam, non corporis affectũ ſecuta ſymptomata, nullam certam adferre præſagitionem: quod documentũ memoria ſemper teneri velim. Quod autem præſenti aphoriſmo docemur, id maximè cõſiſtit in adiectione vocis multus. Nam ſi copioſus ſudor non emittatur, poterit & propter viriũ imbecillitatem, & corporis raritatem accidere: multus verò ſi manat, is vel propter cibariorum quæ modò ſumpta ſint immodicam copiam, vel propter eorũ quæ anteà ſunt aſſumpta nimietatem accidat neceſſe eſt. Quòd ſi propter recèns ſumptorum ciborum abundantiam fiat, ne in poſterum plures ingurgitent prohibendum: ſi verò propter priſtinam eduliorum multitudinem acciderit, vacuandum eſt.

XLII.

IΔρὼς πολὺς ψυχρὸς ἢ θερμὸς αἰεὶ ῥέων, ὁ ψυχρὸς μείζω, ὁ δὲ θερμὸς ἐλάσσω νοῦσον σημαίνει.

Sudor multus, frigidus calidúsve ſemper fluens, frigidus grauiorem, calidus minorem morbum ſignificat.

De ſudoribus qui diebus criticis erumpunt dictum eſt ſupra. De iis verò qui toto morbi tempore citra criſim vllam apparent, in hoc agit aphoriſmo. in quo deteriores ſudores frigidos, his verò minùs malos calidos eſſe dicit. Oſtendunt certè quidem vtrique copiam, ſed alteri frigidam, qui ſunt peiores, alteri calidam, qui illis minùs ſunt pernicioſi.

XLIII.

OI πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείποντες διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται, μᾶλλον ἐπικίνδυνοι· ὅτῳ δ᾽ ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres quæ tertio quoq; die vehementiùs affligentes non intermittũt, periculoſiores: quoquo modo autẽ intermiſerint, periculum abeſſe ſignificãt.

Quòd Hippo. verbum intermittere de acceſsionibus in apyrexiam, id eſt integritatem & febris vacationem deſinentibus efferat, apertè ipſemet indicat præſenti aphoriſmo, quum febrium tertio quoq;

die vehementius affligẽtium acceſsiones quoquo modo intermittẽtes, omni periculo vacare pronunciat. Ex ipſis enim ſolę eæ periculo vacant, etiam ſi vehemẽtiſsimam & valdè longam habeant acceſsionem, quæ in apyrexiam deſinunt. Si enim acceſsio breuis fuerit, vt in tertianis fit exquiſitis, minore vtique quàm duodecim horarum tẽpore circumſcripta: nõ ſolùm periculo vacat eiuſmodi febris, ſed citò etiam iudicatur. Si verò longior fuerit, vt horarum exempli gratia octodecim, eſt & hæc ſine periculo, ſed tãto eſt diuturnior, quãto eius acceſsio maior, quàm pro tertiana exacta & legitima. Porrò non abſq; ratione eſt, quòd ad integritatem & quietem febre vacantẽ peruenientes, periculo vacare dicit, vtpote quę neque propter inflammationem aliquam fiant, neque ob malignam humorum putredinem. nam ſiue ex inflammatione, ſiue ex maligna putredine ortum habeant, ad integritatem non perueniunt. Quoquo igitur modo intermiſerint febres, periculum abeſſe ſignificatur, id eſt ſiue vehemens acceſsio fuerit, ſiue longa.

XLIIII.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τούτοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐγγίνονται.

Quos

Quos febres longæ exercent, ijs tubercula ad articulos vel labores fiunt.

Non eſt*hoc perpetuum, vt nec taliũ aliud quicquam, ſed ferè ita vſu venire videtur. Eius rei autem cauſa eſt manifeſta. Nam vel propter copiam, vel craſsitiem, vel frigiditatem humorũ febres efficientium quàm plurimùm morbi producuntur, ipſis nimirum ad concoctionem longum tempus poſtulantibus. Veriſimile igitur eſt propter hos excitari tubercula, & ad articulos ſuperuacaneâ decumbere. Siue autem per labores dolorem, ſiue læſionem intellexerimus, vterque intellectus habet rationem aliquam. Siquidem & dolor & noxa tales humorum irruptiones τὰ ἀποσκήμματα Græcis appellatas comitari ſolent.

* Nã & per σύμπεψιν & τῶν δι' οὔρων ἐκκρισιν finiri poſſunt.

X L V.

Ὁκόσοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐκ πυρετῶν γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus tubercula ad articulos vel labores poſt febres fiunt, ij cibarijs pluribus vtuntur.

De his qui ſe recipiunt ex morbo agit. Hos enim ſi ſe repleuerint plethorica excrementa vel maximè propter viriũ imbecillitatem colligere par eſſe videtur.

XLVI.

HN ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι θανάσιμον.

Si rigor febre non intermittente ægrum iam debilem inuadat, mortiferum eſt.

Nō idem eſt, quum ſi ſuperuenerit, & quum ſi inuadat dicitur. nam illud vnicum rigoris impetum, hoc plures ſignificat. Si itaque ſemel rigor inuaſerit, nondum liquet; pernicioſáne an ſalutaris ſit ſequutura criſis. poteſt enim vel propter virium imbecillitatē exitioſum eſſe ſymptoma, poteſt etiam dubia & fallax iudicatio eſſe, quæ tamen tandem benè cedat. Sæpius verò ſi irruerit rigor non intermittente febre, quum id alioqui minimè bonum eſt, tum in virium imbecillitate pernicioſum. Nam ſi qua etiam vacuatio rigorem ſequatur, quæ nullam febris intermiſsio[illegible] adferat, vtriuſque ratione hominem[illegible]ngi reſoluíque par eſt, & quia virt[illegible]mbecilla rigoris vehementē quaſſum f[illegible]re non poteſt, & quia vacuatione reſoluitur. Solus verò rigor ſi fiat nulla vacuatione ſubſequente, ne ſic quidem bonū fuerit ſymptoma. Nam & vt mala cauſa vires hominis tentabit, & vt malum ſignum extremam indicabit virtutis imbecillitatem: quippe quæ per rigores

gores vacuare humores moleſtos ſit ſolita, nunc verò id præſtare non ſuſtineat.

XLVII.

Αἱ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναί, καὶ αἱματώδεες, καὶ δυσώδεες, καὶ χολώδεες, πᾶσαι κακαί· ἀποχωροῦσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί· καὶ κατὰ τὰς διαχωρήσιας, καὶ κατὰ τὰ οὖρα· ἢν δὲ μή τι τῶν συμφερόντων ἐκκρίνηται διὰ τῶν τόπων τούτων, κακόν.

Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ omnes malæ: commodè tamen ſi prodeant, bonæ. Sed eadem quoque eſt eorum quæ per aluum, & vrinas excernuntur ratio. Si quid verò quod nō iuuet per hæc loca excernatur, malum.

Fortè conueniebat doctrinæ aphoriſticæ dici compendioſius, Omnes malas excretiones, ſi commodè prodeant, ad bonū peruenire exitum. ita tamen locutus non eſt Hippocr. Sed quum tria excretionum genera, tum quod per os, tum quod per deiectiones, tum etiam quod per vrinas ſit nobis in memoriam reuocaſſet, id quidem quod per os ſit particulariùs eſt proſecutus. Non enim ſimpliciter dixit, malas excretiones commodè exeuntes bonas eſſe, ſed ſpeciatim earum meminit his verbis, Liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & bilio-

ſæ. Porrò vna quædam eſt communis in his omnibus ratio, Malas ſcilicet vacuationes, affectionum prauarum ſigna exiſtere. Ac ſæpè quidem eiuſmodi excretiones fiunt eo modo, quo ex putridis vlceribus profluens excrementum tenuius, ſanies Latinis, ἰχὼρ Græcis appellatũ, quod affectam partem nihil iuuat: nonnunquã verò vt pus ex rupto abſceſſu erumpens, quod bellè partem patientem expurgat. Quòd verò benè & cõmodè excernatur, indicia maxima ſunt coctio, & euphoria, id eſt mali per vacuationem materiæ noxiæ leuatio: quibus cum annumeratur morbi ſpecies, & anni tempus, & regio, & ægrotantis tum ætas tum natura. Quod autem eſt ad finem aphoriſmi, bifariam ſcriptum inuenitur. In quibuſdam exemplaribus eo modo quo ſuprà ſcribitur, Si verò eorum quæ non conferunt, aliquid excernatur. In aliis verò ſine negatione hoc modo, Si verò eorum quæ conferunt aliquid excernatur. Si itaque priorem lectionem ſequamur, talis erit orationis ſententia, Si quid eorum quæ excerni nihil prodeſt vacuari videatur, malum. Poſteriorem vero ſi retineamus, eius erit talis ſenſus, Si quod animali vtile eſt & familiare excernatur, non eſt bonum. Prior

igitur

igitur præferenda eſt lectio.

XLVIII.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittentibus ſi partes externæ algent, internæ vruntur & ſitiunt, lethale eſt.

Videndum eſt nunquid poſsint in febre interpolata fieri talia ſymptomata: ipſe enim neque vidi, neque rationem quomodo fiant inire poſſum. Solis ſiquidem exitialibus febribus ardentibus adeſſe videntur, aut ſi aliter libet appellare, multùm admodum malignis febribus, vt lipyriis. Nulla verò febris alia profundum corpus perurit, cute inalgeſcente. Neque enim Cauſus, id eſt ardẽs febris, modò maligna non ſit, neque tertiana: quæ febrium omnium ſunt calidiſsimæ. Itaque videtur non diſtinctionis gratia illud aphoriſmo adiectum fuiſſe, In febribus non intermittentibus, ſed ſimilem locutionem fuiſſe illi, Vertebræ quæ in ſpina habentur, non quòd alia corporis parte ſint vertebræ, ſed quaſi ita diceretur, Vertebræ quibus hoc adeſt, vt in ſpina habeantur. quo certè modo in præſentia accipiendam eſſe Hippocr. orationem ducimus

ducimus, Si altæ partes exuruntur, cutẽ perfrigerata, pernicioſum: id quod fit in nonnullis febrium non intermittẽtium. Porrò huius rei talis eſt cauſa, Quum vehemens aliqua inflammatio aut eryſipelatis initium eſt in aliqua profunda corporis parte, vniuerſus ex toto corpore ſanguis ad locum laborantem trahitur. quæ cauſa eſt vt profunda ardeant, frigeat cutis, quemadmodum acceſsionum febrilium initiis fieri ſolet.

XLIX.

EN μὴ διαλείπουσι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ σώματος, ὅτι ἂν τούτων γένηται, ἐγγὺς ὁ θάνατος.

In febre non intermittente ſi labrum, aut ſupercilium aut oculus, aut naſus peruertitur, ſi non videt, ſi non audit, imbecillo iam corpore quicquid horum acciderit, in propinquo mors.

Quum nerui tenduntur atq; ad proprium principium contrahuntur, partiũ ad quas pertinent, contortiones fiunt. Porrò ipſorũ tenſio & inflammationes, & ſcirrhos, & ſiccitates, & immoderatas refrigerationes ſequitur. Hæc autem eo ſunt grauiora, quo propius neruorum originem fuerint conſtituta. Quare ſi

cum

cum febre continua æger debilis fuerit, non abſque ratione proximam mortem eſſe putãdum eſt: multóque magis quum non audit, aut non videt propter virtutis ſenſificæ imbecillitatem.

L.

Οκου ἂν ἐν τῷ πυρετῷ μὴ διαλείποντι δύσπνοια γένηται, καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον.

Vbi in febre non intermittente difficultas ſpirandi & delirium acciderit, lethale.

Ob eandem cauſam vtraque fit & dyſpnœa & deliratio, affecto ſcilicet cerebro: túncque apparet ſpiritus, vt ipſe in prognoſtico tradit & magnus, & ex multo interuallo hauſtus, hoc eſt & magnus & rarus. Poteſt etiam propter aliquem partium reſpirationi ſeruientium affectũ fieri difficultas ſpirandi. Nam & pleuritides & peripneumoniæ, & reliqua thoracis atque pulmonis mala ſpirandi difficultatem efficiunt. Quæ omnia periculoſa ſunt, adiuncta præſertim febre continua: nam ſemper cum eiuſmodi febre fieri conſueuêre. Quare hoc etiam loco, verba illa, In febre non intermittente, eadem ratione dicta eſſe videntur, qua etiam in præcedente aphoriſmo.

L I.

EN τοῖσι πυρέτοῖσιν ἀποςήματα μὴ λυό-μενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μῆκος νόσου σημαίνει.

In febribus abſceſſus qui primis iudicationibus non ſoluuntur, longitudinem morbi ſignificant.

Clara eſt oratio, nec fortè authoritatē Hippocra. deſyderat. Satis enim ex eo ipſo quòd primis diebus criticis non ſoluantur, conſtat huiuſmodi mala fore diuturna.

L I I.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἢν ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀῤῥωςίῃσι κατὰ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον ὁκόσοισι, δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν, ἀτοπώτερον.

Quibus in febribus aut alijs morbis voluntariè illacrymant oculi, abſurdum non eſt. Quibus verò præter voluntatem, abſurdius.

In prognoſtico quoque dixerat lachrymari bonum ſignum nō eſſe, quando ſcilicet oculus nullo peculiari & proprio affectu laborat, vt ophthalmia, vt palpebrarum ſcabritia, aut ſimili. Certa enim virtutis retētricis debilitas indicatur, quum nullo eiuſmodi oculorum affectu ægri lacrymantur. Porrò non rectè ſcriptum eſt abſurdius comparatiuè. Rectius enim fuiſſet abſurdum abſolutè dicere, quæ menda

menda primi potius bibliographi, quàm Hippocratis eſſe videtur.

LIII.

Ὁκόσοισι δὲ ἐπὶ τῶν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περιγλίσχρα γίνεται, ἰσχυρότεροι γίνονται οἱ πυρετοί.

Quibus per febres circa dentes lentor quidam obnaſcitur, ijs vehementiores ſunt febres.

Neque enim eiuſmodi περίγλισχρα, id eſt lentor & ſordes dentibus obhæreſcentes fieri poſſunt ſine multo calore humiditatem pituitoſiorem exiccante.

LIIII.

Ὁκόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ βραχέα ἐρεθίζουσαι ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσιν, οὐ πάνυ τοι διψώδεες εἰσίν.

Quibus ſiccæ tuſſes paulùm irritantes in febribus ardentibus perſeuerant, ij non admodum ſitículoſi ſunt.

Siccas tuſſes appellat in quibus nihil expuitur, ob intemperiem interdum inſtrumentorum ſpiritalium, aliquando verò propter faucium aſperitatem, aut humore aliquo tenui & pauco deſtillante factas. Quicquid horum fuerit, irrigantur quodam modo loca ad arteriam aſperam attinentia, atque propterea minus ſiti vexantur. Nam ſi ſola ſit inæqualitas, eo motu qui tuſsiendo fit ex vicinis locis ali-

qua

qua trahitur humiditas: Sic etiam ſi vel ſola fuerit dyſcraſia.

L V.

OI ἐπὶ βυβῶσι πυρετοὶ, πάντες κακοὶ, πλὴν τῶν ἐφημέρων.

Ex bubone febres omnes malæ, præter ephemeras.

Febres ephemeras,ſeu diarias appellat, quæcunque ſecundum ſuam naturam diem vnum durant. De quarum genere ſunt febres illæ quæ bubones, id eſt, in collo, alis, inguine & ſecundum aures glandularum tumores ſequuntur,ex cauſis euidentibus ortos. Alios verò bubones qui ſine cauſa manifeſta ortum habuerunt, veriſimile fit vnà cum viſcerum inflammationibus acceſsiones ſuas habere:atque ideò febres quoq; quę cũ talibus bubonibus fiunt,malas eſſe neceſſe eſt.

L V I.

ΠΥρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγενόμενος, μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ, κακόν· μηκύνει γὰρ ἡ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει.

Febricitanti ſudor ſuperueniens febre ægrotum non deficiente,malum. prorogatur enim morbus,& plus humiditatis ineſſe ſignificat.

Hunc aphoriſmum cum paulò antè poſito cõiungi oportuit,in quo dicebat,Sudor multus frigidus, aut calidus aſsiduè

fluens

fluens. Ipſe verò nunc & quo pacto eiuſmodi ſudorem dixerit malum eſſe, & quàm ob cauſam indicauit. Malus itaque exiſtit, quia cum eo quòd morbum non ſoluit, tum etiam ipſum prorogari ſignificat. Cuius quidem longitudinis temporis cauſam multæ humiditati acceptam refert: ad cuius humiditatis copiæ diſsipationem & coctionem quum temporis multum natura requirat, morbum profectò ipſum longum fore eſt neceſſe.

·LVII.

Ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος, λύει τὸ νόσημα.

Spaſmo aut tetano febris ſi acceſſerit, morbum ſoluit.

Eſt ſanè &*tetanus ſpaſmus, id eſt conuulſio: Sed in tetano partes cõuelli & retrahi non videntur, quia æqualiter rurſum prorſúmque tendantur: ac propterea eximium & proprium nomen eſt ſortitus. Quo fit vt tres illæ rigidæ affectiones opiſthotonus, emproſthotonus, & tetanus omnes ſint conuulſiones ſeu ſpaſmi. Fiũnt verò ſecundum Hippoc. ſpaſmi omnes ex repletione aut vacuatione partium neruoſarum. Quicunq; igitur ſpaſmi ardentibus febribus ſuperueniunt, eos propter ſiccitatem fieri rationi eſt cõſen-

** Spaſmũ Celſus diſtenſionem neruorum, & tetanũ eorundẽ rigorem appellat.*

taneum: qui verò ab initio proprio inuadunt, habent ex repletione ortum. Hiſce igitur ſpaſmis accedentes febres partim ſuperfluam digerunt humiditatem, partim frigiditatem concoquunt: quæ duæ ſunt medicis remediorum indicationes, ad quas tanquam ſcopos totam curandi ſpaſmi ex plenitudine orti rationem dirigere ſolent. Meritò igitur à febribus ſpaſmi ſunt pernicioſi, qui verò ante febres, non exitioſi.

LVIII.

Ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ ἐπιγινομένου ῥίγεος, λύσις γίνεται.

Si febre ardente laboranti rigor ſuperueniat, ſolutio fit.

Oſtendimus enim in libro de rigore etiam ob flauam bilem, quæ per membra ſentientia ocyus feratur, fieri rigorem: quam ob rem ſcilicet & alui fiat ſolutio, & ſudóres ac vomitus bilioſi ſuperueniant. Bile igitur ardentis febris cauſa expurgata, febris fit ſolutio. Nam ardentem febrem fieri nouimus, quum æſtiuo tempore venulæ exiccatæ acres & bilioſos ad ſe ichoras attraxerint.

LIX.

Τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι, τὸ μακρότατον.

Tertiana

Tertiana exquiſita ſeptenis ad ſummum circuitibus iudicatur.

Tertiana febris quod ad humorem morbificum attinet ab ardente, quæ Cauſus Græcè dicitur, nō differt: ſed eo multùm interſe differunt, quòd ardens in venis vnà cum ſanguine flauam bilem redundantem & feruentem habeat: in tertiana verò eadem bilis toto feratur ac moueatur corpore. Eſt igitur legitima & exacta tertiana quæ ſynceram ſuam naturam vbique ſeruat. cuiuſmodi eſt, quæ flauam bilem, vt diximus redundantem & concitatam habet: & præterea tempus adeſt æſtiuum, & regio tempori ſimiliter calida & ſicca, & hominis tum ætas, tum temperatio ſimilis. Protinus ergo in tali tertiana cum rigore fiet acceſsio, & eius ſolutio cum ſudore, aut bile per vomitum aut aluum vacuanda, aut hiſce omnibus ſimul factis. Eſt etiam eiuſmodi tertianæ multò minus acceſsionis quàm remiſsionis tempus. Nam quum duobus diebus & totidē noctibus totus eius circuitus perficiatur, exquiſitam tertianam vltra horas duodecim acceſsionem proferre nunquam reperies. Talis itaq; Hip. intra ſeptem circuitus vel quum tardiſsimè iudicatur. Nam quod incontinuis v-

nus dies poteſt, hoc in intermittentibus acceſsio. Siquidem ſecũdum acceſsionum ſupputationem intermittẽtium fiunt iudicationes. Quod ipſe innuebat in prognoſtico, quum de quartana agens ita loquebatur, Seruat etiam quartanarũ conſtitutio talem ordinem. Sed & ipſi quoq; obſeruauimus tũ in quartanis ipſis, tum in tertianis fieri iudicationem ſecundum periodorum non dierum numerum. Siquidem in hac ipſa tertiana ab initio inita ſupputatione quæ ſeptima eſt acceſſio in decimumtertium incidit diem, & ſæpè in ipſo morbus iudicatur non expectato quartodecimo. Quemadmodum igitur in morbis continuis, acutorum quidem morborum terminus erat quartuſdecimus, peracutorum verò ſeptimus: ſic in intermittentibus, quæ longiſsimum tempus durat tertiana terminum habet circuitum ſeptimum. Et rurſum vt in peracutis quinto, quarto, & tertio die morbus iudicari poterat: ſic in tertiana quoquè iiſdem circuitibus fieri ſolutio poteſt, natura minimè ſeptimam periodum expectante. Porrò Hippoc. tertianam aliquando cum additione exactam appellat; aliquando verò ſimplici appellatione contentus, tertianam abſolutè dicit: quæ

nunc

nunc etiam Græcorum eſt conſuetudo omnes eiuſmodi res infinitè nominandi.

L X.

Ὁκόσοισιν ἂν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα λύει τὸ νόσημα.

Quibus per febres aures obſurduerint, ijs ſanguis è naribus profluens, aut perturbata aluus ſoluit morbum.

Ipſe etiam antea ſurditatem fieri dixit retentis excrementis bilioſis, & in caput ſublatis: & contrà aluo perturbata eiuſdem fieri ſolutionem. Quod hoc etiam loco repetit, præterea de profluuio ſanguinis è naribus mentione facta. Nam hoc etiam ſurditatem ſoluit, eam ſcilicet quæ per febres fit, abſque vlla peculiari & eximia inſtrumēti auditus affectione. Nec mirū videri debet, ſi vacuatis aut tranſlatis nocuis humoribus ceſſent morbi.

L X I.

Πυρέσσοντι ἢν μὴ ἐν περισσῇσιν ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ὑποτροπιάζειν εἴωθεν.

Febricitantem niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet reuerti.

Vtrum hunc aphoriſmum Hippo. ſcripſerit, an in eorum numerum referri debeat, qui falſò ſunt aſcripti, neſcio. Nam & in Prognoſtico eas dierum criticorum

augmentationes & compoſitiones quæ per quaternarium fiunt docuit, & in hoc ipſo Aphoriſmorum libro. atque in Epidemiis non ſolùm decimoquarto multos iudicari vidiſſe ſe dicit, ſed viceſimo etiã, quadrageſimo, ſexageſimo, & octogeſimo. Sed & viceſimuſquartus & triceſimuſquartus, & ab initio ſtatim quartus ſecundum ipſum iudicant. Quo modo igitur nunc, niſi imparibus diebus febris deſierit, incertam fore ait & minimè fidam iudicationem? Pręſtat igitur pro impari die ſcribere criſimo, id eſt iudicatorio, vt nonnullis viſum eſt. quanquam multa exemplaria multitudinis numero imparibus diebus habent ſcriptum.

LXII.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι ἐπιγίνονται πρὸ τῆς ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν.

Quibus per febres morbus regius ſuperuenerit ante diem ſeptimum, malum.

Icterus (quem regium & arquatum morbum vocant) fit aliquando criticus, id eſt iudicatoriè, natura in totum corpus maximéque in cutem flauam bilem deponente: aliquando etiam ſymptoma eſt iecoris malè affecti. Atque eius affectiones malæ propter quas morbus regius ſuperuenire ſolet, ſunt tres, ſchirrhus

Vide aph. 64 Suiur libri : et 72. lib. 5. et 42. lib.

rhus, inflãmatio, obſtructio. Verùm ſchirrhus morbus eſt diuturnus : inflammatio verò & obſtructio etiam repentè fieri poſſunt: atque ideò icterus qui ante ſeptmũ diem acciderit, ex harum alterutra ortum habet. Nam citius critico more bilis in*corpus ſummum regeri & effundi non poteſt. Ante ſeptimum igitur diem icterum malum eſſe, verum eſt: non tamen propterea poſt ſeptimum omni vacare periculo, eſt ſimiliter verum. neque iſtud nunc agitur. Poſſunt enim inflammatio & obſtructio diutius permanere. Verùm ante ſeptimum bilem modo critico in ſummum corpus effundi eſt impoſsibile. Porrò in quibuſdam exemplaribus adiectum eſt ad finem aphoriſmi, niſi humores per aluum cedant: iis nimirum qui iſta adiiciunt, per aluum quoque bilem expurgari volentibus.

*Eius cauſa eſſe videtur, quia icterus non ex quauis, ſed craſſiore bile fiat.

LXIII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.

Quibus in febribus certo die rigores repetunt, eodem febres ſoluuntur.

Quum bilis per totum corporis habitum motione rigores accidant, atq; ideo ſingulis ipſa acceſsionibus expurgetur &

Rigoris nomine horror & frigus cõprehendi debẽt: à quibus febriũ typi ſumũtur.

vacuetur, non abſque ratione ad integritatem, quam apyrexiam appellant Græci, peruenit eiuſmodi febrium intermiſſio. Hoc igitur ipſum eſt, quod nunc dicitur, eodem die febres ſoluuntur, ac ſi dixiſſet ægrotantes apyretos, id eſt ſine febre eo die degere. Quemadmodũ autem ſi quotidie rigores fiant, quotidie etiam febres ceſſent : ſic etiam ſi tertio quartóve quoque die. quod vtique & in tertianis & quartanis circuitibus fieri apparet, in quibus febres ſoluuntur, & rurſum redeunt. Remanet nanque quædam in corpore prçter naturam affectio, à quã in orbem febres aliæ & morbi generantur, & tanquam ex fonte quodam aut foco ſcaturiunt & redaccenduntur.

LXIIII.

Ὀκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐννάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθὸν, ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ· ἢν δὲ μὴ, οὐκ ἀγαθόν.

Quibus per febres morbus regius die ſeptimo, aut nono, aut vndecimo, aut quartodecimo ſuperuenerit, bonum, niſi dextrum hypochondrium durum ſit: alioqui, minimè bonum.

Aphoriſmus qui ante hunc proximè ſcriptus eſt, non ſine ordinis turbatione interp

interpoſitus eſſe videtur. Satius enim erat, præſentem aphoriſmum cum illo copulari, in quo dicebat, Si febri ante diem ſeptimum morbus regius acceſſerit, malum: vt tota eſſet eiuſmodi oratio, Ante ſeptimum diem morbum regium fieri, malum eſt prorſus: poſt ſeptimũ verò bonum, niſi ſit dextrum hypochondriũ durum, id eſt niſi quis malus affectus ex iis quos paulò ſupra retulimus, viſceri ſeu iecori acciderit. Nam quum ſanguis in eo repurgetur, & bilis ex ipſius venis in meatus à Græcis quòd bilem excipiant cholodochos appellatos, quaſi bilis ductus dicas, deriuetur, ſiue obſtructio in his locis aliqua fuerit per quæ traducitur, ſiue inflammatio, vel ſcirrhus, omninò ſanguinem non repurgari, ſed vnà cum ipſo bilem quoquo verſum per corpus ad ſummam vſque cutem deferri, atq; inde morbum regium fieri eſt neceſſe.

LXV.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν καὶ καρδιωγμὸς, κακόν.

In febribus circa ventriculũ vehemens æſtus & cordis morſus, malum.

Quòd veteres non ſolùm viſcus illud quod ex ſe ſecundum naturam pulſat, ſed etiam os vẽtriculi cor appellauerint, con-

feſſa res eſt & manifeſta: ſicuti etiã quòd cardialgiam, quaſi cordis dolorem dicas, huius partis dolores appellent. Complures nanque ex iis qui aphoriſmos interpretandos ſuſceperũt verbum καρδιώσσειν idẽ quod καρδιαλγεῖν, id eſt ex cordis dolore laborare, ſignificare autumant: nonnulli verò cordis ipſius viſceris ſcilicet car diogmon hîc ſignificari dicunt, motionem quandam palpitationi ſimilem cardiogmum interpretati. Vehemens itaque ventriculi æſtus à flaua bile generatur in ipſius tunicis feruente: pro cuius feruoris & incendij modo os quoque ventriculi morderi ita affectis rationi eſt conſentaneum: atque ideo malum eſt ſymptoma. Si quis verò per cardiogmum crebram illam & celerem cordis motionem, maximè quum palpitationi fuerit ſimilis, intel lexerit, extremũ iam hoc malum eſt, inflammatum ſignificans & incenſum vitæ principium.

LXVI.

EN τοῖσι πυρετοῖσιν τοῖσιν ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν.

In acutis febribus conuulſiones, & circa viſcera vehementes dolores, malum.

Febres vehementes ignis inſtar ner-

nos

uos exiccant, ac ideò eoſdem tendunt & conuellunt, atque ita demum pernicioſas adferunt cõuulſiones. Nonnunquam verò viſcera quoque ipſa per talem affectum dolent propter inflammationis & ſiccitatis vehementiã, atque idcirco ipſum malum eſſe dicit. Sed multo peior erit, ſi vehementes dolores acceſſerint. Porrò non ignoramus etiã propter inflammationẽ, aut eryſipelas, aut fortè obſtructionẽ, aut abſceſſum in viſceribus dolores fieri: ſed nunc ipſi de his ſermonẽ haberi nõ eſt veriſimile. Euidentiſsimũ ſiquidem in ipſis ineſt periculum, neque neceſſariò adiunctam habet cõuulſionẽ. Adhæc Hip. illud In febribus ſolet dicere pro in morbis febrilibus, quãdo videlicet febres ipſæ ſunt morbus, nõ partis alicuius quopiã enumeratorum affectuũ laborantis ſymptoma.

LXVII.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι ἢ σπασμοὶ, κακόν.

In febribus per ſomnum pauores, aut conuulſiones malum portendunt.

Etiam ſuprà dixerat, ſomnum qui lædat ægrotantem, eſſe mortiferum: qui verò non lædat, nõ eſſe pernicioſum, vbi exemplum etiam ſui dicti adiiciens, ita locutus eſt, Vbi delirium ſomnus ſedat, bonum

bonum, tanquam ſomnus poſsit eſſe aliquis qui delirationem non ſedet, ſed concitet interdum & generet. Verùm hoc loco alia profert exempla noxæ ex ſomno contractæ, pauores ſcilicet & conuulſiones. Nonnulli tamen non pauores, ſed labores ſcribunt. Sed & ipſi ſæpè vidimus in morbis perniciofis & pauores, & labores, & conuulſiones ex ſomno profectas fuiſſe. Quod accidere videtur, quum in cerebrum humor noxius aſcenderit, per id temporis intrò magis quàm foras mota natura. Quinetiam quemadmodum à cibo in ſomnũ collapſis caput repletur, ſic plethoricis affectibus ſomni caput replentes aggrauāt cerebrum & obruunt. Si itaque ea plenitudo magis ad atræ bilis naturam accedat, pauores inuadent: alioqui ſi talis non ſit, labores fient & cõuulſiones. Et verò ſomni etiam ipſi, quantum in ea eſt materia quæ in profundum & viſcera ipſa per quietem confluit, ſemper læderent, niſi coctionis ratione maiorem adferrent vtilitatem, quàm ſit damnum illud quod motum ad interiora conſequitur. Nec ſolùm in cerebro ipſo acceruati praui humores, talia inuehunt ſymptomata, ſed in ipſo etiam ore ventriculi. Vnde magis etiam per ſomnum

exhal

exhalationes fiunt, ipſis incoctis manentibus. Nam coctiones ſomnos adferunt vtiles.

LXVIII.

EN τοῖσι πυρετοῖσι τὸ πνεῦμα προσκόπτον, κακὸν· σπασμὸν γὰρ σημαίνει.

In febribus ſpiritus offendens, malo eſt, conuulſionem enim ſignificat.

Spiritum audiendum eſt nunc ab ipſo dici, qualem in prognoſtico intellexit, dum inter reſpirãdum animam ducimus ac reddimus. qui vbi offendit, id eſt media reſpiratione ſiſtitur & interrumpitur, conuulſionem ſignificat. hoc enim fit muſculis thoracem mouẽtibus & neruis iam quodam modo tentatis conuulſione. qua aucta affectione, & plures partes occupante, aperta tum conuulſio hominem corripiet. Quum verò geminus ſit inter reſpirandum motus, vnus quo ſpiritum intrò haurimus, inſpiratio dicitur, alter quo eundem exhalamus, cõtrariam appellationẽ ſortitus, expiratio nuncupatur. Interciditur autem & interpellatur ſpiritus nobis inſpirantibus quandoque, vt cùm ipſe dixit, Gemina intrò reuocatio, quaſi ſuperſpiratio: interdum expirantibus, vt quum dixit, Et ſpiritus offendens in via quum foras effertur. In

nihil quod non alij hoc ipſo docent. Verùm ſi quis totam Hipp.orationem ſpectet, non de graueolentibus vrinis, ſed de ſolis paucis ac craſsis ſermo inſtitutus eſſe videbitur, vt ex antitheſi fiet manifeſtum. Ab his enim, inquit, ſi tenues & copioſæ meiantur, iuuant: vt ſi vel hoc ſolum ſcribatur, Quibus vrinæ craſſæ & paucæ, nihil orationi deſiit. Fiunt itaque quibuſdam etiam ſine febribus tales vrinæ, natura per renes totius corporis ſuperuacanea expurgante: fiunt etiam cum febribus. Quo tempore ſuſpicetur fortè quiſpiam eiuſmodi in contrarium factam vrinarum mutationem bonam non eſſe, quandoquidem maximam partem in febribus vrinæ ab initio tenues, in craſsiores euadant morbo ad ſolutionem tendente. Atqui propterea mihi aphoriſmus ab eo ſcriptus eſſe maximè videtur, vt quod rarò vſu venit, doceret. nonnunquã enim vel morbi initio, vel non multò pòſt vrinæ craſſæ redditæ propter materiæ grauitatem habent ſedimentum. In his itaque vrinis ſedimentum apparens non eſt bonum ſignum: ſicuti cõtrà optimum ſpectatur in iis, quæ ab initio tenues exiſtentes, poſtea totius morbi coctionis ratione ſedimẽtum ſumunt. Porrò

rò non eſt abſque ratione, quòd craſſæ vrinæ multitudine ſint paucæ vtpotè quæ renes ægrè permeent. Poſtquam igitur tum maior eiuſmodi cacochymiæ pars vacuata fuerit, tum concocta reliqua, tũc multo prioribus tenuiores excernentur. Nam eas ſic appellare erit rectius, non tenues abſolutè, quemadmodum dixit Hip. Nam quæ ſecũdum naturam habent, nõ abſolutè tenues exiſtũt neque craſſæ: ſed cum inter vtrumq; exceſſum mediæ ſint & ſymmetræ, aquoſis quidem craſsiores ſunt atq; dicũtur: grumoſis verò tenuiores. Multæ verò meritò excernũtur, quia prius fuerunt retentæ; quo tempore ſcilicet præ craſsitie ægrè percolabantur.

LXX.

Ὁκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀνατετα-ραγμένα, οἷον ὑποζυγίου, τούτοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται.

Quibus per febres vrinæ turbatæ, quales iumentorum, ijs dolor capitis vel adeſt vel aderit.

Hunc aphoriſmum nonnulli cũ ſuperiore connectunt tanquã eius ſit pars, ita ſcribentes, Quibus verò vrinæ turbatæ ſunt, his cephalalgiæ, &c. Ac volũt quidã per vocẽ turbatæ ſignificari cõtrarias vrinas iis quæ ſuprà ſunt tenues appellatæ: alij

alij verò eas ipſas turbatas. Atqui tenues vrinas cephalalgicas eſſe,id eſt doloris capitis indices,à veritate eſt alienum.Siquidem videntur dolores capitis præcedere interdũ, nonnunquã verò vnà cum turbatis vrinis adeſſe. Cæterum qualeſnam hæ ſint,manifeſtò oſtẽdit quũ dixit, quales iumentorũ.Fiunt verò tales vrinæ craſſam ac denſam materiã agitãte & verſante calore, atque in ea ſubigenda occupato. Nam hæ maximè materiæ ab externo etiam calore flatuoſum ſpiritũ concipere & edere vidẽtur, ſicuti bitumẽ, pix & reſina.Ex his itaque vrinis, quædã diutiſsimẽ turbatæ manent, nonnullæ ſedimentum craſſum ſtatim habẽt, & tardã morbi ſolutionẽ ſignificãt.Tertiũ verò turbidarum vrinarũ genus non reſidentium,ſi quidem vires cõſtent, longũ fore morbũ: ſi earũ imbecillitas adſit, ægri mortẽ denunciat. Atque hæc quidẽ nobis obiter, quia vtilia, ſint dicta.Quæ verò ad aphoriſmi explicationẽ dicẽda reſtãt, ſunt eiuſmodi:vnà cũ turbatis vrinis dolores capitis neceſſariò adſunt,vel aderũt,vt inquit Hip.quia vnà cũ calore flatuoſus ſpiritus in caput facilè tollitur.nõ tamẽ ſi cui doluit, aut dolet caput, ei cõtinuò tales vrinæ futuræ ſunt. Siquidem cephalalgia fit

etiam propter calorem ſolum, interdum verò propter flauam bilem quæ in capite aut ventriculo cōtineatur, vel ob humorum caput aggrauantiū copiam, vel locali quapiā obſtructione, vel ſpiritu flatuoſo ea ipſa in parte generationem ſortito. ex quibus nulla talē vrinā neceſſariò adfert.

LXXI.

Ὁκόσοισιν ἑβδομαία κρίνεται, τουτέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον.

Quibus die ſeptimo futura criſis eſt, ijs vrina rubram die quarto nubeculam habet, cateráque pro ratione.

Vt in multis aliis ſeipſos rudes & ignaros artis Hip. oſtenderunt cōplures ex his qui hunc aphoriſmorū librū ęxponēdum ſuſceperunt, ſic & in hoc aphoriſmo. Exiſtimant enim per verba illa ad aphoriſmi finem addita, Cæteráq; pro ratione, ſignificari ea quæ de ſomno & vigilia, de reſpiratione, & decubitu, & ſurrectione, & ſi quid aliūd eiuſmodi in prognoſtico ſcripſit: vt ſi hæc omnia rectè fieri videantur, futuram die ſeptimo iudicationem ſperemus. In qua re pręcipua præſagitionis capita ignorare videntur. Vigilant enim ferè ſemper, & affligūtur, & febricitant vehementius ægroti quanto propius criſim venerint,

venerint, & ex ipſis complures iudicationi proximi ſpirandi difficultate laborant. Minimè verò præſens ex vrinis ſignum, etiam citra iſthæc commemorata ſymptomata ad certiorē futuræ iudicationis ſpē & coniecturam ſignis apparentibus in vrinis deficitur: ſed ſunt multa alia, quæ frequentius in vrina quàm iſtud ſpectantur: quæ ignorare mihi prorſus videtur ij qui Hipp. ſcripta priuſquàm ipſius artem vniuerſam perdidicerint, audent exponere. Nam quum ſit quartus dies index, quēadmodum ipſemet ſuprà docuit, & qualis ſit futurus ſeptimus præmonſtret, quodcūque in ipſo primùm apparet effatu dignum coctionis ſignum, futurā ſeptimo die criſim ſignificat. Itaque nō ſolùm rubra aliqua nubes in vrina apparens, prius non viſa iudicationem præſignificat: ſed alba etiā multò magis quàm rubra, atque his adhuc multò magis enæorema (latinè craſſamentum quoddam ſuſpenſum, & velut nubecula media vrina penſilis dici poteſt) æquale, & conſtans, ſibíque ipſi cohærens criſim forè prænuntiat. Quòd ſi celeriter admodum morbus moueatur, etiā coloris & corporis vrinæ (conſiſtentiā vocāt) mutatio, idonea ſunt futuræ iudicationis ſigna. Quæ itaque

tenuis eſt vrina, ſi mediocriter craſſa euadat, & quæ alba ſi pallida fiat, in tali morbo iudicationẽ prænuntiat. Vnius igitur ſigni Hippo. nominatim meminit, rubræ ſcilicet nubeculæ: ſed ſimul cum eo alia quoque nos eadẽ ratione æſtimare & recordari vult, quæ iudicationes futuras oſtendũt. Cuiuſmodi ſunt ea quæ diebus indicibus ab eo appellatis & prænuntiis ſuperueniunt vel in vrinis, vel alui excrementis, vel ſputis ſpectanda. Nam quæ talia ſunt, omnia iudicationes quidẽ præſignificant, ſed non ſemper bonas. Solis enim coctiõnis ſignis diebus prænuntiis apparentibus bonæ iudicationes præſignificantur. Atque talis eſt aphoriſmi ſententia. Rubræ autem nubeculæ mentionem fecit, quia perrarum ſignum eſt. Albæ enim frequentiſsimè apparent, & coctionis euidentius ſignum præ ſe ferunt. Rubræ verò rarò fiunt: & niſi hoc loco ipſas dixiſſet Hippo. diebus indicibus conſpicuas futuram nunciare iudicationem, nemo fortaſsis ab his talem vim expectaturus erat. Siquidem rubrum colorem ſalutarem quidem eſſe, ſed diuturnum morbum ſignificare dicit. Nam in prognoſtico ita ad verbum ſcribit, Si verò & ſubrubra vrina, & ſedimentũ ſubrubrũ & læue fuerit,

fuerit, diuturniorem quidem ſed admodum ſalutarem morbum ſignificat. Vtrũ autem quarto die talis nubecula conſpecta futuram ſeptimo iudicationem ſignificet, in alio verò quopiam indice ſi appareat, non ſignificet diligenter eſt conſiderandum: quod ipſum in ipſis artis operibus obſeruari debet. Nam quod ad rationes attinet, ſunt in vtranque partem, & magis in alteram, nempè in quartũ diem indicationem non incidere, niſi morbus celeriter admodũ moueatur. Nã ſi quod quarto die deſignatum eſt, tantundẽ temporis, id eſt dies tres inſuper accipiat, poteſt futuram criſim oſtendere: vndecimo verò ſi appareat, nõ tribus ſolùm diebus, ſed pluribus indigere ſæpè viſum eſt. Nã eiuſmodi dierum*indigentiã aliquid admetiri & velut auctarij vice ſolutionibus morborum addere, tam verum eſt, quàm quod veriſsimum. Ego certè quidem raro eiuſmodì ſignum aliis diebus quàm quarto ſpectaui. Cui itaque ſeptimo apparuiſſet, is quartodecimo fuit iudicatus, & cui quartodecimo, is viceſimo criſim ſubiit. Apparuit & cuidam alteri vndecimo, qui decimoſeptimo iudicatus eſt, & alij cuipiam eodem rurſus vndecimo apparuit, qui viceſimo fuit iudicatus.

** Tardior indicatio tardiorem morbũ & ad eius ſolutionẽ plurium dierũ interuallo opus eſſe ſignificat.*

LXXII.

Ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα, λευκὰ, πονηρὰ· μάλιστα δ' ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνηται.

Quibus pellucidæ & albæ ſunt vrinæ, malæ, maximè verò ſi in phreneticis appareant.

Eiuſmodi vrinæ extremæ cruditatis ſunt ſigna. quare & morbos diuturnos ſignificant, & verò etiã ex ipſis quędã deiectis prius per morbũ & proſtratis viribus ſunt pernicioſæ, vt in phrenitide. nullum ſiquidem vidi, in quo talis apparuiſſet vrina, phreniticum ſeruatum. Melius enim eſſet, ſi quemadmodũ totusillioſus morbus eſt, ita vrinæ quoq; apparerent bilioſæ. Aquoſæ verò vrinæ (eiuſmodi enim ſunt pellucentes albæ) maximam oſtendunt cruditatem, & præterea totius bilis flauæ motum ſurſum in caput factum eſſe denunciant. Quibuſdam enim vrinæ ſunt perſpicuæ, non etiam albæ, compage quidem tenues, colore verò bilioſæ. Quæ verò lympidæ ſimul & albæ exiſtunt, aquoſæ ſunt omninò. Si igitur ſimpliciter ſcribatur, maximè verò in phreniticis malæ, manifeſta eſt aphoriſmi ſententia. Si verò vt in aliis habetur exemplaribus, ad finem orationis adiiciatur verbum apparẽt, ſenſus erit talis. Aquoſę vrinę malę ſunt, ma-

ximè

ximè verò tales apparent in iis phreniticis qui pernicioſè laborãt: neque enim in omnibus, quemadmodũ interpretes nonnulli intellexerunt, ignari prorſus eorum quæ in ægrotis apparent. In quibuſdam exemplaribus ita ſcriptus inuenitur aphoriſmi finis, Præcipuè verò in phreniticis tales ſpectantur: qui intellectus idem eſt, qui ſecundæ lectionis nobis ſuprà dictæ.

LXXIII.

Ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγινομένου αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταῤῥαγέωσιν ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα.

Quibus elata hypochondria murmurant, lumborum ſuperueniente dolore aluus humectatur, niſi infernè flatus erumpant, aut vrinæ multitudo prodeat. Atque hæc in febribus.

Quum multis de cauſis hypochondria tollantur, hoc eſt in maiorem tumorem adducantur, ex his vna ſpiritus eſt flatuoſus, de qua nunc diſſerit bifariam fieri ſolita: aliquando propter affectum aliquem inueteratum & ſolutu difficilem partium ad ventrem attinentium: aliquando verò ob recentem aliquam occaſionem. Quas quidem affectiones Hip. nunc diſtinguit. Nam prior fit ſine murmure. Tenſa enim

atq; inflata vtris inſtar reddit hypochondria. Altera fit cum borborygmo ſeu murmure. hic appellatur ſtrepitus à ſpiritu editus, quum ſcilicet neque magnus neque multus exiſtit, & cùm aliqua mediocri humiditate deorſum mouetur. Atque etiam vſu venit tali borborygmo peſſum eunte, vt vnà cum ipſo in eam ventris regionem quæ eſt ad lumbos hypochondriorum tumor deſcendat: vnde partibus inibi ſitis ab eodem diſtentis dolorem excitari contingit: atq; ita demum fieri, vt quandoq; humore ad diſtributionẽ ſuopte impetu incitato ſolus ſpiritus flatuoſus, quandoq; etiam vnà cum humore per aluum emittatur. Quinetiam diſtributus ille humor ferè per vrinas excernitur. Dictis ergo ſignis conuenienter, ait aluum deiici, niſi ſeorſim humorẽ quidẽ diſtribui, ſeorſim verò ſpiritum in inteſtinis detentum per ſedem excerni contingat. Sed & vterque interdum tum ſpiritus tum humor ad diſtributionem feſtinantes in veſicam facilè permeãt. Quod autem ad finẽ aphoriſmi ſcribitur, atq; hæc in febribus, tale aliquid mihi ſignificare videtur, A febribus malè habere & vexari antiqui dicebant eos qui ſine certa inflãmatione, aut abſceſſu, aut dolore, aut eryſipelate, aut vt generatim

& vni

& vniuerſe dicam, abſq; aliquo membro eximiè præ aliis affecto, ægrotabāt. Quòd ſi vel propter lateris aut pulmonis, aut alterius cuiuſdam partis inflammationem febricitarent, non iam febricitantes ipſos appellabant, neque febribus vexari dicebant: ſed pleuriticos aut peripneumonicos, aut hepaticos aut ſplenicos, aliíſve ſimilibus nominibus nuncupabant. Nunc itaque mihi videtur Hippo. ex duobus alterum velle ſignificare, vel quòd ea quæ præſenti aphoriſmo ſunt comprehenſa, in his febribus fiant, in quibus nullum priuatum membrum eſt affectum: vel quòd illis etiam morbis, qui ob malè affectam quampiam partem fiunt accidāt, non tamen ipſis aluus ſoluatur, aut flatus vrinæ've prodeant. Neque enim aliquo naturali motu partium flatuoſum ſpiritum depellentium, murmur in illis fieri contingit, ſed tanquam ſymptoma ſolùm eſt affectus partem quampiam malè habētis.

L X X I I I I.

Ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς τὰ ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον, οἷον ἐν τοῖσι κοπιώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται ἐνίοισι γίνεσθαι. ἢν δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμοῤῥαγήσῃ, καὶ πάνυ ταχὺ λύεται.

Vbi ſpes eſt ad articulos abſceſſum iri, abſceſſu liberat vrina multa craſſa & alba reddita: qualis in febribus laborioſis quarto de quibuſdã exire incipit. Quòd ſi ex naribus etiam ſanguis profluxerit, breui admodum ſolutio fit.

Diximus etiam ſuprà abſceſſus in articulis fieri tum in iis quibus anteà defatigati ſunt & debilitati articuli, tũ quibus quoquo modo per morbum laſsitudinis in ipſis ſenſus eſt, tum etiã in quibus propter craſſorum humorũ copiam morbus inueteraſcit. Si igitur natura valdè per vrinam corpus expurget, abſceſſu ægrum liberabit, eo ſcilicet humore qui alioqui ad articulos prolapſurus erat per veſicam euacuato. Porrò ſatis habuit Hip. febrium laborioſarum veluti exempli gratia meminiſſe quæ die indicatore initium motionis ad vrinas ſumunt. Hiſce enim laborioſis febribus hoc adeſt, vt citò in ipſis fiant abſceſſus, non expectato (quod aliæ febres faciunt) tempore longiore. Iiſdem ipſis ſecundum aures etiam abſceſſus fieri conſueuêre: quemadmodum aliis chronicis & diuturnis febribus in partes potius inferiores humorum redũdantia decumbit. Quibus igitur maior calor in altum materiã ſuſtulerit, ipſis vel profluit è naribus ſanguis, vel parotides, id eſt ſecun-

dum aures abſceſſus fiunt. Quòd autem febris ſolutio eiuſmodi ocyus fiat, quàm quæ per vrinas fit, vel citra rationem, eſt manifeſtum. Quare ſtatim poſt eam addidit Hip. Celeriter admodum fit ſolutio: quum altera quæ per vrinas fit vacuatio, plures ad ſolutionem dies requirat. Quod autem quarto die dicitur, exempli vice eſt poſitum: Id autem ad alios etiam dies omnes indices & criticos transferre licet.

LXXV.

HN ἄιμα ἢ πῦον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis ſanguinem aut pus meiat, renum aut veſicæ exulceratio ſignificatur.

Siue in renibus, ſiue veſica ſit vlcus, ſiquidẽ ſimul cum vaſis alicuius maiuſculi ruptione maximéque eroſione inciderit, ſanguinis ſubſequitur excretio: ſi verò iſta abfuerint, ſolũ pus excerni ſolet. Sed fieri etiam poteſt vt in aliquo meatuum vrinariorũ quos οὐρητῆρας appellant Græci, facto vlcere tùm pus excernatur tũ ſanguis. Hi verò quia renes & veſicam interiacent, vnà cum illis intelligendi veniunt. qui vtique ſæpè in iis exulcerantur, qui in renibus calculum habẽt, quum ab acuto, aut aſpero admodum & ſcabro ipſos obſtruente lapide excoriantur. In pudendo

autem

Vide Aphoris. 77. 78. 80. 81. 82. 83. huius libri 4. Vide etiã aphoris: 39. li. 7. Et aphoris. 72. li. 2. prædictionũ.

autem ſi vlcera conſiſtāt, etiam ſine vrina pus & ſanguis excernitur. At verò in aliquo etiam ſuperiorum locorum quandoque abſceſſu rupto, vnà cũ vrinis pus exire cernitur. Vnde interpretes nõnulli alteram lectionẽ magis probarũt, quæ cum copulandi particula, & legitur in hũc modum, Si quis ſanguinẽ & pus meiat, renũ aut veſicæ exulceratio ſignificatur, quia ſi horum alterum pus ſcilicet ſolùm meiatur, non modò renum aut veſicæ exulceratorũ, ſed ſuperiorum etiam partium alicuius ſignum eſſe poſsit. Qui ſanè aliquid fortaſsis dicunt: fortaſsis etiam verbum meiat, aliud quiddã ſignificat quàm minxerit, atque in ſe diſtinctionem continet. Neq; enim eo ne pacto dicas, Si quis ſanguinem aut pus meiat, an illo, Si quis ſanguinem aut pus minxerit, parum intereſt. Vno enim, aut duobus aut tribus diebus potuit pus meiere; rupto ſcilicet abſceſſu & effuſo in mictionis inſtrumenta: multis autem diebus, aut etiã mẽſibus poſtquàm hoc factum fuerit, renũ aut veſicæ exulceratio indicatur. Vtrius autẽ horum potius ipſa ſit, tum dolor non iiſdẽ locis factus, tum ea quę cum vrinis excernuntur, diſcriminant: de quibus deinceps loquetur. Eadem eſt de vreteris quoque ratio.

LXXVI.

LXXVI.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι, σαρκία μικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται.

Quibus cum vrina craſſa exiguæ carunculæ, aut veluti pili exeunt, his à renibus excernitur.

Exiguæ quidem carunculæ renũ ſubſtãtiæ notæ ſunt & indicia: illud verò veluti pili, renũ ſubſtantiæ indicio eſſe nullo modo poteſt. neque enim fieri poteſt, vt in talem ſubſtantiæ formam ren diſſoluatur, & qui hoc aſſeuerant, renum ignorant naturam. Sed neq; retexta veſica aut exeſa talia meiũtur, vt quibuſdam viſum eſt. Siquidem ſunt huius particulæ lamellis ſimiliores, quo modo ipſemet Hippoc. eas paulò pòſt ſquamulas appellat. Verùm rei veritas ita ſe habet, quemadmodũ nobis ſorte quadam ſæpius videre contigit: & alij etiam nõnulli medici experientiſsimi ſæpè ſe tales vrinas vidiſſe dicunt. quam quidem affectionem medici recentiores τριχίασιν vocant, quaſi pilimictionem dicas, quòd villis præſertim albis, ea quæ per vrinam feruntur, ſimilia appareant. Sed nuper etiam quidam corpora eiuſmodi tam longa meiebãt, vt incredibili longitudine viſerentur. Siquidem ex ipſis nonnulla dimidium æquabant cubitum.

tum. Is toto ferè anno prætergreſſo frequentiſsimè fabam freſam, & caſeum tenerum & ſiccum comederat. Et alij denique omnes quibus talia meiere contigit pachychymis & craſsis cibariis veſcebantur. Hic igitur craſſus humor in renibus ad aliquem vſque modum ſiccatus & torrefactus, pili ſimile nanciſcitur concretionem. Quinetiam ipſa curandi ratio, inueniendę cauſæ viam demonſtrat. Nam qui ita ægrotarent omnes medicamentorum tenuantium & incidentium vſu ſimul cum reliqua victus ratione humectante perſanati ſunt. Quòd ſi renum aut veſicæ tanta fuiſſet exulceratio, vt ipſorum diſſolueretur ſubſtantia, non modò nihil talibus medicamentis adiuti, ſed etiam magnopere offenſi & irritati fuiſſent. Quare in his Hippoc. vt in aliis ſumma eſt admiratione proſequendus, qui ea inuenerit quæ medicis compluribus fuerunt ad húc vſque diem ignorata. Sed ipſius etiam accurata & exacta loquendi ratio habet admirationem, abs renibus talia excerni dicentis. Neque enim quemadmodum in ſuperiore aphoriſmo renum incuſat exulcerationem, ſed ſimpliciter, à renibus excerni affirmat: nó ſecus quàm ſi quopiam cum vrina reddito lapide, ex renibus ipſum

ſum delatum eſſe dixerimus, non quòd eorum ſit ſubſtantiæ particula, ſed quia in ipſis ſuam ſit concretionem ſortitus. Exiguæ itaque carunculæ vlceratorum omninò renum ſubſtantiæ partes exiſtunt: quæ verò ſunt pilis aſsimilia, in renibus quidem concreſcunt, vt & lapides, cæterùm eorum ſubſtantiæ partes non ſunt. Perperam in omnibus exemplaribus hic aphoriſmus ſcribitur ſine diſiungēdi particula aut, hoc modo, Carunculæ paruæ veluti pili. nequaquam enim exiguæ carunculæ pilis ſunt ſimiles. Verùm inter adiectiuum exiguæ, & veluti particulam media collocanda eſt diſiunctio aut, quia duarum rerum non vnius hoc aphoriſmo Hippoc. faciat mentionem, quarum vna eſt, Carunculæ exiguæ: altera veluti pili. Atq; in iis quidem quæ pilis ſunt ſimillima, ſemper craſſa ſpectatur vrina, vt potè pituitoſam ſubſtantiā quam venæ cumularunt, per renes expurgāte natura: in carunculis autē non eſt neceſſarium. Quanquam ipſe nunquā ſpectaui talem renum affectionem: ſed veluti carunculæ quidem mihi ſæpius in iis febribus viſæ ſunt, in quibus etiam ὀροβοειδεῖς ὑποστάσεις appellatæ Græcis, id eſt erui ſpecie ſedimenta ſpectantur in vrina, ex craſſo ſanguine in re-

nibus

tenuis,ſed mediocriter conſtãs & compacta fuerit, (in eo enim ſignificato craſſam in præſentia accipere oportet)tum ea quę ſimul cum tali vrina excernũtur, in renibus aut veſica affectionẽ eſſe indicabunt. Quum enim ex venis deducatur vrina & à renibus prolectetur,in his verò percoletur,indéque per canales vrinarios in veſicam tranſmittatur,atq; in ea vt receptaculo aſſeruetur, quicquid in ipſa præter naturã apparuerit, aut venas, aut renes, aut veſicã malè habere ſignificabit:quo modo nunc furfuroſa iſta affectam ſcabie veſicam portendunt, duntaxat quando in venis nõ eſt vitium. Nam ex ipſis etiã aliquando furfuracea eiuſmodi deferuntur, ipſarũ aliàs affecta tunica,quo modo veſicæ quoq; tunicã affici accidit: aliàs etiam ſanguine qui in ipſis continetur, caloris feruore & vehementia peruſto & fricto. Ad quam nimirũ rem aptior in ipſis contentus quiuis humor craſſus, multóq; magis is qui veluti fæx eſt ſanguinis, quem conſueto more appellamus ſuccũ melancholicum. Quemadmodum enim cutis ſuperficies (quã ἐπιδερμίδα vocant Græci, nos ſummam extimámque cuticulam dicere poſſumus) tenue quiddã (cuiuſmodi eſt quæ ſerpentum ſenectus appellatur)

per ſcabiem,lepram, & lichenas abiicit ac deperdit:ſic quum pars quæpiam interna ſimili aliquo quo cutis vitio laborat, mali quoq; ſymptomata ſit ſimile. Quæ quum ita ſint, tum venæ ipſæ, tum veſica ſcabie laborantes furfuroſas cuticulas vnà cum vrinis emittent.quæ vnde prodeant diſtingues ex tenuitate & craſsitudine vrinæ, quemadmodum diximus ſuprà. Nam tenuis vrina venas affectas eſſe, non tenuis veſicam laborare oſtendet.

LXXVIII.

Ὁκόσοι ἀπὸ ταυτομάτου αἷμα οὐρέουσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίου ῥῆσιν σημαίνει.

Qui inopinanter ſanguinem meiunt, iis à renibus venulam ruptam eſſe ſignificatur.

Illud inopinanter poteſt idẽ quod ſine cauſa externa ſignificare, poteſt etiã idem ferè quòd derepẽtè, nullo prægreſſo ſymptomate ex iis qualia apparent in veſica vlcerata.Neque enim in ipſa propter ſanguinis affluentis copiam vena rumpi poteſt, quemadmodum in renibus ſolet accidere,quia per eius venas ſanguis non percolatur, ſed ſolũ ſuppeditatur quantũ ad ipſam alendam ſatis eſſe poteſt. Huc adde quòd neq; venæ per veſicam ſparſæ nudæ ſunt, aut minus benè firmatæ & cõſtabilitæ,

litæ, quemadmodum quæ in renum ventres inſeruntur, quarum anaſtomoſes, id eſt oſculorum apertiones, & ruptiones propter humorum qui in ipſis continentur craſsitiem & multitudinem fieri accidit. Verùm ruptionem veri ſynceríq; ſanguinis ſequitur vacuatio: anaſtomoſis verò quæ nõ confertim ſanguinem profundat pręſertim ſi copioſus non eſt, ſed paulatim tenuiorem percolet, totam ſubcruentam vrinam, id eſt leuiter ſanguine tinctam reddit. Porrò fit, vt dixi, veſicæ etiã venis eroſione laborãtibus ſanguinis vacuatio, quam vlceris in ea conſiſtentis ſigna præcedunt, id eſt tum partis dolor, tum pus, tum ipſius ſæpè corporis veſicæ veluti minuta quædam detrimenta. Hác igitur ratione præſtat vocem inopinanter pro repentè, quàm pro ſine euidente cauſa accipere. Nam ex renibus ſæpè quidem ſine externa etiam cauſa, propter nimiam copiam vaſe rupto, aliquando verò etiam contentius ſaltantibus, aut ex alto lapſis, aut percuſsis meiitur ſanguis.

LXXIX.

Ὁκόσοισι μὲν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ.

Quibus in vrina ſubſident ſabuloſa, ijs veſica calculo laborat. *

Non neceſſariò veſica calculo laborat reſidentibus in vrina ſabuloſis, ſed renes etiam poſſunt laborare. Quare manifeſtò mancus ac imperfectus eſt aphoriſmus, ſiue Hipp. ipſe partem totius orationis dimidiã neglexerit, ſiue primus bibliographus per imprudentiam omiſerit. Nam ſeu in renibus, ſeu in veſica lapides fiant, vnà cum vrinis arenoſa prodeunt.

LXXX.

Ἢν αἷμα οὐρέῃ, καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ ἐς τὸ περίναιον, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονεῖ.

Si quis ſanguinem aut grumos meiat, aut vrinam guttatim emittat, dolore ad hypogaſtrium & pectinem & perinæum pertinente, ad veſicam loca laborant.

Duobus modis finis aphoriſmi ſcriptus inuenitur. In quibuſdam exẽplaribus laborant, in aliis ægrotãt, legitur nullo aut certè paruo diſcrimine. Neutra tamẽ lectio errore vacat, ſi quis illud ad veſicam loca, pro veſica ipſa ab Hippo. dictum eſſe interpretetur. Siquidem commemorata ſymptomata omniũ mictionis inſtrumentorum veſicæ, renum, & ductuum à renibus ad veſicã pertinentium ſunt communia. Quare illud ad veſicam loca ſic exaudire

dire erit melius, vt non ſola veſica, ſed ipſi etiam annexæ partes intelligãtur. Quam interpretationem vt probemus, ſequens etiam facit aphoriſmus, in quo non quæ ad veſicam attinent ægrotare dicit, ſed veſicæ ipſius exulceratioñe incuſat, quaſi non idem dicturus ſit is, qui veſicam ipſam ſolam abſolutè pati aliquid, & qui ad veſicam ſola affecta eſſe pronunciat.

LXXXI.

Ἢν αἷμα καὶ πύον οὐρέῃ, καὶ λεπίδας καὶ ὀσμὴ βαρεῖα ᾖ, τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis ſanguinem, aut pus, aut ſquamulas meiat, & grauis odor adſit, veſicæ exulceratio ſignificatur.

Sanguinem certè quidem & pus meiere vlceratorum inſtrumẽtorum omnium mictioni ſeruientium ſigna ſunt communia: graueolentia autem, hoc eſt inſuauis & ingratus quidam odor, multóq; magis ſquamulæ propria ſunt affectæ veſicæ ſigna. In plurimis itaque exemplaribus ſic legitur, Si ſanguinẽ & pus meiat: in quibuſdam, Si ſanguinem, aut pus meiat, quę lectio ſecunda indicat cõiunctionem aut eſſe diſiunctiuam, vt commemoratorum vtrumuis acciderit, exulcerationis ſignum exiſtat: altera verò lectio vtrunque vel ſimul vnà, vel viciſsim adeſſe vult.

LXXXII.

Οκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα φύεται, τουτέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύσις.

Quibus in meatu vrinario naſcitur tuberculum, ſuppurato eo & rupto, ſolutio.

Propter brachylogiam nihil hoc aphoriſmo magni momenti tradi ſuſpicabitur fortè aliquis. Nemini enim dubium eſt, quin ſi in eo ductu vrinario, qui ad extremum vſque penem porrectus eſt (Hunc enim meatum οὐρήθραν Græci appellant, nos vrinarium canalem & vrinæ viam dicere poſſumus) oriantur tubercula, quæ poſtea rumpantur, mali protinus fiat ſolutio. Verùm ſi diligētius animum aduerterimus, rei cuiuſdam maioris ſit indicatio. Fieri certè quidem poteſt vt propter eiuſmodi tuberculū aliqua fiat vrinæ ſuppreſsio, ad cuius ruptionem eiuſdem proculdubio ſequatur ſanatio. Sed ſuboritur ex dictis ſequens illa quæſtio, vtrum hoc loco ortum tuberculum velit Hipp. rumpi ſolùm, an ſæpiſsimè quidem vt rumpatur accidere, digeri tamen poſſe, an potius hoc vnum ſolutionum propoſuerit exemplum, ruptionem ſcilicet? quod vltimum verius eſſe videtur.

LXXXIII.

Οὔρησις νύκτωρ πολλὴ γινομένη σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει.

Mictus noctu plurimus, paruam deiectionem ſignificat.

Quòd diſtributo & in venas exhauſto eo humore qui in ventre continetur, alui neceſſariò minuatur deiectio omnibus eſt manifeſtum: ſed ſimul & illud eadem ratione apparet, quòd illo eodem humore vnà cum aliis cibariis inteſtina peruadente, aluus quidem reddatur humidior, atque idcirco plura deiiciat, minor verò excernatur vrina. Qua ex ratione fluentis & ſiccæ alui remedia intelligere poſſumus. Nam in quibus iuſto eſt aluus humidior, iis potus minus dabimus, atque ipſius ad veſicam motum ciebimus: Contrà verò quibus ſiccior eſt, potus plus exhibebimus, & eius diſtributionem quoad fieri poteſt prohibebimus.

*

GALENI IN
APHORISMOS,
Id eſt, ſelectas maximéque ratas Hippocratis ſententias,

COMMENTARIVS QVINTVS,

GVLIELMO PLANTIO Cenomano, interprete.

I.

Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον.

Conuulſio ab elleboro, lethalis.

Qui elleborum potarũt album ſcilicet (hunc enim ſimpliciter elleborum, non ſicut nigrum cum adiectione nominare ſolent) iis ſi dũ purgantur ſuperueniat conuulſio, pernicioſum inquit eſſe ſymptoma. Fit enim non initio purgationis, quo tẽpore ſuffocationis imminet periculum, ſed quãdo nauſea vehemẽtius affligantur, & vellicatus dolore diſrumpuntur ac lacerantur: neruis propter ipſam maximè in vomendo contentionem & niſum laborãtibus per eam ſymp

ſympathiam & conſenſum, quem habent cum ore ventriculi. In quo etiam alioqui, quum vehemẽtius morderetur conuulſiones fieri vidimus, ſicuti adoleſcenti accidit, qui æruginem vomuit. Præſtat enim vomitum illum æruginem quàm æruginoſum appellare. Erat enim qualis quæ vera ſinceráque ærugo appellatur viridiſsimus. Huic totum eſt inter vomendũ corpus conuulſum,& ſimul vt vacuata eſt ærugo,protinus febris ipſius & cõuulſio ceſſarũt. Materia autem vomitu reiecta talis erat, veluti ſi quis optimam æruginem eo modo aqua ſoluat, vt ex vtraq; conflatũ corpus, ſapæ referat craſsitudinem. Poteſt igitur,vt dixi,etiã per conſenſum cũ ore ventriculi cõuulſio fieri bibito elleboro albo: quæ moderatiſsima habenda eſt conuulſio. Poteſt & propter ipſam vacuationẽ,dum extra modum purgantur accidere: ſicut cholericis quum aliorum muſculorũ tum maximè eorum qui in ſuris ſunt poſiti contractiones ſæpè accidunt. Sed illud quoque fieri poteſt, vt propter efficaciam pharmaci ex neruis humores vehementius ad ſe attrahentis ſuperueniat ex hoc labore & vexatione conuulſio. Quinetiam ellebori interdum vi ad diſtributionem vehementius conci-

tata contingit neruorum ſubſtãtiam violentius exiccari. Nam ipſemet ex repletione & inanitione cõuulſionem fieri tradidit corporum ſcilicet neruoſorum, à quibus motus perficiuntur voluntarij. Ea autem ſunt nerui, ligamenta, muſculi, tendones. Quemadmodum enim in rebus etiam externis lora & chordas, vbi præter modum exiccantur, aut multo imbuuntur humore tendi videmus: ita in animalium quoque corporibus par eſt non rarò fieri conuulſionem. Porrò liquet ex repletione conuulſionem curabilem eſſe per vacuationem: quæ verò ex inanitione fit & ſiccitate neruorum, vix vnquam admittit curationem. fit etiam vti dicebam per conſenſum conuulſio, quam ab Hipp. prætermiſſam fuiſſe credibile non eſt. Nam eam quæ primario fit conuulſionem declarauit, quum ſpaſmum ex repletione & inanitione oriri dixit. Quinetiam vellicationis ſtomachi ratione, in eo ſingultum fieri non ignoramus, adeò vt neruos etiã ſimiliter affici putes. Quod conuulſionis genus in iis quoque qui veratro purgãtur fieri interdum videbitur: quod Hipp. ſilentio præteriit, niſi, credo, propter inanitionem accidere dicat aliquis, quia mordaces ſcilicet humores ſic-

candi

candi vim habeant. Atque tot quidẽ modis homines conuelluntur hauſto elleboro. Curationem verò recipit tum qui pro pter morſum, tum qui propter contenſionem in vomendo conuellitur: propter ſiccitatem autem præſertim ſi conſummata eſt, qui conuulſus fuerit, is curationẽ reſpuit. Meritò igitur Hipp. totum hoc conuulſionis genus pernicioſum eſſe dicit, quoniam ipſius quidem nonnullæ differentiæ ægrè curantur, vna autem inſanabilis exiſtit.

II.

Ἐπὶ τρώματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος, θανάσιμον.

* *Conuulſio à vulnere pernicioſa.*

Quemadmodum in eo aphoriſmo qui hunc præceſsit, thanaſimon, id eſt pernicioſam dicebat conuulſionẽ, pro eo quod eſt periculoſam, & ſæpe morte terminandam: ſic etiam nunc à vulnere conuulſionem exitioſam eſſe dicit, non tanquam ex neceſsitate ac ſemper, ſed crebrò admodum mortem adferentem. Sic etiam ſuperioribus multis aphoriſmis thanaſimon nomine vti viſus eſt. Siquidem vulneribus ſuperueniunt conuulſiones inflammationis ipſa ſequentis ratione, poſtquam ſcilicet partes neruoſas tẽtauerit. Ac primùm quidem

* *Siue in parte principe, aut neruoſa & exquiſite ſentiente ſoluatur cõtinuitas, quod vulnus appellatur, ſiue in neruo, quæ nerui punctio dicitur, ſi magna ſequatur inflammatio, timenda eſt conuulſio.*

quidem conuelli videntur quæ ex directo partibus reſpondent inflammatione laborantibus. Deinde vbi ipſum etiam principium prehenderit inflammatio, in totum corpus extenditur conuulſio.

III.

Αἵματος πολλοῦ ῥυέντος, σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.

A copioſo ſanguinis fluxu ſingultus, aut conuulſio mala.

Non aliud ſuperiore aphoriſmo thanaſimi nomine, aliud præſenti per cacon, id eſt malum ſignificari exiſtimandum eſt. Siquidem ita ſolet Hipp. ea ſymptomata appellare, quibus mors ſæpè ſuperuenit. Si quid verò magis minúſve differre hæc nomina inter ſe videantur, maius per vocem thanaſimon periculum, quàm per cacon ſignificabitur. Siquidem quæ copioſæ ſanguinis vacuationi accedit conuulſio, ex altero genere eſt cauſarum ipſam efficientium, vt ſuprà dictum eſt.

Vide aph: 58: lib.5. et 13. lib.6. et 39. et 45. 3. et 17. lib. 7.

IIII.

Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.

A purgatione immodica (quam hypercatharſim vocant) conuulſio aut ſingultus malus.

Quod quibuſdam poto elleboro accidere dicebamus, hoc núc de omnibus qui quouis

quouis modo purgantur pronuntiat. Iiſdem enim de cauſis conuelluntur ij qui præter modum purgantur, quibus qui ſumpſerunt elleborum, atque inde ipſis non paruum impendet periculum. Siquidem peior multò eſt à vacuatione quàm per repletionem facta conuulſio. Quòd autem etiam ſingultus ſit ſtomachi conuulſio ſecundum Hipp. ſententiam minimè nos latet.

V.

HN μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν, καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται.

Si ebrius quiſpiam derepentè obmuteſcat, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut qua hora crapula ſoluitur vocem recuperet.

Ob neruorum repletionẽ talis fit conuulſio. Solet autem neruos facilè replere vinũ, vt pote calidũ temperamento. Talis ſiquidẽ natura promptè ſubit & penetrat omnia, præſertim ſi non ita craſsis partibus conſtet. Subſtantiæ itaque copia vinũ neruis conuulſionem conciliat: ſua verò qualitate neruos excalfaciendo & deſiccando, rurſus eam affectionẽ ſanat, quam effecerat. Quòd ſi quando id præſtare nequeat, mortem ſequi neceſſarium eſt. Verùm

rùm qua facultate vinum dicimus conuulſionem ſanare, eadem febris quoque ſanat. Hoc autem maximè loco obſeruanda eſt Hipp. conſuetudo, qui τοὺς ὁπωσοῦν καρουμένους, id eſt eos quibus quoquo modo grauatum & attonitum caput eſt, mutos vocitet: quum tamen propriè carus nominetur totius corporis repentina ſenſus motúſque priuatio. Hanc itaque affectionē conſueto more Hippoc. de vno ſymptomatum nominat, aphonia ſcilicet, quæ vtique fit neruorum læſo principio. Neq; enim aliter omninò poteſt corpus conuelli, quàm hoc prius patiatur vel primariò, vel per conſenſum altera prius affecta particula. Porrò liquet capitis noxam ex vino contractā à Græcis omnibus κραιπάλην à Latinis crapulam appellari. Sic nanque nonnulli nominis etymologiam notauerunt παρὰ τὸ κάρηνον πάλλεσθαι, quaſi caput percelli ac labefactari dicas. Horā autē pro tēpore dixit, quo crapulæ ſoluuntur, quod nō omnibus eadē mēſura præciſum eſt aut circunſcriptū. Quidā enim poſtridie crapula liberantur, alij ſequenti nocte, nonnullis in tertium vſque diem durat pro vini epoti viribus & copia, & potoris natura. Sicuti enim cibi concoquendi vnū non eſt omnibus hominibus

certum

certum ac ſtatutum tempus, ſic neque vini exhalandi. Aut igitur oportet medicũ ægri naturam compertam notámque habere, aut extremum obſeruare exhalandę crapulæ terminum: in quo ſi neque febricitare, neque loqui anteuerterit, proculdubio conuulſus morietur.

V I.

Ὁκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλωνται· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Qui tetano corripiũtur, intra quatuor dies intereũt: ſi verò hos ſuperauerint, incolumes euadũt.

Tetanus morbus eſt peracutus, vt potè ex emproſthotono & opiſthotono, id eſt in partem anteriorem & poſteriorem tenſione compoſitus. Quo fit meritò, vt breuior eius ſit iudicatio, diuturniorem tenſionis laborem non ferente natura. Primo igitur ſtatim dierum criticorum circuitu, criſis eſt morbo.

V I I.

Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μετάστασιν ἴσχει· ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Epilepſia ante pubertatẽ amotionem recipit, poſt viceſimum verò quintum annum ferè comitatur ad mortem vſque.

Propriè

Propriè morbi metaſtaſis appellatur, quum ex parte vna in alteram malum migrat: per abuſionem verò ipſius etiam ſolutio ita nominatur. ac mihi quidem certè Hipp. in præſentia ſecundo hoc ſignificatu dictioně hanc vſurpare videtur. neque enim ſolùm in alias partes translatis humoribus comitialem morbum facientibus ſoluitur affectus, ſed omninò etiam percuratis. Sunt enim hi craſsi, frigidi & pituitoſi. Curantur autem tum ætatis in ſiccius mutatione, tũ exercitatione, tum victu exiccante, accedẽte adhæc idoneorum medicamentorum vſu. Verùm nunc Hipp. ſolius meminit ætatis mutationis: à qua edocti victus etiam formam ſimúlq; accommodata medicamenta facilè inueniemus. Quod igitur alia aphoriſmorum parte dixit, Epilepſia laborantes adoleſcentes magnam quum regionis & vitæ & temporum tum maximè ætatis mutationem liberare; hoc nunc in ipſis morbis declarauit: quippè qui epilepſiam ſi ante pubertatem cœperit, in ipſa ætatis mutatione finiri: ſi verò vltra viceſimumquintum annũ proceſſerit, comitari ad mortẽ vſque hoc aphoriſmo tradat. vnde liquet Hipp. poſt ſecũdam ſeptimanam ſumpto initio pubertatis tempus vſque ad viceſimum

mum

mumquintum annum extendi putare. At verò non omnibus eſt ab ætate pubere ſanatio eiuſmodi affectus, niſi ſe in aliis quoque benè geſſerint: neque quibus hac ætate ortum habuit epilepſia in reliquam ætatem eſt permanſura, ſi victus ratione bona vtantur. Imò verò quòd ab ætate ſanationem nō recipiat, ſed quantū in ipſa eſt conſeneſcat apertè indicauit. Eſt tamē quod obſcurè ſit dictum, quamuis manifeſtum iis videatur qui negligentius illud exaudiunt, Quibus verò viceſimoquinto anno Epilepſia fit, cōſeneſcit. Neq; enim eos ſolùm, quibus 25. annum agentibus orta ſit Epilepſia ad mortem comitatur: ſed multò magis eos quibus vltra hanc ætatem longius progreſsis aduenerit. Si igitur dictioni Hippo. addiderimus quod deeſſe videtur, veritati vndequaque eam conſentaneam efficiemus, hoc pacto. Comitiales affectus, qui ante pubertatē ortū habent, pubertatis tempore ſoluūtur: qui verò vltra ſunt pubertatem longius progreſsi, ferè commoriuntur. Eſt verò pubertatis tempus à 14. anno ad 25. Habetur & alia lectio eiuſmodi, Quibus verò fit viceſimoquinto anno Epilepſia, ferè commoritur, aduerbio ferè idē quod magna ex parte ſignificante.

VIII.

Ὁκόσοι πλευριτικοὶ γενόμενοι, οὐκ ἀνακαθαίρονται, ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, τουτέοισιν ἐς ἐμπύημα μεθίσταται.

Horũ dierũ ineunda eſt ſupputatio ex quo æger expuere cœpit.

Qui pleuritide laborant, niſi intra dies quatuordecim ſupernè repurgentur, ijs in empyema fit mali translatio.

Per ſputa vacuationem humorũ pleuritim committentium ſolet Hipp. per ſuperiora factam repurgationem, & purgationem abſolutè dicere, ſicuti etiam expuere verbũ pro purgari tum in libro de victus ratione in morb. acut. tum in prognoſtico vſurpauit. Nunc verò ipſius purgationis tempus determinat & circunſcribit, in quo ſi non fiat, in empyema pleuritim tranſire dicit: vel quamlibet in pus mutationem ita vocitans (vt in prognoſtico ſæpè appellat) vel factam inter thoracem & pulmonem puris effuſionem. Vtrunque enim accidit, quum pleuritici per ſputa non repurgantur. Verùm quod ſecundo loco diximus, ipſemet in ſequentibus empyematis ruptionem appellat.

IX.

Φθίσις γίνεται μάλιστα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτέων, μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα.

Tabes ijs maximè ætatibus fit quæ à decimooctauo

octauo ſunt ad triceſimumquintum.

Quum ſuperioribus aphoriſmis morbos per ſingulas ætates narraret, Iuuenibus autem, inquit, ſanguinis expuitiones, tabes. Nunc verò etiam annorum appoſuit numerum, quæ tamen cauſa nõ fuit, quamobrem eadem denuò ſcriberet quæ ſuprà, ſed propter ſermonis conſecutionem, & thoracis & pulmonis (de quibus inſtitutus erat ſermo) affectionum communionem factum eſt. Cæterùm cur iuuenes his maximè morbis corripiantur, * ſuprà diximus. Nunc itaque reſtat, vt quas ætates intelligat explicemus, quandoquidem tabem ipſe dixerit iis maximè ætatibus fieri quæ ab anno decimooctauo ſunt ad triceſimumquintũ vſq;. Quod enim ætatibus multitudinis numero dixit, quandam habet ſignificationẽ quòd non vnam exiſtimet Hipp. inter commemoratos annos ætatem eſſe mediam. Neque enim diligentius rem ſpectantibus vna eſt, ſed quæ ab anno decimooctauo eſt ad viceſimumquintum, adoleſcẽtium eſt ætas: inde verò quæ ad triceſimũquintum intercedit, iuuenibus eſt attributa.

** aphor. 29. cõment. 3.*

X.

Οκόσοισι κυνάγχην διαφεύγουσιν ἐς τὸν πνεύμονα τρέπεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν

ἀποθνήσκουσιν· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ἔμπυοι γίνονται.

Quibus ex angina in pulmonem mali fit conuerſio, ij intra dies ſeptem moriuntur: Si verò hos effugerint, purulenti euadunt.

De ea humorum translatione nũc ipſi ſermo eſt, quæ ab angina fit in pulmonẽ: quam quidem ante ſeptimum plerunque diem interimere dicit, ſuffocato ſcilicet ægroto. Quòd ſi ſeptenos dies poſſit ſuperare, per fluxionis in pus mutationem eundem empyum fieri, id eſt intra thoracem ipſi pus colligi tradit.* Porrò an in pulmonem angina migrauerit, ex pulſu cognoſces. Nam durus, inordinatus & inæqualis in membrum principale tranſlatam eſſe materiam ſignificat: mollis autem ordinatus, & æqualis cum facili & æquabili reſpiratione, aliò deriuatam indicat materiam.

* Hæc ſunt ex veteri translatione.

X I.

Τοῖσιν ὑπὸ τῆς φθισίων ἐνοχλουμένοισιν, ἢν τὸ πτύσμα ὅπερ ἂν ἀποβήσσωσι βαρὺ ὄζῃ ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας ἐπιχεόμενον, καὶ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι, θανάσιμον.

Qui tabe vexantur, ſi ſputum quod extuſſiunt, carbonibus iniectum olet grauiter, & capilli defluunt, pernicioſum ſignum.

Tabem nũc appellat affectionem pulmonis

monis vlceroſam, in qua quod expuitur carbonibus infundendum, & ex odore examinandum diligenter & probandum eſſe cenſet. Quemadmodum autem ſuprà in veſicæ vlceribus grauem odorem percipi dixit, ita nũc phthiſicorum quoque ſputũ grauiter olere affirmat. Quòd ſi ita affectis capilli etiam defluant, tum demum ipſos perniciosè ægrotare: quia ſcilicet vltimi alimenti defectus, atque etiam aliquando humorum corruptela oſtendatur.

XII.

Ὁκόσοισιν ἂν φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν, οὗτοι διαῤῥοίης ἐπιγενομένης ἀποθνήσκουσιν.

Quibus per tabem capilli defluunt, ijs fluxione alui ſuperueniente in propinquo mors.

De tabidis iam morti vicinis ipſi nunc habetur ſermo, quos malè quidem habere capillorum indicabat defluuium: alui verò ſuperueniente profluuio, mortem quamprimùm affore expectãdum: quum eiuſmodi ſymptoma & mala cauſa, & malum ſignum exiſtat. Quum enim propter virium imbecillitatem fiat, ipſas rurſum magis magíſque debilitat.

XIII.

Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπτύουσι, τούτοι-

σιν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίνεται.

Qui ſpumantem ſanguinem extuſsiunt, ijs ex pulmone educitur.

Et multa habent exẽplaria, & huius libri interpretes non pauci ſciũt in hæc verba ſcriptum aphoriſmũ, Qui ſanguinem ſpumoſum vomũt, iis è pulmone reiectatur. Quinetiam nõnulli aphoriſmum explicantes, per id verbi copiam indicari volunt: ac propterea à proprio ſignificatu translatum eſſe. Verùm iſti reclamãte euidentia id ſe dicere palámque mentiri non ſentiũt. Sæpè enim ſpumoſi ſanguinis expuitio viſa eſt fieri ſine copia. Si itaque Hippoc. ita ſcripſit, ipſum verbo abuſum fuiſſe dicemus. Neq; enim copia, ex pulmone reiectionem, neq; paucitas, ex alio quopiam loco eductionẽ ſignificat. Si verò expuunt aut extuſsiunt ſcribatur, tunc & proprio vſus fuerit vocabulo Hippoc. & ſanguis eiuſmodi carniformẽ pulmonis ſubſtantiam (quod ipſius eſt propriũ corpus) vlcerationem ſuſcepiſſe indicauerit: adeo vt verè dici poſsit: ſanguinẽ ſpumoſum ſolius pulmonis exulcerationem indicare: non etiam exulcerato pulmone, neceſſariò ſpumantẽ excreari ſanguinem verè dici queat. Sæpe enim lapſis quibuſ-

dam

dam ex alto, aut calcibus cæſis, aut in palæſtra percuſsis ſanguinis coloratiſsimi plurimum tuſsiẽdo expui ſine vllo dolore vidimus, quem ex rupto pulmonis vaſe quopiam prodiiſſe eſt veriſimile.

XIIII.

Ὑπὸ φθίσιος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγινομένη, θανατῶδες.

Si tabe detento profluuium alui ſuperueniat, pernicioſum.

Paulò ſuprà dixerat, tabidis quum pus grauiter olet & capilli defluũt, alui fluxione interueniẽte breui mortem adfuturã. Hîc autem ſimpliciter dixit, accedens tabi alui profluuiũ exitioſum eſſe, nulla de pure & capillis facta mentione, quaſi hoc per ſe ad mortis ſignificationem ſatis eſſe poſsit, non tamen ita propinquam & tam citò adfuturam perniciem indicet, atque quum habet capillorũ adiunctũ defluuiũ.

XV.

Ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται. ἢν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν ἀφ' ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, παύονται· ἢν δὲ μὴ, εἰς φθίσιν μεθίστανται.

Qui ex pleuritide empyi fiunt, ſi à ruptione empyematis intra dies quadraginta repurgentur, liberantur: alioqui tranſeunt in tabem.

Ruptionis addito nomine de iis ſe ver-

ba facere apertè oſtendit, quibus lateris inflammatione in empyema cōuerſa, deinde rupta, in medio ſpatio inter pectus & pulmonē pus colligitur. His enim omnibus, niſi ad ſummū intra quadraginta dies puris ſcreatu expurgādi vacuatio fiat, pulmonē exedi eſt neceſſe, pure temporis longinquitate putreſcente. Pleuritidi itaque Hippoc. quartumdecimū diem, purgationis ſtatuit terminum: Empyis verò quadrageſimum. Verùm nos de horū & aliorum criticorū dierum diſcrimine copioſiſsimè in ea cōmentatione ſumus loquuti, quæ de diebus decretoriis nobis eſt ſcripta: quam tractationem ſi quis perlegerit, facilè ea omnia aſſequetur, quæ Hippoc. de diebus decretoriis ſunt dicta.

XVI.

Τὸ θερμὸν βλάπτει ταῦτα τοῖσι πλεονάκις χρεωμένοισι, σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκράτειαν, γνώμης νάρκωσιν, αἱμοῤῥαγίας, λειποθυμίας, ταῦτα οἷσι θάνατος.

* *Calidum frequentiore vſu hæc inuehit incommoda, carnis effœminationem, neruorum incontinentiam, animi torporem, profuſiones ſanguinis, animi deliquia: ad quæ quidem mors.*

De calidi & frigidi vſu immodico & moderato multa in eo lib. dixit qui de vſu humidorū inſcribitur: & in hac libri parte

te omnia ferè expoſuit capita, & imprimis illud, nempè calidũ, ſi quis eo vtatur immoderatius,has affectiones parere,carnis effœminationẽ, hoc eſt infirmitatem, atoniam Græcè dictã. Eſt enim metaphoricè dictum,quoniã in vniuerſum ſit fœmina mare imbecillior. Cui conſentaneũ eſt quod de neruorum incontinentia ſubiungit.hi enim redduntur infirmi,eorum ſcilicet ſubſtantia à calore ſoluta. Mentis etiam torpor & ignauia,eiuſdem eſt atonia & imbecillitas, cerebri ſcilicet perindè ac neruorum diſſoluta ſubſtantia.Eodem modo immoderatus calidi vſus hæmorrhagias, id eſt ſanguinis eruptiones accerſit iis corporum naturis, quæ ad ſanguinis profluuium aptæ ſunt & diſpoſitę. Sequuntur autẽ eiuſmodi ſanguinis profuſiones lipothymiæ, id eſt defectus animi, quos, vt alia etiam prius enumerata mors conſequitur; ſed illa quidem tempore longiore in aliis magis in aliis minus pro naturarum diuerſitate,ſanguinis verò profuſiones & animi defectus e veſtigio. Exemplaria nõ vno modo ſcriptũ habent aphoriſmi finẽ, ſed omnes lectiones quem diximus intellectum demonſtrant.Harum vna eſt,His mors ſuccedit, altera. Ad quæ mors, tertia. Hæc quibus

mors, quarta, Hæc ad mortem ferunt.

XVII.

Τὸ δὲ ψυχρὸν σπασμὸς, τετάνους, μελασμοὺς, καὶ ῥίγεα πυρετώδεα.

Frigidum verò conuulſiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles adfert.

Immoderatius ſcilicet frigidum conuulſiones, tetanos & neruorum perfrigerationem efficit. Vt enim ipſorum non eſt immodico calore ſoluenda ſubſtantia, ſic neque præter modum refrigeranda & in vnum cogenda ac conſtringenda. Sed & nigrores perfrigeratione, & rigores febres accerſentes cutis denſatione & pororum coarctatione efficit frigidum. Rectius itaque fuiſſet dictum, Rigores qui & conuulſiones, & nigrores, & febres faciũt. Verùm de ſymptomatum cauſis copioſius priuato opere diximus.

XVIII.

Τὸ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοισιν, ὀδοῦσι, νεύροις, ἐγκεφάλῳ, νωτιαίῳ μυελῷ· τὸ δὲ θερμὸν ὠφέλιμον.

Frigidum inimicum oſsibus, dentibus, neruis, cerebro, dorſali medullæ: Calidum verò amicum.

Partes natura frigidiores (cuiuſmodi in animalibus ſunt omnes planè exangues) citius magíſq; immoderato frigidi vſu offenduntur: quibus ipſis ratione opti

ma calidũ familiarius & conuenientius.

X I X.

Ὀκόσα κατέψυκται ἐκθερμαίνειν δεῖ, πλὴν ὁκόσα αἱμοῤῥαγεῖ, ἢ μέλλει.

Quæ perfrigerata ſunt excalfacere oportet, præter ea quæ ſanguinem profundunt, aut breui ſunt profuſura.

Præſens exceptio minimè illud euertit, Contrariorum eſſe cõtraria remedia: de quo theoremate copioſè diximus in ea commentatione quæ de arte curandi inſcribitur. Vbi oſtẽdimus aliud quoddam eſſe theorema huic præuertendum, quod iubet curãda prius eſſe ea, quæ magis vrgent, id eſt præſentius periculũ adferunt: cuiuſmodi nunc hæmorrhagia minatur. Huic itaque prius obſiſtendum: tùm demũm pars affecta ad propriam temperationem reducenda.

X X.

Ἕλκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρύνει, ὀδύνην ἀνεκπύητον ποιεῖ, μελασμοὺς, ῥίγεα πυρετώδεα, σπασμοὺς, καὶ τετάνους.

Frigidum vlceribus mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, nigrorem inducit, rigores febriles, conuulſiones, & tetanos creat.

Propriè quidem appellãti calidũ mordax eſt: ſenſus autem ſimilitudine frigida

etiam

etiam aqua mordax appellatur, non ſimpliciter cuti ſed vlceratæ occurſans. Nam quod morſus ſenſum eſt relicturum, rei mordendæ ſubſtantiam peruadere debet; quod in cute habenti ſecundum naturam frigida aqua facere non poteſt, quoniam cutis denſior eſt, quàm vt eam penetrare poſsit frigidæ ſubſtantia. In partibus verò vlceratis, vtpotè rarioribus pertranſire poteſt per earum ſubſtantiam in profundum vſque ſubiens. Verùm nos de mordacium natura in lib. de ſimpl. medicamẽtorum facultate abundè diximus. Vlceratis igitur frigidum mordax, integris autẽ minimè, ſed cutem indurat eius denſata ſubſtantia. Dolorem etiã reddit inſuppurabilem quia natiuum calorem vlcera ad ſuppurationem perducentem refrigerat, eáque perſpirabili cute digeri prohibet quæ dolorem faciunt. Quæ ſequuntur prius ipſi ſunt expoſita, nigrores, rigores febriles, conuulſiones, & tetani.

XXI.

Ἔστι δὲ ὅκου ἐπὶ τετάνου ἄνευ ἕλκεος νέῳ εὐσάρκῳ θέρεος μέσου, ψυχροῦ πολλοῦ κατάχυσις ἐπανάκλησιν θερμῆς ποιέεται· θέρμη δὲ ταῦτα ῥύεται.

Eſt tamen vbi in tetano ſine vlcere, iuuene euſarco, æſtate media frigidæ larga profuſio calo-

rem

rem reuocat. Calor verò hunc ſoluit.

Poſteaquàm à calido & frigido incõmoda retulit, deinceps rara quædam eorum commoda explicat, ac primùm quidem frigidum ait in tetano (liquet autem in alia etiam quauis conuulſione idem vſu venire) media æſtate, ægro euſarco, id eſt modicè carnoſo & quadrato, ac iuuene frigidæ perfuſionẽ per caloris epanacleſim, id eſt foras reuocationem eum affectum curare. Vnde fit manifeſtum non propria virtute frigidã id morbi ſanare, ſed ex accidenti, quia ſcilicet in iuuenibus euſarcis calorem foràs euocet. In alia ſiquidem ætate nihil profuerit talis frigidæ profuſio, quia neque caloris efficit reuocationem: quando ne hac quidem ætate, alio quopiam anni tempore, præter quàm æſtate media facere poteſt. Nam occurſus frigidæ aut vincit natiuum calorem, aut cogit: ac vincit quidem, ſi eſt debilis, colligit verò ſi fortis, ipſius perſpirationem prohibens, & effluuium retinens. Porrò coniunctas cum vlcere conuulſiones excipit, quippè quæ frigidæ perfuſione nunquam ſanari poſſunt, ne ſi iuuenis quidẽ eger & calidus natura, & æſtiuum anni tempus, & regio calida ſit, quia frigidum, vt ipſemet ſuprà dixit, vlceribus mordax,

mordax, dolorem inſuppurabilem facit. Iis igitur qui cum vlceribus conuelluntur ob neruoſorum corporũ inflammationem, aduerſiſsima erit frigida, vtpotè quæ neque vlcus mitiget, neque neruoſorum corporum ſoluat inflammationem.

XXII.

Τὸ θερμὸν ἐκπυητικὸν οὐκ ἐπὶ παντὶ ἕλκει, μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην, δέρμα μαλάσσει, ἰσχναίνει, ἀνώδυνον, ῥιγέων, σπασμῶν, τετάνων παρηγορικόν· τὴν δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ καρηβαρίην λύει· πλεῖστον δὲ διαφέρει ὀστέων κατήγμασι, μάλιστα δὲ τοῖσιν ἐψιλωμένοισι· τούτων δὲ μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ ἕλκεα ἔχουσι, καὶ ὁκόσα ὑπὸ ψύξιος θνήσκει ἢ ἑλκοῦται, καὶ ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν, ἕδρῃ, αἰδοίῳ, ὑστέρῃ, κύστει, τούτοισι τὸ θερμὸν φίλιον καὶ κρῖνον· τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον.

Calidum in quo vlcere pus mouet, maximum ſecuritatis præſtat indicium, cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, conuulſiones, tetanos mitigat: capitis grauitatem ſoluit: Oßibus fractis plurimum prodeſt, maximè ſi nudata ſint, multóque magis ſi in capite. His etiam prodeſt quæ moriuntur aut vlcerantur à frigore. Herpetibus denique exedentibus, ſedi, pudendo, vtero, veſicæ, his omnibus calidum amicum & decretorium, frigidum inimicum & interimens.

Quemadmodum frigidum conuulſiones

nes & tetanos ſua natura pariens, aliquã do tamen, licet raró, tetanum ipſum ſanat: ſic & calidum quantum in ſe eſt ad pus mouendum efficax, interdum ſuppurationem prohibet. Siquidem in vlceribus putridis, & omnibus denique quæ fluxione laborant, (rheumatica appellant Græci) tantum abeſt vt pus generet, vt his etiam magnopere incommodet: vt iſta duo conueniant eodem, & quod lædit & quod ad ſuppurationem nõ perducit vlcera: ſicuti contrà quod adiuuat & quod maturat vlcera. Maximũ enim vlceri ad ſecuritatem ſignum eſt tum pus ipſum, tum puris conficiendi vim habens medicamentum. Nihil enim poteſt mali accidere vlceri pus generanti. Siquidem vulnera conuulſionẽ adferãtia ſunt prorſus inſuppurabilia. Similiter etiam vlcera putrida, & quæ corroſas circunſtantes partes habent, & quæ ægrè cicatrice obducũtur, dyſepulota Græcis dicta, inſuppurabilia ſunt omnia. Item ex malignis vlceribus quæ per excellẽtiam quandam propriis nominibus ſunt inſignita, qualia cancroſa, Chironia, Telephia, & phagedænica, id eſt carnẽ depaſcentia, eiuſmodi ſunt omnia etiã anecpyeta, id eſt inſup purabilia. Maximum igitur vlceri ad ſecurit

curitatem ſignū eſt pus. Cuius rei ex calidi vſu coniecturam capere potes. Nam in quibus nō conuenit, ea à calido inſuppurabilia permanere cernes. Deinceps calidi effecta quæ frequēter apparent, enumerat. Etenim cutem induratā emollit, incraſſatam extenuat, eſt anodynum, id eſt lenit dolorem, & cōuulſionis ac tetani paregoricum, nec vt frigidum, dolorem inſuppurabilem facit, quia ſit alienum à noſtra natura, quæ vtique calor eſt natiuus, quem adauget vbi moderatè adhibetur. Calidum itaque externū ea præſtat omnia quæ diximus, nonnulla cōcoquens & in melius alterans, alia verò diſcuſsis ac vacuatis iis quæ dolorem faciunt perſanans: quod ſi perfectè non ſanet, at dolorem certè mitigat. In capitis verò affectibus hæc eadem facit, & appellatas Græcis *καρηβαρίας*, id eſt capitis grauitates ſanat, concoquens ſcilicet ac digerens quæ grauia ſunt & moleſta. Quin etiam oſsium fracturis eſt vtiliſsimum & maximè nudatis, id eſt carne exutis, multóque magis iis quæ accidunt in capite. Nam talibus frigidum infeſtiſsimum, vt potè quod non oſsibus ſolùm, ſed ipſi quoque cerebro ſit inimicum. Eſt etiam partibus nimia perfrigeratione emoriētibus

bus remedio calidum. Pariter quæ refrigeratione exulceratur, vt hyeme calcanei, & digiti, cæteræque partes extremæ ſanantur à calido: Herpetes etiam excedentes, quanuis ab humore billioſo & calido fiant: ſed propter exulcerationem ipſis eſt frigidum contrarium, vt quod vlceribus ſit mordax. Similiter omnibus ſedis affectibus familiare calidum, aduerſiſsimum frigidum, tum quia neruoſa ſedes eſt, (frigidum verò neruis inimicum) tum quòd per communicationem frigiditas ex ſede in ventrem facilè aſcendit: ſimilitérque caliditas. Sic etiam vtero, genitali, & veſicæ calidum amicum & ſalutare: inimicum verò & pernicioſum frigidum. Hæ enim partes neruoſæ ſunt, & ſuperioribus partibus de ſua facilè impertiunt refrigeratione. Quòd autem de omnibus communiter hoc aphoriſmo comprehenſis dixerit, His calidum amicum & ſalutare: frigidum verò inimicum & exitioſum, etiam me tacente eſt manifeſtum.

XXIII.

ΕΝ τουτέοισι ἢ δεῖ τῷ ψυχρῷ χρέεσθαι, ὁκόθεν αἱμοῤῥαγέει ἢ μέλλει, μὴ ἐπ' αὐτὰ, ἀλλὰ περὶ αὐτὰ ὁκόθεν ἐπιῤῥεῖ· καὶ ὁκόσαι φλεγμοναὶ γ ἢ ἐπιφλογίσματα ἐς τὸ ἐρυθρὸν

καὶ ὕφαιμον ῥέποντα νεαρῷ αἵματι, ἐπὶ ταῦτα. ἐπεὶ τάγε παλαιὰ μελαίνει, καὶ ἐρυσιπέλας τὸ μὴ ἑλκούμενον ὠφελεῖ· ἐπεὶ τότε ἑλκούμενον βλάπτει.

Frigido verò in his vtendum vndè fluit aut fluxurus ſanguis eſt, non quidem eòdem loci, ſed ad ea loca vndè influit admoto: & ſi quæ partium inflammationes aut deflagrationes ad rubrum ſanguineúmve colorem tendunt recenti efflореſcente ſanguine, iiſdem ipſis adhibito. Nam inueteratas nigrefacit. Eryſipelas etiam non vlceratum iuuat. ſiquidem exulceratum lædit.

Quæ à frigido cõmoda & incommoda corporibus importantur, hoc aphoriſmo refert. Ad primùm quidem ipſum ad partes ſanguinem fundentes aut fuſuras vtilitatem habere dicit, non ipſis partibus ſanguinem profundentibus, (vlceribus enim frigidum mordax) ſed circunſtantibus eiſque maximè vndè aliquid vlceribus influit admotum. Quinetiam ad omnem inflammationem, & ad ea quæ ἐπιφλογίσματα appellauit, id eſt propter humorum inflammantium calorem velut à flamma toſtas partes & vſtas frigidum prodeſſe tradit. Nam & hæ frigido gaudent. Horum autem omnium colorem ſpectanti ea rubra apparent & florida, recenti ſcilicet nõ vetuſto ſanguine ſuffuſa. Nam

Nam vbi diu detentus in parte inueterauit, floridum illum colorem non habet. Quò fit vt ſi eiuſmodi ſanguini frigidum admoueatur, liuorem ac nigrorem contrahant partes affectæ. Eodem planè modo eryſipelas etiam non vlceratum à frigido iuuatur, ſicuti exulcerato mordax & dolorificum eſſe ſolet. Qua quidẽ ratione nocet, quum dolentes partes in ſe ſemper fluxiones moueant.

XXIIII.

Τὰ ψυχρὰ οἷον χιὼν, κρύσταλλος τῷ στήθει πολέμια, βηχέων κινητικὰ, αἱμοῤῥοϊκὰ, καταῤῥοϊκά.

Frigida veluti nix & glacies pectori inimica, tuſſes mouent, venarum ruptiones & deſtillationes efficiunt.

Hactenus de calida aqua & frigida diſputauit, nunc de niue & glacie diſſerit, ab his tantò maiora inuehi incommoda oſtendens, quantò hæ ſunt aqua frigidiores. Nam omnibus pectoris partibus ſunt inimiciſsimæ, quúmque tuſſes moueant & vaſorum ruptiones faciant, hæmorrhagię ſæpè cauſæ exiſtunt, atque deſtillationibus é capite pectus & pulmonem offendunt. Has enim efficiunt nix & glacies, cæteráque cerebrum refrigerantia.

XXV.

Τὰ δ' ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ, καὶ σπάσματα, τούτων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ῥηΐζει τε καὶ ἰσχναίνει, καὶ ὀδύνην λύει· νάρκη γὰρ μετρίη ὀδύνης λυτική.

Articulorũ tumores & dolores abſque vlcere atque etiam podagricos, & conuulſiones magna ex parte frigida largè effuſa leuat & extenuat, ſoluítque dolorem. Nam modicus torpor doloris ſoluendi vim habet.

Horum quidem quàm plurima frigidam iuuare oſtendit: ſed quænam ea ſint dicere omiſit, quia ex ſuprà dictis non ſit inuenire difficile. Nam inflammationes & epiphlogiſmata, id eſt deflagrationes in rubrum & floridum colorem tendentes recenti ſanguine, ſanari dicit à frigida, vtpotè quæ humorem influentem reprimat, & corpora eatenus vacuet. Quare dolorem etiam in talibus ſoluit, & eius cauſam excindit. Quinetiam partium refrigeratio vehementior moderatum torporem adfert, qui & ipſe dolorem hebeti ſenſu reddito ſoluit.

XXVI.

Ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον.

Aqua

Aqua quæ citò calefit & citò refrigeratur, leuiſſima.

Non eſt dicendum aquam eiuſmodi; pondere eſſe leuiſsimam. Sic enim magnum & difficile nihil doceret, & præterea per quendam circuitum inueniendum foret, quod alioqui erat ab initio inuenire facile. Nã ſi ſtatera & põdere de aquæ leuitate iudicare velit, ad manum eſt rerum ponderãdarũ trutina, ad quam reuocatam aquam expendere & examinare poterit. Verùm in præſentia leuiorem aquã eſſe dixit, quæ ventri & hypochondrio grauis nõ eſt, ſed citò permeat: ſicut contrariam grauem dicimus, quæ nõ citò peruadit. Liquet autem non ſolã hanc eſſe ſalubritatis aquæ probandæ regulam, ſed quum alia bonitatis aquæ ſigna obuia ſint & omnibus nota, hoc verò artis nonnihil habeat, ideò factum eſſe, vt ad id ſcribendum veniret Hipp. Sed quænam alia ſunt? Primùm quidem ſi neque turbida neq; cœnoſa eſt, deinde neq; odore neque guſtatu aliquam alienam præ ſe fert qualitatem: Ad poſtremum ſi quod nunc dixit Hipp. citò refrigeratur & calefit. nam talem facilè alterari eſt manifeſtum. Vt autem cibi virtus eſt & commẽdatio ſi facilè alteretur & immutetur, ita

& aquæ. Siquidem facillimè mutari volumus, quicquid ab inſtrumentis coquinariis probè coqui debeat. Porrò qui ſola bibentium affectione de optima aqua iudicant, ij certiſsimo quidem vtuntur indicio, verùm ſi hoc ſint ſolo contenti, faciunt perperam. Priùs enim de aqua ex dictis ſignis iudicandum eſt quàm ad talem veniatur experientiam.

XXVII.

Ὁκόσοισι δὲ πιεῖν ὀρέξις νύκτωρ, τοῖσι πάνυ διψῶσιν ἢν ἐπικοιμηθῶσιν, ἀγαθόν.

Quibus noctu bibendi eſt auiditas, ijs admodum ſitientibus obdormiſcere, bono eſt.

Dandus ſit potus necne, iis qui noctu magnopere ſitiunt, nō declarauit, ſed ſolùm ſi obdormierint, conferre oſtendit. Coquetur enim & deſcendet per ſomnum ſitis cauſa quęcunque ea ſit tandem. Non tamen illud eſt in obſcuro, valdè ſitiẽtibus potum dandum eſſe, ſiue hauſtu meracioris vini, ſiue potus indigentia ſitis nata ſit. Nam & inopiæ medendum eſſe copia, & ex vino calorem aqua reſtinguendum eſſe, medica ſunt theoremata. Si tamen parum ſitiant, non omninò ipſis præbendus potus eſt, ſed conſiderandum vtrum defectu humidi tale quid patiuntur, an liberaliore vini potione. Nam hi ſi

dorm

dormiuerint vtilitatem ex ſomno capere poſſunt.

XXVIII.

Γυναικείων ἀγωγὸν ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη· πολλαχοῦ δὲ καὶ εἰς ἄλλα χρησίμη ἂν ἦν, εἰ μὴ καρηβαρίας ἐνεποίει.

Suffitus aromatum muliebria educit. Ad alia verò multa vtilis eſſet, niſi capitis ingeneraret grauitatem.

Muliebria appellauit ea ſcilicet quæ mulieribus per vterum menſtruis purgationibus, & à partu vacuantur. Hoc autem loco fit manifeſtum, eas quidem mulieres, quæ propter vteri vel inflammationẽ, vel peruerſionẽ, vel eiuſmodi aliquid malè purgantur, non aliter ſanari poſſe, quàm ea affectione percurata, cuius ſymptoma eſt mẽſiũ ſuppreſsio: eas verò quæ ſine eiuſmodi aliquo affectu parcius purgãtur, iiſipſis quæ nũc ab ipſo docẽtur odorũ ſuffimẽtis curãdas eſſe. In his enim vel ſanguinis craſsitudo, vel vaſorũ ad vterum pertinentiũ obſtructio, vel eorundẽ cõniuentia & occluſio, vel totius ſubſtãtiæ vteri denſatio eorũ retentionis cauſa exiſtit. Quicquid verò horũ in cauſa fuerit, aromatũ ſuffitio affectionẽ curat: quippe quæ ſua vi vaſorũ extrema conniuentia recludere, & humorum craſsitiem ex-

tenuare, & obſtructiones incidendo liberare poſsit. Sæpè verò inquit: ad alia etiã vtilis eſſet, niſi caput feriret, id eſt τὰς καρηβαρίας ingeneraret. Nam continenter per vterum in omnibus frigidis atq; humidis affectibus totum corpus ſuffiri poterat, niſi à ſuffitione cephalalgiã quum aliàs, tum in febribus maximè timeremus. Nã aromata ferè omnia capitis cõmouere dolorẽ tum experientia ipſa oſtẽdit, tum ratio docet. Nam quæ valdè excalfaciunt, ea omnia caput tentant, calore nimirum naturaliter ſurſum tendente. Atqui omnium aromatũ quum abundè calet natura, tum verò maximè Caſsiæ aromaticę, Coſti, Cinamomi, & Amomi.

XXIX.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν, ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν ἧσσον· τὰ δὲ νήπια καὶ πρεσβύτερα εὐλαβεῖσθαι.

Prægnantes purgabis, ſi materia incitet, quadrimeſtres, & vſque ad ſeptimum menſem, ſed has minus. Minore verò aut grandiore fœtu, religioſius cunctantiúsque agendum.

Præſens aphoriſmus etiam anteà ſcriptus eſt, vbi de purgatione habebatur ſermo, ſed nunc quoque inter muliebria mala in quamplurimis exemplaribus habetur: quem nonnulli ne bis ſcriptus inueniatur

niatur indè eximunt. Noua autem explicatione altera non indiget; præter eam quam ſupra ſcripſimus.

XXX.

Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον, εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον.

Mulier in vtero ferens ſecta vena abortit, eóque magis ſi ſit fœtus grandior.

Non modò ſectione venæ, ſed longiore etiam inedia fœtus in vtero necatur alimenti defectu: quod paulò pòſt aliis etiã aphoriſmis oſtenſuri ſumus. Meritò itaque grandior conceptus ſectâ prægnanti vena citius corrumpitur, quia videlicet alimento eget copioſiore.

XXXI.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον.

Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi, pernicioſum.

Meritò ſanè. Siue enim acutus cum febre morbus ſit, neceſſe eſt febrem continuam eſſe: talis enim eſt morbus acutus. vndè geminum impendet fœtui periculum, vnum à febre ipſa eum perimente, alterum quòd ex longo interuallo cibaria dantes, eundem alimenti indigentia & fame enecamus. Quòd ſi vt hunc ſer-

uemus, cibaria benignè & crebrò exhibuerimus, intempeſtiuo cibo aucta febre continua prægnantem tollemus de medio. Siue abſque febre alius quiſpiã morbus acutus fuerit, qualis epilepſia, apoplexia, cõuulſio, tetanus, morbi tùm magnitudini tùm vehementiæ par grauida eſſe nullo modo poterit.

XXXII.

Γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων λύσις γίνεται.

Mulieri ſanguinẽ euomenti, menſtruis erumpentibus ſolutio fit.

Meritò ſanè. fit enim ſanguinis ſurſum ruentis reuulſio ſimul & vacuatio. Quod quàm vtiliter fiat ipſa nos docet experiẽtia, à qua inducti naturam in iis quæ rectè gerit imitabimur, atque mulieres ſic affectas vacuabimus ſecta in poplite aut malleolis vena.

XXXIII.

Γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν.

Mulieri menſtruis præter naturam deficientibus, ſanguis è naribus profluens bono eſt.

Quòd ſanguis is qui mulieribus vnoquoq; menſe probè ac commodè vacuatur, quum propter aliquam affectionem retinetur mulieri moleſtiam & noxã neceſſariò

ceſſariò exhibeat, quódque per alium locum ſi vacuetur, totú corpus ea moleſtia & læſione liberet, omnibus eſt manifeſtum. Quum verò multa ſint loca per quæ vacuari poſsit, aliis quidem omnibus ſua quædam maior minórve adeſt læſio, ſola autem per nares vacuatio eſt abſq; moleſtia, quam vtique nunc laudat Hipp. Nõ tamen ſi qua alia inueniatur vacans moleſtia, propterea aphoriſmus fuerit falſus. Neque enim vbi menſes defecêre ſolam per nares vacuationem bonam eſſe dixit, ſed eam ſimpliciter commendauit, non quòd ea ſola ſit additio. Quòd ſi quiſpiã vacuationem eam quæ per ſedem fit ita affectis mulieribus vtilem eſſe dixerit, id minimè pugnat cum aphoriſmo. Siquidem Hipp. aliquando vno quopiam velut exempli gratia propoſito, de aliis ſimilibus omnibus pronunciare videtur.

XXXIIII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κίνδυνος ἐκτρῶσαι.

Mulieri vterum gerenti ſi aluus multũ fluat, periculum eſt ne abortiat.

Vacuationis ratione nunc quoq; Hippocra. abortionis periculum imminere dicit grauidæ aluo immoderatius fuſa, quemadmodum paulò ſuprà in miſsione

etiam

etiam ſanguinis fieri oſtendebamus.

XXXV.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ἐνοχλουμένῃ ἢ δυστοκούσῃ, πταρμὸς ἐπιγενόμενος, ἀγαθόν.

*Mulieri * hyſtericæ, aut difficulter parienti ſternutamentum ſuperueniens, bonum.*

* *Hyſterica id eſt ſtrangulationibus vteri obnoxia. 6. de locis aff. cap. 5.*

Vnum aphoriſmus nomẽ habet obſcurum, hyſtericum. Nonnulli enim id pro omnibus affectibus vteri (quẽ ὑστέραν appellant Græci) accipiunt: Alij verò pro iis tantùm affectionibus vteri exaudiũt quas ſequitur quæ hyſterica, id eſt ab vtero ſuffocatio vocatur: quanquam reuera ſtrangulatio non eſt, ſed quæ Græcis ἄπνοια, id eſt reſpirationis ablatio dicitur. Alij ſecundas eo nomine intelligunt, ſiquidem has etiam Græci appellant *ὕστερα. Verùm hi apertè errant, longéque opinione falluntur, etſi quàm maximè in eo verũ dicere videantur quòd ſecundæ vtero retentæ ſternutatione deturbantur. nam alius de his Hipp. ſcriptus eſt aphoriſmus. Et ſi appellationem ipſam ſpectes, non idem ſonãt hyſtera & hyſterica, ſed plurimùm inter ſe differunt. Falſum porrò eſt de omnibus vteri affectibus efferri orationẽ. Neque enim exulcerationes vteri, aut inflammationes, aut eryſipelata, aut etiam abſceſſus ſternutatio iuuat. At verò illud

* *ὕστερα vterus: τὰ ὕστερα τὸ χωρίον, ſecundæ.*

eſt

eſt veritati conſentaneum, ab vtero reſpirationis priuationi, id eſt apnoeæ hyſtericæ interueniente ſternutamento, meliuſculè habere mulieres & laboris leuamentum ſentire, non ſolùm quia bonum ſit ſignum ſternutatio ſponte naturæ ita affectis mulieribus ſuperueniens, ſed etiam quia vt cauſa huic affectui remedio exiſtat. Signum itaque bonum eſt, quia indicat languidam anteà & torpentem naturam nunc expergefieri exuſcitariq; & recreari, & propriarum motionum reminiſci: quandoquidem ipſa quędã excrementa reiicit & à ſe depellere conatur. Ita enim ſternutamentum fieri oſtendimus lib. de ſymptomatum cauſis. Cauſa verò boni & commodi exiſtit, quia vehementiore quaſſu & iactatione partim naturam excitet, partim quę corporis partibus tenaciter impacta ſunt excutit. Sic enim ſingultum quoque ſanare ſolet.

XXXVI.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἄχροα δὲ καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ αἰεὶ γινόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει.

Mulieri menſes decolores, nec eodem ſemper modo & tempore prodeuntes, purgationem indicant eſſe neceſſariam.

In multis exemplaribus dictionem ita habere,

habere, reperire licet, Mulieri menſtrua tarda nec bene reſpondentia. Poſſunt itaque menſtrua tarda, id eſt conſuetum ſtatúmque circuitum excedentia & morantia purgatione egere humoris pituitoſi: ob quem etiam malè colorata fiunt, non tamen ſola hac neceſſariò. Nam & extenuante aliquando victu tales affectiones ſæpè curauimus, quo de ſcriptum à nobis habetis librum: vnà autem cum hoc victu coniungi poteſt etiam aromatũ ſuffitus, & ſuppoſititij peſsi eandem cum eo vim habentes, & potiones medicæ quę humorum craſsitiem incidãt & tenuent, qualis eſt diacalaminthes, qua nos peculiariter vti ſolemus, & quæ ſæpè cõmorantes men ſtruas purgationes mouit. Etenim indicatio & ſcopus earum prouocationis eſt, vaſorum ad vterum perueniẽtium ora tum recludere, tum extenuare ſanguinem. Et verò purgatio etiam totius corporis vt dixi, quum craſsi vacuandi ſunt humores, tales affectiones ſanat. Quòd ſi decolôres ſcribatur, multò magis purgatio ita affectas mulieres ſanauerit. Neq; enim propter humorẽ pituitoſum ſolum, ſed etiam propter melãcholicum & bilioſum decolôres fiunt menſes. Quo autem modo dignoſcere oporteat humorem redundantem

tem ipſemet primo de morbis muliebribus docuit:nũc verò ipſum per purgationem vacuandum eſſe tradit. Illud etiam, Nec eodem modo & tempore prodeuntes huic lectioni magis conſonat, vt tota ſit eiuſmodi oratio, Si menſes decolôres fiant, nec ſimiliter prodeant atque anteà manare cõſueuerunt, purgatione mulier indiget. Vſu enim venit cacochymis mulieribus, vt non modò decolôres in ipſis menſes appareãt, ſed etiam ſtatum periodi tempus non ſeruent: humoribus qui quidem craſsiores ſunt & ad fluendum ineptiores, morantibus & tardantibus: qui verò his ſunt contrarij, id eſt humidiores ac tenuiores, conſuetum ſtatúmque terminum anteuertentibus.

XXXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν οἱ μαζοὶ ἐξαίφνης ἰσχνοὶ γένωνται, ἐκτιτρώσκει.

Si mulieri vterum ferenti mammæ ſubitò extenuentur, abortus ſequitur.

Hic etiam aphoriſmus eſt de eorum numero, quos indicare diximus fœtum alimenti penuria laborare. Cõmunes enim quædam venæ ſunt mammis cum vtero: quibus deſtitutis ſanguine mammę emacreſcunt, & alimenti inopia interdum fœtus enecatur, nonnunquam etiam ad exitum

tum incitatur eam ob cauſam, quam ipſe lib. de natura infantis his verbis explicat, Alimentum & augmentum quod à matre deſcendit, non amplius infanti ſufficit, vbi nouem exactis menſibus fœtus grandior factus eſt. Trahit enim quod dulciſsimum eſt in ſanguine ad ſeſe, ſimúlque lactis parte aliqua fruitur. Quæ vbi rariora & pauciora ipſi fuerint, & infans vegetus & robuſtus fuerit, præſenti non contentus alimento calcitrat, & ſe conuolutans crebra manuum pedúmque impulſione diſruptis membranis initium partiônis matri adfert.

XXXVIII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ὁ ἕτερος μαζὸς ἰσχνὸς γένηται δίδυμα ἐχούσῃ, θάτερον ἐκτιτρώσκει· καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄρσεν, ἢν δὲ ὁ ἀριστερὸς, τὸ θῆλυ.

Mulieri geminos ferenti ſi altera mamma extenuetur, alterum abortu edit: Et ſiquidem dextra mamma extenuata eſt, marem: ſi verò ſiniſtra, fœminam abortione excludit.

Quod ſuperiore aphoriſmo de ambabus mammis dicebatur, id nunc de altera pronunciat, atque propter eam cauſam, quam ſuprà retulimus venarum communitatē, fœtus è directo mammæ attenuatæ & imminutæ ſitus aboritur. Quòd autem

teni dum gemelli mas ſcilicet & fœmina vtero geſtantur, ſi dextra mamma emacreſcat, ſolus mas: ſi ſiniſtra, ſola fœmina corrumpatur, ex illa ipſius opinione pendet, qua mares dextra vteri parte, fœminas ſiniſtra potius geſtari putat.

XXXIX.

Ἡν γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε.

Si qua nec prægnans nec puerpera eſt lac habet, ei menſtrua defecerunt.

Et longa eſt opus oratione, & lectorem qui eam ſit aſſecuturus diligenter verſatum eſſe oportet in commentariis quæ de naturalibus facultatibus ſcripſimus. De his tamē in præſentia tantum dicturi ſumus, quod ſumma breuitate repetitū ad præſentis aphoriſmi explicationem ſatis eſſe poſsit. Hoc omniū eſt animantis partium cōmune (quæ quidem vel aliis partibus vtiles humores, vel ad generis propagationem, vel conceptus nutritionem accommodos gignendi vim habeant) vt talis humor ſit alimenti partis ipſum generantis reliquum. Non enim quia partis natura nouerit in quā rem animali vſui ſit futurus eiuſmodi ſuperans humor, ipſius propterea generationem molitur. alioqui tali eſſet intellectu prædita, qualem

in iis arbitramur ineſſe oportere qui ciuitatum tenent gubernacula. Sed eam animantium opifex prouidentiam habet & cogitationem: pars verò ipſa naturalibus, vti demonſtrauimus, regitur & gubernatur viribus, cum aliis quibuſdam, tum alteratrice, qua ſibi aſsimilat alimentum. Quantum itaque aliméti ab ipſa immutati & alterati alédo corpori fuerit perfectè aſsimilatũ, ipſi apponitur parti, eámq; alit: atq; hoc eſt quod ipſe dicebat, Alimẽtum eſt & quod alit, & quod eſt quaſi alimentũ, & quod futurũ eſt. Alimenti verò reſiduum & veluti opimæ quædam reliquiæ, humor quidam eſt naturæ partis ſimilis: qualis in oſsium quidẽ cauernulis & inanitatibus eſt reliquus, in iocinore verò ſanguis. De hoc genere ſpumoſa eſt in pulmonis carne cõtenta humiditas, & in artuum cõmiſſuris viſcidus & glutinoſus humor, in teſtibus & paraſtatis (Sic Græci vocãt vaſa ſemen eiaculátia, quæ ab vtroque teſte reflexa in pudendũ pariter perueniunt) ſperma appellatum, & in lingua cui ſaliuæ nomẽ eſt. In mãmis etiam ſunt glandulæ id quod affluit ſibi aſsimilandi vim ſortitæ: quę quũ exangues ſint & albę familiarẽ & proprium humorẽ talem efficiunt, qualc lac eſt: atq; quanto alimenti

plus

plus affluit, tanto lactis eſt copia maior, quod circiter octauũ & nonum à grauidatione mẽſem vſu venire ſolet: quo tempore communes mammarum & vteri venæ ſanguine turgent, quẽadmodum grauidatorum animalium anatome manifeſtò conſpicitur. Cuiuſmodi res aliquando etiam licet rarò, citra vteri geſtationem accidit, quum propter remoratos menſes venæ ad ſimilẽ peruenerint repletionem: cuius nunc affectionis meminit Hipp.

XI.

Γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται, μανίην σημαίνει.

Quibus in mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat.

Quòd ſanguis in mammas delatus, deindè à glandulis quæ inibi ſunt mutatus fiat lac, ſuperiore diximus aphoriſmo. Nunc verò, ſi in mammas coactus, ibidem immutabilis permaneat, furorem denunciari ait Hippo. Equidem nondum hoc accidere vidi. Quare ſi quando vſu veniat, ex iis fuerit quæ rarò eueniunt. Hippo. verò quaſi id viderit, ſcribit. Quòd ſi verum eſt, talem ipſius cauſam eſſe exiſtimare oportet. Glandularum quum omnium, tum earum maximè quæ ſunt in mammis exanguis natura eſt & proindè

frigida (omne enim exangue frigidum) & propterea etiam ſanguinis eò delati alterationem in frigidius faciunt. Quanto enim hæ glandulæ fiunt iocinoris carne frigiodiores, tanto lac eſt ſanguine frigidius. Si quando igitur mulieri copioſus ſimul & feruidus ſanguis ex toto corpore ſurſum, & præcipuè in caput feratur, ea in furorem agetur, quoniam caput eiuſmodi ſanguis occupat: quæ verò ipſius pars in mammas cogitur, in contrarium fieri ſolitam alterationem nanciſci non poterit vt lac euadat, propter ipſius tum feruorem tum abundantiam.

XLI.

Γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει, ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ μελίκρητον διδόναι πιεῖν. κἢν μὲν στρόφον ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει, ἢν δὲ μὴ, οὐ κύει.

Si ſcire velis an mulier conceperit, dormituræ aquam mulſam potui dato: & ſi ventris tormina patiatur, concepit: ſin minus, non conceperit.

Tormina fiunt tum propter morſum, tum etiam propter ſpiritum flatuoſum qui facilem exitum non habet, cuiuſmodi nunc à flatuoſo ſpiritu torſioné prægnantibus fieri putandum eſt propter inteſtinorum ab vtero coarctationem. Dat autem aquam mulſam mulieri dormituræ,

çrudam ſcilicet, quoniam ea flatulenta ad diiudicationem opus habet: quippe qui & quieſcere & cibariis refertam mulierem eſſe velit. Siquidem vtrunque ad torminum confert generationem.

XLII.

Γυνὴ ἔγκυος, ἢν μὲν ἄῤῥεν κύει, εὔχροος ἐστίν, ἢν δὲ θῆλυ, δύσχροος.

Mulier grauida ſi marem gerit, coloratior eſt, ſi fœminam decolor.

De prægnante marémne an fœminam geſtet, ex coloris bonitate & prauitate diiudicandum eſſe dicit, eiuſdem ſcilicet ad ſeipſam non ad alteram reſpectu habito. Nam quę fœminam vtero gerit, ſeipſa minus probè colorata apparet, quia mare ſit fœmina frigidior. Nec verò talis conceptus fuiſſet niſi & viri ſemen, & mulieris vterus quo concepit tempore fuiſſent frigidiora. Quare quod hoc aphoriſmo dicitur, de numero eſt eorum quæ ſæpius ita fieri ſolent. Fieri ſiquidem poteſt vt tam benè in omnibus ſe gerat mulier poſt grauidationis tempus vt benè colorata euadat. Porrò conſtat alia præterea eſſe maris concepti ſigna, quales ſunt frequentes & validi ipſius motus: quæ tamen ne ipſa quidem ſunt perpetua concepti maſculi indicia. Fit enim interdum,

licet rarò, vt fœmina dum vtero geſtatur, mare ſit robuſtior, ac multas & validas motiones edat, contráque mas ſit fœmina infirmior, & paucioribus & obſcurioribus agitetur motionibus.

XLIII.

HN γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένηται, θανατῶδες.

Si prægnanti fiat in vtero eryſipelas, pernicioſum eſt.

Vtrum in grauidæ mulieris vtero natum eryſipelas ſolũ pernicioſum, an etiam propriè dictam phlegmonem exitioſam eſſe putat? Nam quòd facto in vtero eryſipelate, fœtus neceſſariò pereat, nemini eſt dubium. Siquidem acutæ etiam febres ſine eryſipelate ipſum interimunt. An verò vtero inflammationem patiẽte poſſit aliquando fœtus vitam tolerare, digna quæſtione res eſt.

XLIIII.

OΚόσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἐοῦσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσιν, ἐκτιτρώσκουσι πρὶν ἢ παχυνθῆναι.

Quæ præter naturam tenues vterum gerunt, abortiunt donec habitiores euaſerint.

Huius lib. interpretes trifariam aphoriſmi ſenſum accipiũt. Quidam enim arbitrãtur ipſas omninò abortire: alij verò ſi non

ſi non craſſeſcant, & reficiantur, nec alimēta ſentiant, ſed attenuatæ permaneāt: nonnulli ſi quo refocillantur tēpore cōceperint, tum demùm maximè abortum pati putant, id quod cæteris prius dictis videtur minus eſſe veriſimile. Ita tamen Numeſianus expoſuit, de iis dictū aphoriſmum eſſe affirmans, quæ præter naturam ſunt attenuatæ, quáſque prius refici, deinde grauidari oporteat: ſed quum priuſquam probè ſint refocillatæ concipere occupant, eas ait non poſſe refici, quin ſanguis ad fœtus nutricationem ſuppeditandus, ad grauidæ ipſius nutritionem rapiatur. Quo fiat bona ratione vt fœtus ſufficienti deſtitutus alimento enecetur. Sed & illud, Præter naturam tenues, quidam ſimiliter ac Numeſianus interpretantur, nempe vt prægnantem præter ſuiipſius naturam attenuatam eſſe ſignificet: alij ſupra modum & magnopere ſignificare dicunt, nobis indicare volente Hippoc. non quæ mediocriter attenuatæ ſint, id ex neceſſitate pati, ſed quæ magnopere emaciatæ fuerint. Vtraque autem expoſitio ſua quadā nititur ratione.

XLV.

Ὁκόσαι δὲ μετρίως τὸ σῶμα ἔχουσαι ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα καὶ τρίμηνα ἄτερ προφάσιος

φανερῆς, ταύτῃσιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι· καὶ οὐ δύνανται κρατέειν ὑπὸ τοῦ βάρεος τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ἀπορρήγνυνται.

Quæ verò mediocriter corpulentæ abortum faciunt ſecundo menſe aut tertio ſine occaſione manifeſta, ijs cotyledones lentoris ſunt plenæ, nec præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abruptis decidit.

Sine euidēte cauſa ait, id eſt ſine febre vehemente, vel alui fluxione, vel profluuio ſanguinis, vel eryſipelate orto in vtero, vel grauida ipſa vehementius ſaltante, vel vociferata, vel contriſtata, vel ira exardeſcente, vel timore perculſa, vel victu vſa parciore, vel denique aliud eiuſmodi admittente aut patiente grauidata muliere. veriſimile enim eſt cuiuſdam lentæ & mucoſæ pituitæ plena eſſe ora vaſorum ad vterum peruenientium, ex quibus ſecundæ pendent: quæ ſanè ora cotyledonas appellauit, non vt quorundam eſt ſententia, ipſis adnatas carnes glanduloſas. Nam & ipſemet Hippo. primo de muliebribus malis ait, Si cotyledones pituita refertæ fuerint, pauciora fluunt menſtrua: & Praxagoras de naturalibus primo, cotyledones, inquit, ſunt ora venarum & arteriarum in vterum ferentium.

XLVI

XLVI.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν τῇ γαστρὶ, ταύτῃσι τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ἀποπιέζει, καὶ πρὶν ἢ λεπτυνθῆναι, οὐ κύουσιν.

Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt, iis vteri os ab omento comprimitur. Itaque grauidari donec extenuentur nequeunt.

Illud etiã præter naturam hoc loco bifariam accipiunt: arbitrantibus quibuſdã idem quod præter modũ ſignificare, aliis verò præter ipſius mulieris grauidæ naturam. Sed verior eſt prior acceptio. Nã ab epiploō, id eſt omenti pinguitudine premitur & coarctatur os vteri mulieribus ſupra modum craſsis. Porrò intelligit os vteri interius vbi vterus deſinit & ipſius ceruix incipit, quod propriè os vteri appellatur. Nam alterũ ceruicis extremũ, quod mulieris pudẽdo cõmittitur, nõ vteri, ſed ipſius ceruicis os meritò appellaueris.

XLVII.

Ἢν ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γίνεσθαι.

Si qua parte vterus coxæ adiacet ſuppurauerit, emmotis medicamentis curetur neceſſe eſt.

In coxam vteri partem inclinatã, quia per cõcerpta & medicamentis cõuenien-

tibus oblita linaméta curationem requirit, eam ob id ἔμμοτον appellauit, quaſi dicas concerptis linteolis curandam. Nam quòd vterus ſi ſuppurauerit, (ſuppuratiōne præſertim extrorſum vergēte, id quod nunc indicare videtur) tali neceſſariò curatione egeat, nemini eſt in obſcuro.

XLVIII.

Ἔμβρυα, τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

Mares dextra vteri parte, fœminæ ſiniſtra magis geſtantur.

Quòd propter temperamétum ſtatim ab initio calidius maſculus fœtus generetur, demonſtrauimus in commentariis de ſemine. Sæpè etiam propter locum, id eſt partem vteri dextram (hæc autem protinus ob hepatis viciniam calidior exiſtit) conciliatur fœtui temperatio calidior. Ad eiuſdem caliditatem confert aliquid muliebre quoque ſemen ex propriis teſticulis per vtraque cornua profuſum partim in dextrūm vteri ſinum, partim in ſiniſtrum, cuius ſeminis ſiniſtri diſſimilem eſſe conditionē nos quoque demonſtrauimus. Siquidem tum ſeroſius tum frigidius exiſtit ſemen ſiniſtro teſticulo contentum. Quo bona ratione fit vt partus læua vteri parte collocatus ab initio ſtatim

tim frigidior euadat. Porrò de his omnibus abundè diximus quinto Anatomicorum Hippocra. libro.

XLIX.

Ἐς ὑστέρων ἐκπτώσιας πταρμικὸν ἐπιτιθεὶς ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα.

Ad ſecundas deturbandas ſternutatorio immiſſo nares & os manu obtura.

Non circunflexa vltima ſyllaba ὑστερῶν legendum, ita enim vterus ſignificaretur, ſed grauata ὑστέρων. Neq; enim αὐτὰς τὰς ὑστέρας, id eſt, vterum ipſum, ſed τὰ καλούμενα χωρίατε καὶ ὕστερα, id eſt ſecundas deturbari vult per ſternutatoria medicamēta contentione, adhibita.

L.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν, σικύην ὡς μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλλε.

Mulieri ſi placet menſtrua ſiſtere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.

Quemadmodum mēſium parcius, aut omninò non fluentium curationē ſuprà docuit, ita nunc quoque ipſorum præter modum prodeuntium ſiſtendi rationem tradit: amplam iubens cucurbitulam mā-mis eſſe admouendam. Verùm melius fuerit non in ipſis mammis, ſed infra ipſas firmare cucurbitulam qua maximè

parte

parte venæ ex partibus inferioribus ad ipſas pertinent. Qua ratione moti nonnulli ſic legunt, Cucurbitulam grandem ſub mammis defige. Porrò quàm maximam vult eſſe cucurbitam, vt fortius ab vtero ſurſum reuellat, per communes id machinatus venas.

L I.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, τουτέων τὸ στόμα τῶν ὑστερέων συμμέμυκεν.

Quæ ventrem ferunt, iis vteri os conniuet.

Maximum prægnantis mulieris hoc eſt indicium, ſi digito immiſſo obſtetrix os vteri potuit attingere. Nam vbi primum vterus intra ſe ſemen concepit, vniuerſam capacitatem ſuam contrahit, & os claudit. Videtur tamen propter inflammationem etiam & ſcirrhum arctari os vteri. id verò ipſius duritie diſtingues.

L I I.

Ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει. ἢν δὲ στερεοὶ οἱ μαζοὶ ἔωσιν, ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει.

Mulieri partum gerenti ſi lac è mammis copioſè fluat, fœtum imbecillum ſignificat. Si verò firmæ ſolidæq; mammæ fuerint, valentiorem conceptum indicant.

Eo demùm tempore lac è mammis manat (quibus certè quidem fluere apparet) quo tempore naturaliter prægnantibus generatur. Neque enim protinus primis menſibus generatur. Quòd autem fluat omninò, nec intra mammas retineatur, in cauſa eſt eius copia cumulatior. id verò fit oppletis nimium venis iis mammarum quæ habent cum vtero communitatem. Sed multo magis replentur, quum fœtus pauxillum ſanguinis conſumit: quod ipſum propter eius imbecillitatem accidere putandum. Quæ quum ita ſint, conſtat mammas neq; tam macillentas flaccidáſque quàm quum non erat prægnans mulier, apparere oportere (hoc enim ſignum penuriam ſanguinis indicat, proptereáque fœtum fame contabeſcere) neque adeo plenas turgidáſque, vt lac effluat, ſed in tantum attolli debere, vt firmæ ſolidæque tangentibus appareant. Media enim hæc eſt inter duras appreſſóque digito reſiſtentes propter nimiam repletionem, & molles, fluidas, laxáſque ob ſanguinis inopiam conſtitutio. Meritò itaque Hippocra. ſignum hoc celebrat, vtpotè quod neque fœtum imbecillum eſſe, neque alimentum ipſi deficere indicet.

LIIII

L I I I.

Ὀκόσαι διαφθείρειν μέλλουσι τὰ ἔμβρυα, ταύτῃσιν οἱ τιτθοὶ ἰσχνοὶ γίνονται· ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γίνωνται, ὀδύνη ἔσται ἢ ἐν τοῖσι τιτθοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσιν ἰσχίοισιν, ἢ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσι γούνασι, καὶ οὐ διαφθείρουσιν.

Quæ fœtum ſunt perdituræ, ijs mammæ extenuantur: Contrà verò duræ ſi fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua fatigabit, nec abortiunt.

Dixerat ſuprà, Mulieri vterum gerenti ſi mammæ repentè extenuentur, abortit. Dixerat item, Mulieri geminos ferenti ſi altera extenuetur mamma, alterius abortus ſequitur. Nunc verò conſecutionis mutato ordine non à ſignis, ſed à mulieribus ipſis fœtum corrupturis incœpit, mammarum extenuationem in ipſis præcedere affirmans. Neque enim idem eſt omninò, quum ad mammarum extenuationem fœtus conſequi corruptionẽ dicitur, & quum ſi futura eſt fœtus pernicies, mammarum prægredi attenuationem pronũtiatur. Nam qui ad mammarum gracilitatem dicit fœtus conſequi corruptionem, id ſolùm pronuntiat futuræ corruptionis ſignum eſſe: qui verò iis quæ partum ſunt eliſuræ mammas dicit

graciloſcere, non ſolùm hoc corruptionẽ fœtus præcedere, ſed etiam aliter conceptum non perimi indicare videtur. Itaq; eius rei veritas diligenter inueſtiganda eſt & perſcrutanda, obſeruandúmque in iis quæ prægnationis tempote apparent in mulieribus, an nunquàm aliter quàm cum mammarum extenuatione præcedẽte ſint fœtum corrupturæ: exempli gratia an ſaltantibus ipſis, aut multùm vociferatis, aut ira exardẽſcentibus, aut repentino aliquo timore perculſis mammarum aliquando non præcedẽte extenuatione fœtum interimi accidat. An etiam propter febris magnitudinem, aut eryſipelas in vtero ortum, aut cotyledonibus lentoris refertis, aut ob eiuſmodi aliud fœtus ſequatur internecio abſque mammarum extenuatione. Hippocra. certè hanc ſemper præcedere exiſtimare videtur: & mihi obſeruanti, ſæpè in ſupradictis internecionis fœtus cauſis, mammarum viſa eſt præcedere extenuatio. An non igitur quandò citra aliquam eiuſmodi cauſam mammarum fit extenuatio, ſanguinis in venis vteri mammarúmque cõmunibus penuriam in cauſa eſſe dicendum? propterea enim atrophia, id eſt alimenti defectu enecari fœtum dicebat. In aliis verò

cauſis

cauſis, ob quas vel aliquid paſſus conceptus moritur, vel abrumpitur ab vtero, quum membranæ ipſum obuolentes & retinentes perfringuntur & diuelluntur, natura ſcilicet vaſorum in vterũ deſinentium oſcula & vincula quibus cum ſecundis cohærent diſſoluente, & dolores excitante, an non inquã ſanguinis propterea ad partes genitales motum fieri putandum eſt? Nam hæc communis quædam ratio eſt, vt vbi natura aliquid violenter excernit, eò ſanguinis & ſpiritus motus fiat: quibus veluti inſtrumentis quibuſdã vſa per vim propellit ea, quæ moleſtiam exhibent. Hac ſiquidem ratione & dolentibus partibus ſuperueniunt inflammationes, doloris cauſam excernere & propulſare enitente: & properante natura, quæ vt id præſtet, ſanguine ac ſpiritu dolentem locum replet. Atque hæc mihi in priorem aphoriſmi partem ſint dicta. Altera verò pars quæ ſequitur, & in qua mammarum contrariæ affectionis meminit, hæc eſt, Contrà verò, ait, mammæ ſi duræ fiant. Quum verò duo in eiuſmodi locutionibus ſignificet particula contrà, vnum quo antedictę coniungitur affectioni, alterũ quod alia dictione econtrario ſolent efferre, verius mihi & Hipp.

ſenten

ſententiæ congruentius ſecundum ſignificatum eſſe videtur: vt quod toto dicitur aphoriſmo ſit eiuſmodi, Extenuatæ mammæ fœtuum omninò præcedunt corruptionem, nec niſi prius extenuatis mammis, hi corrumpi poſſunt: duræ verò mãmæ corruptionem quidem non portendunt, ſed partium enumeratarum dolor aliquis duritiem earum conſequitur: vt quemadmodum mammæ graciliores ſanguinis indicant penuriam, ita duræ demonſtrent copiam, ab illis nimirum differentes quas paulò antè firmas ſolidáſque appellauit: à quibus rurſum mammis duris quum id quod redundat natura deponat in partes alias, hæ quidem dolore crucientur, fœtus verò noxæ & iniuriæ expers permanet. Porrò hoc loco oritur quæſtio, quam ob cauſam in corpus vteri redundantem materiam nunquàm natura reiicit, & inflammationem committit: quod ſi fiat, cur inflammato vtero partus non corrumpetur? an diuerſum eſt quod ab Hippo. dicitur? Neq; enim vt ad mammarum tenuitatem ſemper, ſic & ad earundem duritiem nunquam fœtuum corruptionem conſequi putandum eſt ab Hippocra. fuiſſe dictum, ſed non ſemper. Nam ſi quod redundat in alium

locum quàm vterum propellat natura (quod doloris ſenſu cognoſcemus) fœtus non erit corruptio. Rurſúmque ſi ita accipiamus, tota eiuſmodi erit oratio, Grauidis fœtum corrupturis ſemper mammarum præcedit extenuatio, durities verò ac plenitudo non ſemper. In his enim id quod redundat in aliam ferè quãdam partem natura protrudit. Quod ſi in vterum illam redundantiam propulerit, etiã tùm graciles omninò mãmæ fient. Nam ſecundum Hippocratis, vt apparet ſententiam, etiamſi alia quauis occaſione & nõ propter alimenti egeſtatem fiat abortus, mammarum omninò prægreſſura eſt gracilitas ob explicatã à nobis cauſam. Quare ſi vel propter cotyledonum humiditatem conceptus prolabatur, etiam tùm ipſum natura ad exitum contrudente & propellente motus fiet ſanguinis ad vterum, & eo modo graciliores quàm erant anteà mammæ euadent.

LIIII.

Ὁκόσῃσι τὸ στόμα τῶν ὑστερέων σκληρόν ἐστι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ξυμμύειν.

Quibus os vteri durum eſt, ijs arctetur neceſſe eſt.

Etiam ſuprà diximus præcluſionẽ oris

vteri

vteri commune ſignum eſſe & tumoris cuiuſdam in ipſo præter naturam conſiſtentis, & prægnationis in muliere, idque diſtinguendum eſſe eius mollitie & duritie. Grauidis enim molliculum eſt & ſecundum naturam: iis verò quibus vteri tumor præter naturã ſiue cum inflammatione ſiue cum ſcirrho adeſt, durum. Melius itaque hic aphoriſmus ſtatim poſt eũ ſcriberetur, in quo dicebatur, Quæ vterum gerunt, iis vteri os conniuet. aphor. 51. hui[us]

L V.

Ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσαι ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνονται, καὶ ἰσχυρῶς ἰσχναίνονται ἄνευ προφάσιος φανερῆς, τίκτουσι χαλεπῶς καὶ ἐπικινδύνως, ἢ ἐκτιτρώσκουσαι κινδυνεύουσιν.

Quæ geſtantes vterum febribus corripiuntur, aut vehementer ſine euidente cauſa extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.

Grauidis quibuſdam mulieribus in quibus priuſquàm conciperent, vitioſi humores fuerunt aceruati, vſu venit, vt febribus aliquãdo tam vehementibus corripiantur, vt omninò abortiant: nonnunquàm verò moderatioribus detineantur, ſed quum exactè perpurgatæ non ſint, aliquid cacochymiæ in corpore relictum eſt, vnde febres redaccenſæ exarſerunt.

Neq; enim medici propterea quòd prægnans eſſet mulier, potens aliquod remedium adhibere, neque exquiſitam victus rationem imperare ipſis ſuſtinuerunt. Quæ cauſa eſt vt & febris ſubindè reuertatur, & temporis magnam partem affli-ctet grauiter. Quo fit meritò, vt aliàs fœtus reſiſtere nequeat, ſed propter febres & humorum vitium elidatur: aliàs perferat quidem vſque ad partus tempus, ſed quum & ipſe infirmus & morboſus exiſtat, nimirum qui longo tempore miſerè afflictus vexatúſque ſit, & matrem imbecillam habeat, non ſine periculo paritur. Siquidem ad eutociam, id eſt partus facilitatem duorum corporum & grauidæ ipſius & infantuli robore eſt opus.

L V I.

Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν.

Si muliebri profluuio conuulſio aut animi defectus ſuperueniat, malo eſt.

Nõ ſtatim vt talis eluuies promanare cœpit, iſthæc accidere putandum eſt, vt nec aliud quicquam eorum quæ ſequenti oratione quibuſdam aliis interuenire dicentur, ſed quum vel vehementia fuerint, vel diu durauerint. Itaque lipothymia cuiuſuis immodicæ vacuationis eſt

ſympt

ſymptoma:conuulſio verò etſi communis nón ſit omnium vacuationum, plurimas tamen ſequitur. multóque magis ſi affecta pars eſt neruoſa.

LVII.

Καταμηνίων γινομένων πλειόνων, νοῦσοι ξυμβαίνουσι, καὶ μὴ γινομένων ἀπὸ τῆς ὑστέρης ξυμβαίνουσι νοῦσοι.

Menſtruis abundantibus morbi eueniunt, & ſubſidentibus accidunt ab vtero morbi.

Multos exceſſu & abundantia morbos fieri, defectu & paucitate nullũ nonnullis medicorum viſum eſt. Verùm Hippocrates non mulieres ſolùm propter defectum etiam, ſed viros quoque ægrotare interdum arbitratur: ſiquidem defectum modò ſiccitas ſequitur, modò frigiditas, modò vtraque. Eas autem intemperies quæ tam magnæ ſunt & inſignes, vt actionem lædant, de morborum eſſe genere demonſtrauimus. Verùm hactenus neque falſum neque obſcurum eſt Hippoc. dictum. Quod autem menſtruis pluribus ſimpliciter morbos fieri dixit, neque addidit ab vtero: ſuppreſsis verò aut paucioribus iſtud adiecit quærere non fuerit indignum, vtrum ad vtraque ſupradicta communiter retulerit, an deficientium menſtruorum ſit proprium.

Hoc autem niſi cauſas omnes quibus vel plura quàm par eſt, vel pauciora fluunt menſtrua tenuerimus, certò perueſtigare non poſſumus. Poteſt itaque & vaſorum ad vterum pertinentium oſculis nimium patentibus, & tenuiore aut calidiore ſanguine, & toto corpore propter aliquam cachexiam, id eſt prauam habitudinem ſanguine grauato (etſi nondum is conuenientem naturæ ſymmetriam ſuperet) atque propterea ipſum in vteri venas protrudente, (vt rheumaticis affectibus aliàs in aliam aliámque partem ſolet mittere,) poteſt inquam immodica fieri menſium vacuatio. Eadem rurſum menſtrua pauciora fiunt, vel propter venarum in vterum menſtruam purgationem deferentium conniuentiam contractionémque oſculorum, vel earum obſtructionem, vel ſanguinis craſsitiem & frigiditatem vel ipſorum vteri vaſorum robur affluentem ſanguinem nō admittentium. Quicquid autem horum fuerit, temporis ſpatio vterum ipſum eiuſmodi aliquo affectu laborare, qui vel ad phlegmonem vel eryſipelas, vel ſcirrhum, vel cancrum referatur, tandémque per cōſenſum corpus totum affici eſt neceſſe. Immodicis verò mē ſium vacuationibus nullus talis vtero cō-

ciliatur

ciliatur affectus, quo ſympathiæ ratione, id eſt per conſenſum vnà quoq; totú corpus ægrotet. Quare veriſimilius fit de ſola menſtruorum retentione Hippocraté illud extuliſſe, ab vtero morbos accidere.

LVIII.

Ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι καὶ ἐπὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ στραγγουρίη ἐπιγίνεται, καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπύοισι στραγγουρίη ἐπιγίνεται. ἐπὶ δὲ ἥπατι φλεγμαίνοντι λὺγξ ἐπιγίνεται.

Ad recti inteſtini & vteri inflammationẽ, purulentóſque renes accedit ſtranguria: iecore verò inflãmatione laborante interuenit ſingultus.

Vide aph: 18. lib. 6. et 47. lib. 7.

Vbi quis vrinæ parum continẽter reddit, is affectus Græcis ſtranguria dicitur, id eſt guttatim profuſa vrina: quod accidit quandoque ob virtutis retentricis veſicæ imbecillitatem, interdum verò propter ipſius vrinæ acrimoniam. Atque imbecillitas quidem fit tum intemperie, tum tumore aliquo præter naturam: acrimonia verò accidit vel propter renum affectionem & vitium: vel quia tale prolectatur in ipſos ex venis percolatum ſeroſum excrementum. Bona itaque ratione Hipp. ſtranguriam ait recto inteſtino & vtero inflammatione affectis, & purulentis renibus accidere: in recto quidem inteſtino & vtero per conſenſum patien-

te veſica, in renibus autem purulentis per veſicam pure ſe expurgãte. Hoc enim ſua acrimonia mordẽs veſicã ſtimulat ad excretionem. Porrò in vteri & recti inteſtini inflammatione viciniæ ratione veſicã affici eſt neceſſe, vt potè quæ & intemperantiæ & inflammationis ſit particeps, affligatúrque præterea & prematur à tumoribus præter naturam partes eas occupantibus. Iam verò ſuprà diximus nõ ſimpliciter affectionem alteram alteri ſuperuenire ſolere, ſed vbi iuſtam primigenia acquiſiuerit magnitudinẽ. Sic itaq; & iocinore inflammationem patiente ſingultus accidit propter neruorum communitatem, non quidem ſemper, ſed vbi in maximam iecur peruenerit inflammationẽ.

L I X.

Γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ. βούλῃ δὲ εἰδέναι εἰ λήψεται, περικαλύψας ἱματίοισι θυμία κάτω· κἢν μὲν πορεύεσθαί σοι δοκέῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τοῦ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας καὶ ἐς τὸ στόμα, γίνωσκε ὅτι αὐτὴ οὐ δι᾽ ἑωυτὴν ἄγονός ἐστιν.

Si mulier non concipit, & ſcire placet an ſit conceptura, veſte præligatam & vndique obuolutam ſubter ſuffito: ac ſi odor corpus peruadere videatur ad nares & os vſque, non ſua culpa ſterilem eſſe ſcito.

Verbum

Verbum ſuffire materiã quę ſuapte natura ſuffiri poteſt indicat, vt thus, myrrham, ſtyracem cæteráque temperamento calida & valdè odorata. Vult enim in totum corpus ipſorum vim ſuſtolli, vt quum ad os & nares peruenerit, à muliere manifeſtò ſentiatur. In iis itaque ſolis mulieribus totum corpus non permeabit incenſi odoris qualitas, quibus durum denſúmque adeſt vteri corpus. tale verò ad conceptionem ineptum eſt, vt paulò pòſt dicturus eſt, Quæ frigidos & denſos locos habent, non concipiunt. Porrò id quod in fine aphoriſmi ſcribitur, non ſua culpa ſterilem eſſe ſcito, aphoriſmi vſum demonſtrat. Sæpè enim vt ſacerdotalis aut regalis propagatio quædam & ſoboles ſuperſit, ſtudiosè faciunt ciuitates vt ab iis ſeu viris ſeu mulieribus ſuſceptos liberos habeãt, ad quos ſolos eius progeniei ſpes eſt redacta: deinde vbi mulieres non concipiunt, vtrius cauſa id accidat quæritur, vt facto diuortio ex aliis ſuſcipiantur liberi. Atque hanc Plato in Theæteto doctarum pronubarum artem eſſe innuere videtur. Tota autem eà de re diſputatio abſoluetur non ita multò poſt, vbi omnes ad id attinentes aphoriſmos explicabimus.

L X.

HN γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύωνται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν.

Si prægnanti purgationes menſtruæ curſum ſuum teneant, benè valere fœtum eſt impoſsibile.

Et purgationis nomẽ multitudinis numero elatum, & quod ſequitur verbum πορεύεσθαι, id eſt curſum tenere, non paucum indicant ſanguinem eſſe qui excernitur, neque ſemel erumpere, ſed & ſæpè & multum. Nam paucus ſanguis ſemel atque iterum prægnantibus excerni ſæpenumero conſpicitur ſine vlla omninò fœtus læſione: quũ verò nihil à iuſta mẽſura purgationis menſtruæ differt, deincépſque ſeruat legitimum circuitionis menſtruæ terminum, tum vt fœtus validus ſit & robuſtus fieri non poteſt. Siquidem fortis & robuſtus fœtus eo ſanguine ad ſui alimentum abutitur, qui ex toto corpore deriuatur ad vterum. Porrò excretio quæ grauidis accidit, ex iis venis quæ vtrinque in vteri ceruicem inſeruntur fieri videtur. Nã ab internis in ipſam capacitatem fundúmque vteri pertinentibus ſecũdæ dependent. Quare nihil per eas in muliebrem ſinum excerni poteſt.

L X I.

HN γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, μήτε

μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγινομένου, ἄσαι δὲ αὐτῇ προσπίπτωσιν, λογίζου ταύτην ἐν γαστρὶ ἔχειν.

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore neque febre ſuperueniente, cibíque faſtidium accidat, prægnantem eſſe putato.

De iis quibus anteà legitimè purgatis, derepentè poſteà retenta ſunt menſtrua ſine cauſa manifeſta, ſcriptus eſt Hippocrati aphoriſmus: in quo ea nos docet quæ ipſa experientia quàm plurimæ norunt mulieres. Nam ſi retentis menſibus languentes ipſæ cibi faſtidio laborent, tum ſe concepiſſe arbitrantur. Accidit autem cibi faſtidium eadē qua pica ratione, malè ſcilicet ore ventriculi grauidis mulieribus affecto. Poteſt etiam propter totius corporis cacochymiam & humorum vitium eiuſmodi aliquid mulieribus accidere: verùm id cum horrore & febre quadam patiuntur, atque eatenus diſtinguntur à prægnantibus.

L X I I.

Ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσι, οὐ κυΐσκουσι· καὶ ὁκόσαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας, οὐ κυΐσκουσιν. ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος· καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ περικαέας. ἐνδείῃ γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα· ὁκόσαι ἢ δὲ ἀμφοτέρων

τέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι σύμμετρον, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίνονται.

Quæ frigidos & denſos locos habent, vtero nō concipiunt. Et quæ prælumidos habent, grauidari nequeunt: extinguitur enim in ipſis genitura. Et quæ ſicciores & æſtuoſos: nam alimenti defectu ſemen corrumpitur. Quæ verò ex vtraque oppoſitione moderatam nactæ ſunt locorum temperationem, eæ fœcunditate valent.

Si in ſuum quemque aphoriſmum & debitum ordinem redigere mihi liceat, paulò ſuprà explicatum aphoriſmum huc transferre non dubitem in huius locum: vt abſoluta de mulierum purgationibus diſputatione, de ipſis deinceps locis muliebribus inſtituatur oratio, quę quot modis ſteriles euadant mulieres doceat. Primus itaque inter eos ordine fuerit aphoriſmus ille vbi dicebat, Si mulier non concipit, ſcire autem velis an ſit conceptura, veſtimentis vndique obuolutam ſubter ſuffire oportet. Secundus autem nunc propoſitus, cuius ſumma eſt, Probè quidem temperatos muliebres locos ad conceptionem aptos accommodatóſque eſſe: Intemperatos autem, ſi quidem mediocriter id patiantur, ægrè ac difficultér concipere: ſi verò ſine modo, ſteriles mulierẹs efficere. Quibus verbis virorum

rorum quoque vnà venit infœcunditatis cauſa intelligẽda, verùm in multos latet. Sed qui diligenter dictis Hip. aduerterit animum, is primùm quidem quam ob cauſam ex viris etiam nonnulli ſint prorſus infœcundi intelliget, deinde temperatos quidem tam viros quàm mulieres ſemper gignere, etiamſi cum intemperatis coeant: Intemperatos verò, cum iis ſolis qui contrario ſunt temperamento copulatos generare diſcet. Prius tamen de mulierum ſterilitate dicendum, quarum vteri ſtatim ab initio intemperata eſt cõſtitutio, vna quapiam ex primis qualitatibus exuperãte, vel duabus: quemadmodum in commentariis de temperamentis explicauimus, vbi intemperantias omnes octo numero eſſe demonſtrauimus, ſimplices quidem quatuor, quarum nũc meminit Hippo. totidem verò compoſitas alias ſimplicibus hiſce inuicem implicatis, Quum itaq; frigiditas immoderata tantum præpollet, vt denſior vterus euadat, tum & anguſta admodum ſtrictáq; ſunt vaſorum ad ipſum peruenientium ora, & ſteriles mulieres reddũtur, vt pote neque ſecundis cohærere & agglutinari ad vaſorum ora potentibus, neque ſi id quandoque fiat, probè vnquàm cõceptu nutrito.

Vel

Vel enim nullo prorſus modo talibus mulieribus fluunt purgationes, vel admodum exiguæ & hæ ipſæ vitioſæ, ſolo tenuiore & aquoſiore ſanguine per arcta vaſorum oſcula elabente. quæ & ipſa facilè obſtruũtur tum ob natiuam anguſtiam; tum quia magna ex parte tali natura præditæ humorem cumulant pituitoſum. Ferè ſiquidem eſt totum corpus vtero ſimile. Quinetiam maris quoque ſemen talibus locellis exceptum refrigerari accidit, niſi ſit natura calidius. Primùm igitur frigidæ vteri tẽperationis meminit his verbis, Quæ frigidos & denſos locos habẽt: non mehercule in ipſis volens implicare cum frigiditate denſitatem, non ſecus atque ſi ſiccitatem, aut humiditatem addiſſet. Neutra enim harum perpetuò comitatur frigiditatem, atq; propterea ipſi modò vna, modò altera miſcetur: Denſitas verò muliebribus locis valdè frigidis adeſt neceſſariò, ob quam neque concipere poſſunt propter explicatam à nobis cauſam. Quo fit vt totam aphoriſmi ſententiam ita accipiendam putemus, Quæ frigidos locos habent, grauidæ fieri non poſſunt ob ſubſtantiæ ipſorum denſitatem. Quamobrem verò denſitas conceptioni aduerſetur, dicere neglexit, tanquàm

quàm eius rei eſſemus cauſam facilè intel lecturi. Et quæ immodicè ait, humidos locos habent, prægnantes non fiunt. Extinguitur enim in ipſis genitura, nõ ſecus atque in paluſtri ſolo cerealia ſemina. Et quæcunque ſiccos & æſtuoſos ardentésq; vteros habent, alimenti inopia non concipiunt. Nam ſiccis locellis eiuſmodi aliquid accidere ſolet, quale quũ arenæ, aut argilloſæ & petroſæ humo ſemina mandantur: calidis verò immoderatè & ardẽtibus ſimiliter euenit, atque ſi validè calẽti terræ (qualis per caniculæ ardores eſſe ſolet) ſemina committerentur. Atque hactenus quatuor qualitatum Hippocrates meminit, cuiuſque ſeorſim vi expoſita, vt ſi quando inter ſe miſceantur, earum ſit permiſtio manifeſta. Deinceps, inquit, Quæ verò ex ambabus moderatã nactæ ſunt locorum temperationem, eæ fœcundæ exiſtũt. Sed quibus ambabus? nõ profectò qualitatibus (ſunt enim quatuor) ſed ipſarum oppoſitionibus. Vt enim nobis demonſtratũ eſt in libris de temperamentis, vna quidẽ eſt eucraſia, id eſt proba temperatio ex moderata calidi & frigidi miſtura: altera verò humido & ſicco moderatè inter ſe miſtis. Atque vterus ali quis vna quidẽ oppoſitione temperatus,

altera

altera verò intemperatus eſſe poteſt: ſed ne concipiatur poteſt etiam altera intemperies efficere: vt verò fœcũdetur mulier, vtraque opus eſt proba qualitatum temperatione. Quemadmodum itaque Hipp. tota fuit de muliebribus affectibus ſuperior diſputatio, ſic etiam præſens de vteri temperationibus habetur oratio: nihil tamen quicquam ipſi de viris additum eſt, vel quia promptum faciléque eſſet ex iis quæ dixit, eaſdem ad ſemen intemperantias transferre, vel quum in poſterum ſermonem diſtuliſſet, poſtea eſt dicere oblitus. Quidam tamẽ ſequentem pro maribus aphoriſmũ aſcripſerũt, cuius initium eſt, Similiter etiam in maribus: quem vtique probatiſsimi quique aphoriſmorum interpretes ab Hippocratis & ſententia & elocutionis ratione affirmant abeſſe longiſsimè. Et verò iuxta analogiam & proportionem eorũ quæ ſcripſit de mulieribus, licet nobis ad viros tranſeuntibus dicere vel propter temperamenti frigiditatem non exactè ipſis ſemen concoqui: atque propterea, ſi quidem mediocris ipſi intemperies adeſt, vterum calidiorem poſtulare, ſi verò immoderata ſit, infœcundum planè reddi: vel rurſum propter humiditatem non percoqui: atque etiã pro-

pterea

pterea ſi moderata adeſt intemperies, calidiore id & ſicciore vtero indigete, ſi verò immodica, fœcundũ minimè exiſtere. Eodem quoque modo excedente etiã calore ſemen veluti torreri exuccúmq; reddi: præ ſiccitate verò, ſimulatque exciderit extendi non poſſe: qua maximè re ad mulieris grauidationẽ eſt opus. Siquidem lib. de ſemine oſtendimus niſi per plurimam fundi vteri partẽ ſemen extẽdatur, non concipere mulierem. His nobis veluti elementis cõparatis, deinceps dicamus id quod paulò ſuprà in hũc dicendi locũ diſtulimus in Theæteto à Platone propoſitum. Inquit enim hoc præcipuũ eſſe munus obſtetricum, apta ad liberorum procreationem corpora conciliare inter ſe & copulare (quæ res nũc hoc aphoriſmo eſt tradita) ſimúlque poſſe internoſcere qui ſint infœcundi viri, & quæ mulieres ſteriles. Nã immodicæ dyſcraſię, id eſt intemperantiæ horum ſunt cauſa, modicæ verò ſi ſint, & contrariis iungantur, tũc grauidæ fient mulieres, ſi verò cum ſimilibus copulentur, non concipient. Neque enim fieri poteſt vt ſemen frigidius in frigidiore vtero fęcũdetur, neq; ſiccius in ſicciore; & de aliis qualitatibus vtrobique ſimiliter: ſed frigidius quidem ſemen tanto

calidiore vtero indiget, quãto ipſum longius abeſt ab optima temperatione: humidius verò ſicciore, ſicque de aliis eodem modo. Quacunque autem immodica intemperie vterus laboret, certa ſterilitatis cognoſcendę ratio eſt aromatum ſuffitio, quam paulò ſuprà expoſuit. Nam frigiditas propter vteri denſitatem ad os & nares ſurſum aromatũ vaporationem efferri non ſinit. Eodẽ modo nec ſiccitas. Humiditas verò ſicuti Hipp. dicta eſt extinguere genituram, ita aromatum quoque qualitatem obtundet. Reliqua eſt vehemens caliditas, quæ ſi odorũ vim alterabit & corrumpet, atque propterea ipſam ſeruata ſynceritate nõ permittet ſubuehi ad os & nares, ſatis tum in his etiam calidioribus naturis eſſe poterit ad ſterilitatis cognitionem aromatum ſuffitio: Si verò hæc præſtare nequeat, ex aliis tunc nobis indiciis erit eiuſmodi ſpectanda natura, hoc ipſum imprimis tenentibus, rarum admodum in mulieribus talem temperationem eſſe, ſiquidem natura eſt fœmina mare frigidior. Quare vel ob id in mulieribus ſterilitatis ex aromatũ ſuffitu probãdæ ratio erit multò vtiliſsima, quia vel omnis immodica intemperies ipſi ſubiiciatur, vel rariſsimè ipſam vnica effugiat,

in iis ſcilicet mulieribus quæ tenues, nigræ, & hirtę apparent, vt ex his ſignis immodica ipſarũ intemperies percipi queat ſine aromatum ſuffitu.

LXIII.

ΠΑραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀῤῥένων· ἢ γὰρ διὰ ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται, πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα, ἢ διὰ τὴν πυκνότητα τὸ ὑγρὸν οὐ διαχωρεῖ ἔξω, ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐκπυριᾶται, ὥστε ἀθροίζεσθαι πρὸς τὸν τόπον τοῦτον, ἢ διὰ τὴν θερμασίην τὸ αὐτὸ τοῦτο γίνεται.

Par eſt de maribus ratio. Aut enim propter corporis raritatem ſpiritus foras diſsipatur, ita vt geniturã eiaculari nequeat: aut propter denſitatem humor foras non proſilit: aut propter frigiditatem non incenditur, vt eò loci coaceruari poſſit: aut propter caliditatem hoc idem ipſum vſu venit.

Qui hunc addidit aphoriſmum, ne ſuã quidem ipſius orationem intelligit. Nam eundem ſibi de viris ſermonem, quem de mulieribus Hippocrates habuit fore pollicitus, hoc non præſtitit. Quum enim ille de quatuor intemperiebus fecerit mentionem, hunc quoque quatuor in maribus, vt nos ſuperiore aphoriſmo fecimus, intemperies proſequi oportuit. Verùm non ſic fecit, ſed imprimis corporis ſtatim

incuſauit raritatem, quæ in mulieribus eſt prætermiſſa: Deinde ne oratio quidem ipſa per ſe diligenter examinata, vera cõperitur. Raro ſiquidẽ & laxo corpore viri complures reperiũtur, qui ſemen emittant fœcundiſsimum: neque id mirum videri debet. Nam corporis raritas calidiores & humidiores temperationes comitatur, quæ vtique plurimo ſemine & fœcũdiſsimo abundant omniũ maximè. Nam & materiam vnde ſemen generatur, & vim à qua coquitur habẽt copioſam. Porrò autem ſpermaticorum vaſorum contentione expreſſam genituram, non ſpiritus violentia protruſam foras eiaculamur. Spiritalis enim ſubſtãtia cum ſeminis humiditate permiſcetur, quæ & ipſa vt erumpat vaſis exprimentibus indiget ſimiliter atq; ſpermatica humiditas, quæ tanto exhuberat ſiccitatem, quanto celerius emicat & diutius & longius fertur. Iſta ignorabat is qui aphoriſmum aſcripſit: & præterea quum humorem propter denſitatẽ negat foras peruadere, ſiquidẽ diuerſum à ſemine humorem dicit, leuis & nugatoria eſt eius oratio: ſi verò propter corporis totius ſpiſsitudinem ſemen dicit foras non prodire, quæ ſit inſtrumẽtorum ſeminalium conformatio prorſus

ignorare

ignorare videtur. Præſtitiſſe enim ipſorum anguſtiam cauſari. Quinetiam id quod deinceps dicitur quadamtenus verum exiſtens, ſequentem habet clauſulam ab omni ſenſu abhorrentem. Nam quòd propter temperaměti frigiditatem ſemen non incendatur, ac propterea infœcundum exiſtat, veritati eſt conſentaneum: quòd autē eo loci colligi nequeat, ex abundanti additum eſt, cum eo quòd neque loci cuiuſquam ipſi ſuprà facta eſt mentio, ſed nobis intelligendum reliquit: tametſi vox demonſtratiua eò, ad aliquid, quod ſuprà dictum eſſe oportuit, habet relationem. Sed hæc quidem parua ſunt: quod verò ad finem aphoriſmi dicitur errorem habet maximum, quum propter caliditatem idem euenire dicit. Manifeſtò enim ea oratio ad ſuperius dictum eſt referenda: dictum verò ſuprà fuit ob frigiditatem ſemen non inflammari, vt eò loci coaceruetur. Quibus verbis fit, vt propter calorem etiam non incendi ſemen, neque in vaſa cogi ſeminalia intelligere debeamus, quæ res euidenter eſt abſurda. Nam torreri, aut aſſari, aut eiuſmodi aliquid affirmare pati ſemen à calore habet rationem, at non incaleſcere abſurdum eſt omninò.

LXIIII.

Γάλα διδόναι κεφαλαλγέουσι, κακόν· κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζοντα, καὶ τοῖσι διψώδεσι· κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ διαχωρήσιες καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι, καὶ οἷσιν αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. Ἁρμόζει δὲ τοῖσι φθινώδεσι μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα, καὶ ἐν πυρετοῖσι μακροῖσι, καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρεόντος, παρὰ λόγον δὲ ἐκτετηκόσι.

Lac præbere capite dolentibus, febriculoſis, & quibus hypochondria elata aut murmurantia, & ſiticuloſis, malum: Malum item quibus bilioſæ deiectiones, febres acutæ, & copioſa ſanguinis vacuatio facta eſt. Conuenit verò tabidis non admodum valde febricitantibus, & febribus longis & languidis dum nullum ex ſuprà dictis ſignis adſit, & præter rationem extenuatis.

Quòd lac citò alteretur, & bifariam ſubeat mutationem, multo adhibitum calori protinus in nidorem abiens, pauco ſtatim aceſcens, tibi ſcire licet, ſi partim vt emulctum eſt ſupra ignem decoxeris, partim verò ſeorſum per ſe repoſueris. Nam decocto fit in nidorem deprauatio, repoſito acor omninò vel citius vel tardius contrahitur. Similiter in

in hominibus benè valentibus niſi probè coquatur, quibuſdam aceſcit, aliis aduritur & nidorem contrahit. Nam ventriculo frigidiore omninò aceſcit tartius citiúſve, calidiore nidorulentum euadit. Lac tamen ſi bene concoquatur alit multum, ſuccúmque corpori præbet laudabilem. Cæterùm inter coquendum ſanis etiam hypochondria attollit, & caput ferit. Hæc igitur lactis effecta & mala in ſanis etiam ſpectare licet. Verùm ea Hippocr. quæ ægrotis hauſto lacte accidunt recenſet, quotidiano vtentium vſu & experiētia omnibus manifeſta: & alioqui poſſunt ante experientiam cognoſci. Vbi enim iis qui integra valetudine fruuntur, lac capitis mouere dolorem, & hypochondria inflare videmus, quibus profectò iam dolitat caput, aut ſublata ſunt hypochondria aduerſiſsimum eſſe cogitatione colligere facilè poſſumus. Porrò rectè elata dixit hypochondria, quanquā poterat inflata & flatuoſa dicere. Neque enim ſola lac hypochondria lædere ſolet, ſed & alia omnia viſcera quoquo modo propter eiuſmodi aliquam affectionem cuiuſmodi eſt inflammatio, vel eryſipelas, vel ſcirrhus vel œdema in tumorem ſublata: multóq; magis ſi abſceſſus ſit in hy-

pochondrio nondum ruptus. Atque hæc omnia Hippocr. vno verbo oſtendit, dum inquit hypochondria elata. Nocuum etiã lac eſſe dicit murmurantibus hypochondriis quæ ab inflatis & diſtentis ſunt diuerſa, flatuoſa tamen ipſa exiſtunt & ventoſa. Maior itaque læſio hypochondriis contentis, minor murmurantibus accidit à lactis eſu; veruntamen ne his quidem lac vtile. Aceſcit enim in ipſis. Lactis tamen ſerum ſale & melle cõditum multis, quibus hypochondria murmurarent quũ exhibuiſſemus profuit citata ipſis aluo. Pariter ſiticuloſis malum lac eſſe dicit. In nidorem enim ipſis conuertitur & aduritur, ſiue ipſi natura ſitiãt, ſiue per aliquod tempus euaſerint ſiticuloſi. Et quibus deiiciuntur aut vomuntur bilioſa, nidorulẽtum fieri lac dixerim. Siquidem ab omnibus cauſis calidis lac in nidorem celerrimè verti omninò iam didicimus. Meritò igitur iis quoque qui acutè febricitant, lac noxium. Atque mihi quidem rectius ita habere dictio videtur, Malum etiam lac quibus bilioſæ deiectiones, & quibus febres ſunt acutæ. Neque enim vtriſque ſimul iunctis ſolùm, ſed ſeorſim etiam lac incommodat. His igitur affectibus lac eſt nocentiſsimum: iis verò qui deinceps ita

ab

ab Hippo. enumerantur vtile, Conuenit verò tabidis nõ admodum valdè febricitantibus. Nam primùm facit tabidorum mentionem. Sic enim Hippocratem eos appellare accipere debemus, qui phthoë laborant, id eſt nata in pulmone vomica contabeſcunt. Nam de cæteris extenuatis & exhauſtis deinceps dicet in ea dictione, cuius initium eſt, Et febribus languidis. Porrò omnibus communiter qui lactè egent, boni ſucci cibus, quem euchymum Græci appellant, & qui citò diſtribuatur eſt neceſſarius. Neque tibi mirum videri debet, ſi lac ventoſum aliquid habens euchymum eſſe & bonum ſuccum præſtare dicamus. Nam in vniuerſum euchyma ea eſſe dicimus, quæ poſt coctionem in bonum mutantur ſuccum, videlicet ſanguinem. Hic enim familiaris nobis & amicabilis ſuccus eſt. Quamobrem verò quum dixiſſet, Conuenit autem tabidis, adiecit non admodum valde febricitantibus, dignum mihi videtur conſyderatione nõ parua. Nam ſufficiebat ſine valde dixiſſe non admodum. Vtrum ſolis valdè febrientibus lac non exhibet, ſolis iis qui non admodum valdè febricitant potui dans? an potius ab aliquo falsò interpoſita eſt & aſcriptitia particula valde,

vt & alia pleraque? Per otium ergo iſta exquirere poteris, à nobis verò hoc in præſentia habeto, lac valdè febricitãtibus dandum non eſſe. Porrò minor quî in iis quibus lac dari vult, illud aſcripſit, dum nullum ex ſupradictis ſignis adſit. id enim à doctrinæ aphoriſticæ brachylogia alienum eſt. Siquidem ex iis quæ prius dixerat intelligebatur, etiam ſi dictum non fuiſſet, dandum ſcilicet tabidis, & præter rationem extenuatis lac eſſe niſi caput doleat, aut hypochondrium tumeat, aut biliosa deiiciantur, aut cæterorum denique aliud eiuſmodi ipſis adſit. An non ſimpliciter, nec ſemper ſeruare breuitatem Hippocra. videtur, ſed vbi magnum aliquid docet, à quo ſi negligentius audiatur, periculum impendeat, tum bis térve eadem repetere non grauatur?

LXV.

Ὁκόσοισιν οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσι φαίνεται, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται· τούτων δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μὲν ὄπισθεν σπασμοὶ, τέτανοι, τοῖσι δὲ ἔμπροσθεν μανίαι, ὀδύναι πλευροῦ, ὀξεῖαι, ἢ ἐμπύησις, ἢ δυσεντερίη ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα.

Quibus ſunt cum vlceribus tumores conſpicui, hi non admodũ conuellũtur, nec inſaniunt: Quibus verò repentè euanuerint, ſi quidem poſtica parte

factum

factum ſit, conuulſiones & tetani accidunt: ſi verò à fronte, inſania, lateris dolor acutus, empyema & dyſenteria ſi rubicundi fuerint tumores.

Tumores omnes pręter naturam œdemata Hippo. appellat, phlegmonis etiam eo nomine comprehenſis: quanquam hoc ipſum phlegmones nomen apud veteres omnes de phlogoſi potius, id eſt inflammatione dicebatur, etiam ſi ſine tumore conſiſteret. Eſt igitur quod nunc dicitur, tale, In quibus tumores ſuperueniunt vlceribus, ij non admodum conuelluntur aut inſaniunt. Porrò hæc eadem indicat oratio nonnullos etiam propter tumores vulneribus accidentes conuelli & furere, ſed id rarò accidere: tum ſcilicet vbi in parte neruoſa inſignem magnitudinem, aut aliquam malignitatem acquiſiuerũt. Contrà verò ſi tumores derepentè obliteſcant, conuulſiones & tetanos ſequi affirmat duntaxat ſi in partibus poſterioribus, hoc eſt in dorſo fuerint vlcera: Si verò partibus anterioribus cõſtiterint, tum alia quæ deinceps enumerat conſequi dicit. Poſteriores nãq; partes neruoſæ ſunt, anteriores venoſæ & arterioſæ. Quũ itaq; ab vlceratis partibus humor qui tumorẽ faciebat, in partem aliquam principem remeauerit, in poſterioribus quidem parti-

bus

bus vtpote neruoſis conuulſiones fient & tetani. (nam hi ſunt neruorum affectus) In partibus verò anterioribus mania, ſiquidem in caput humor feratur: lateris dolor, ſi in thoracem vertatur: hinc verò ſæpè purulenti euadunt ibi collecto humore minimè diſcuſſo aut digeſto. Dyſenteriam autem fore inquit, ſi rubẽtibus tumoribus materiæ repentè fiat in ventrem tranſlatio. Cæterùm dyſenteriã eiuſmodi cruentã appellare ſolemus, quæ vtiq; definitur, ſanguinis per inteſtina citra exhulcerationem vacuatio. Quòd itaque, ſi vel in dorſo, vel partibus anterioribus ipſi ex aduerſo ſitis, tumores aliquando contingat derepentè euaneſcere, ægri in tales incidant affectus eſt manifeſtum: non tamen nobis Hip. ipſe declarauit de hiſne partibus loquatur ſolis, an de omnibus ſimpliciter agat, ita vt artus quoq; ipſi hac oratione cõprehendantur. In tibiis certè non ſunt parte anteriore muſculi, qui in tendones validos & latos deſinãt: in femore verò parte genu anteriore maximũ videmus tendonẽ: quo affecto conuulſionẽ per conſenſum ſecutũ iri eſt probabilius, quàm aliquo ex muſculis parte femoris poſteriore poſitis. Sunt enim omnes carnoſi. Itaq; nõ videretur verũ id quod vni-

uerſaliter pronũciatur, nẽpe partibus tantum poſterioribus accidere conuulſiones. Et quidẽ perſæpè id nõ in cruribus ſolis, ſed etiã manibus accidere videtur, fortaſſe quia hæ partes omnes directò reſpondent dorſali medullæ, ab eáq; tum artuũ, tum dorſaliũ muſculorũ nerui oriuntur.

LXVI.

HN τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν οἰδήματα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν.

Si magnis vulneribus & prauis tumor non appareat, ingens malum.

Poteſt & cũ vltima aphoriſmi dictione adiectiuũ ingens coniungi, poteſt & cum priore parte aphoriſmi, hũc in modũ habente oratione, Si vulneribus prauis exiſtentibus tumor nõ appareat, eſt ingẽs malũ: vel ſic, Vulneribus malis exiſtentibus ſi tumor magnus nõ appareat, malũ. Poteſt etiã de vtraque cõmmuniter ſimul dici, ac ſi ita dixiſſet, Si prauis vulneribus exiſtentibus tumor ingens nõ appareat, malũ eſt ingẽs. Sed quæ ex tribus meo quidẽ iudicio præferri debeat lectio, habet hunc in modũ, Si vulneribus prauis exiſtentibus, tumor nõ appareat, malũ eſt magnũ. Porrò monui ſuprà œdematis nomen generaliter Hipp. de omnibus dici tumoribus præter naturã. Praua autẽ vulnera dici pu-

tandum

tandum eſt, quæ in capite aut fine muſculorum quũ omniũ, tum maximè neruoſorum ſunt accepta. Nã principio & origine muſculorũ nerui inſerũtur in ipſos, ex fine verò tendones enaſcuntur. Quẽadmodũ igitur paulò antè omnes derepẽtè euanẽſcẽtes tumores dãnabat, ita nunc ſi malis vulneribus nullo modo ſuperueniant tumores, nõ probat. Nã ſuſpicio eſt in ipſis humores vulneribus affluẽtes ad partes principes eſſe trãſlatos. Atq; hoc maximè in iis vulneribus fieri videtur, quibus dolor adeſt, propter quẽ aliquid omninò influit in partẽ, cæterũ ab imperitis medicis reprimitur & inhibetur medicamẽtis valdè refrigerãtibus, aut aſtringẽtibus. Nam quæ dolore vacãt, neq; fluxionem concitant. Maximè verò omniũ partes neruoſæ vulneratæ dolent, quæ calfacientibus & ſiccantibus medicamentis curari volunt.

LXVII.

TÀ χαῦνα χρηστὰ, τὰ ἔνωμα, κακά.

Incõtenta bona, cõtenta verò & cruda mala.

Hæc oratio appendix eſt præcedentis. Docet autem Hip. œdemata quę ſunt incontenta bona eſſe & laudabilia omnia, contraria verò, mala. Propriè autẽ incontento & cedenti opponitur durũ, reſiſtẽs, & refractarium. hoc verò Hippo. crudum

appel

appellauit. Neq; enim vnquam renitens & durus tumor fieri poteſt, partis natura probè affluentes humores coquente.

LXVIII.

TÀ ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνωμένῳ, ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα, ὠφελέει.

E parte capitis poſteriore laboranti, rectà in frontem excurrens vena inciſa prodeſt.

Non vacuare ſolùm Hip. quum vſus poſtulat, ſed etiã cum reuulſione vacuationem inſtituit. Fit porrò reuulſio in contrarium: ac ſecũdum longitudinẽ quidem ſurſum ac deorſum, ſecundũ latitudinem verò dextrorſum & ſiniſtrorſum, & ſecundum profunditatem antè & ponè. Nunc itaq; parte capitis poſteriore dolẽte cum reuulſione vacuatio fiet ex fronte: ſicuti & quum anterior pars laborat, ex occipite. Ita enim ſæpè diuturnæ oculorum fluxiones ſanatæ ſunt, ex partibus occipitis miſſo ſanguine, & admotis cucurbitulis.

LXIX.

PΊγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον, καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλήν· ἀτὰρ ἀνδράσι δὲ μᾶλλον ὄπισθεν ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος, οἷον ἀπό τε πηχέων καὶ μηρῶν. ἔτι δὲ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν· δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θρίξ.

Rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis & per dorſum perueniunt in caput: Sed & viris

parte

incuſauit raritatem, quæ in mulieribus eſt prætermiſſa: Deinde ne oratio quidem ipſa per ſe diligenter examinata, vera cõperitur. Raro ſiquidẽ & laxo corpore viri complures reperiũtur, qui ſemen emittant fœcũdiſsimum: neque id mirum videri debet. Nam corporis raritas calidiores & humidiores temperationes comitãtur, quæ vtique plurimo ſemine & fœcũdiſsimo abundant omniũ maximè. Nam & materiam vnde ſemen generatur, & vim à qua coquitur habẽt copioſam. Porrò autem ſpermaticorum vaſorum contentione expreſſam genituram, non ſpiritus violentia protruſam foras eiaculamur. Spiritalis enim ſubſtãtia cum ſeminis humiditate permiſcetur, quæ & ipſa vt erumpat vaſis exprimentibus indiget ſimiliter atq; ſpermatica humiditas, quæ tanto exhuberat ſiccitatem, quanto celerius emicat & diutius & longius fertur. Iſta ignorabat is qui aphoriſmum aſcripſit: & præterea quum humorem propter denſitaté negat foras peruadere, ſiquidẽ diuerſum à ſemine humorem dicit, leuis & nugatoria eſt eius oratio: ſi verò propter corporis totius ſpiſsitudinem ſemen dicit foras non prodire, quæ ſit inſtrumẽtorum ſeminalium conformatio prorſus

ignorare

ignorare videtur. Præſtitiſſe enim ipſorum anguſtiam cauſari. Quinetiam id quod deinceps dicitur quadamtenus verum exiſtens, ſequentem habet clauſulam ab omni ſenſu abhorrentem. Nam quòd propter temperaméti frigiditatem ſemen non incendatur, ac propterea infœcundum exiſtat, veritati eſt conſentaneum: quòd autẽ eo loci colligi nequeat, ex abundanti additum eſt, cum eo quòd neque loci cuiuſquam ipſi ſuprà facta eſt mentio, ſed nobis intelligendum reliquit: tametſi vox demonſtratiua eò, ad aliquid, quod ſuprà dictum eſſe oportuit, habet relationem. Sed hæc quidem parua ſunt: quod verò ad finem aphoriſmi dicitur errorem habet maximum, quum propter caliditatem idem euenire dicit. Manifeſtò enim ea oratio ad ſuperius dictum eſt referenda: dictum verò ſuprà fuit ob frigiditatem ſemen non inflammari, vt eò loci coaceruetur. Quibus verbis fit, vt propter calorem etiam non incendi ſemen, neque in vaſa cogi ſeminalia intelligere debeamus, quæ res euidenter eſt abſurda. Nam torreri, aut aſſari, aut eiuſmodi aliquid affirmare pati ſemen à calore habet rationem, at non incaleſcere abſurdum eſt omninò.

LXIIII.

Γάλα διδόναι κεφαλαλγέουσι, κακόν· κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, καὶ τοῖσι διψώδεσι· κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ διαχωρήσιες καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι, καὶ οἷσιν αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. Ἁρμόζει δὲ τοῖσι φθινώδεσι μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα, καὶ ἐν πυρετοῖσι μακροῖσι, καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρεόντος, παρὰ λόγον δὲ ἐκτετηκόσι.

Lac præbere capite dolentibus, febriculoſis, & quibus hypochondria elata aut murmurantia, & ſiticuloſis, malum: Malum item quibus biliosæ deiectiones, febres acutæ, & copioſa ſanguinis vacuatio facta eſt. Conuenit verò tabidis non admodum valde febricitantibus, & febribus longis & languidis dum nullum ex ſuprà dictis ſignis adſit, & præter rationem extenuatis.

Quòd lac citò alteretur, & bifariam ſubeat mutationem, multo adhibitum calori protinus in nidorem abiens, pauco ſtatim aceſcens, tibi ſcire licet, ſi partim vt emulctum eſt ſupra ignem decoxeris, partim verò ſeorſum per ſe repoſueris. Nam decocto fit in nidorem deprauatio, repoſito acor omninò vel citius vel tardius contrahitur. Similiter in

in hominibus benè valentibus niſi probè coquatur, quibuſdam aceſcit, aliis aduritur & nidorem contrahit. Nam ventriculo frigidiore omninò aceſcit tartius citiúſve, calidiore nidorulentum euadit. Lac tamen ſi bene concoquatur alit multum, ſuccúmque corpori præbet laudabilem. Cæterùm inter coquendum ſanis etiam hypochondria attollit, & caput ferit. Hæc igitur lactis effecta & mala in ſanis etiam ſpectare licet. Verùm ea Hippocr. quæ ægrotis hauſto lacte accidunt recenſet, quotidiano vtentium vſu & experiētia omnibus manifeſta: & alioqui poſſunt ante experientiam cognoſci. Vbi enim iis qui integra valetudine fruuntur, lac capitis mouere dolorem, & hypochondria inflare videmus, quibus profectò iam dolitat caput, aut ſublata ſunt hypochondria aduerſiſsimum eſſe cogitatione colligere facilè poſſumus. Porrò rectè elata dixit hypochondria, quanquā poterat inflata & flatuoſa dicere. Neque enim ſola lac hypochondria lædere ſolet, ſed & alia omnia viſcera quoquo modo propter eiuſmodi aliquam affectionem cuiuſmodi eſt inflammatio, vel eryſipelas, vel ſcirrhus vel œdema in tumorem ſublata: multóq; magis ſi abſceſſus ſit in hy-

ab Hippo. enumerantur vtile, Conuenit verò tabidis nō admodum valdè febricitantibus. Nam primùm facit tabidorum mentionem. Sic enim Hippocratem eos appellare accipere debemus, qui phthoë laborant, id eſt nata in pulmone vomica contabeſcunt. Nam de cæteris extenuatis & exhauſtis deinceps dicet in ea dictione, cuius initium eſt, Et febribus languidis. Porrò omnibus communiter qui lactè egent, boni ſucci cibus, quem euchymum Græci appellant, & qui citò diſtribuatur eſt neceſſarius. Neque tibi mirum videri debet, ſi lac ventoſum aliquid habens euchymum eſſe & bonum ſuccum præſtare dicamus. Nam in vniuerſum euchyma ea eſſe dicimus, quæ poſt coctionem in bonum mutantur ſuccum, videlicet ſanguinem. Hic enim familiaris nobis & amicabilis ſuccus eſt. Quamobrem verò quum dixiſſet, Conuenit autem tabidis, adiecit non admodum valde febricitantibus, dignum mihi videtur conſyderatione nō parua. Nam ſufficiebat ſine valde dixiſſe non admodum. Vtrum ſolis valdè febrientibus lac non exhibet, ſolis iis qui non admodum valdè febricitant potui dans? an potius ab aliquo falsò interpoſita eſt & aſcriptitia particula valde,

vt & alia pleraque? Per otium ergo iſta exquirere poteris, à nobis verò hoc in præſentia habeto, lac valdè febricitātibus dandum non eſſe. Porrò minor quî in iis quibus lac dari vult, illud aſcripſit, dum nullum ex ſupradictis ſignis adſit. id enim à doctrinæ aphoriſticæ brachylogia alienum eſt. Siquidem ex iis quæ prius dixerat intelligebatur, etiam ſi dictum non fuiſſet, dandum ſcilicet tabidis, & præter rationem extenuatis lac eſſe niſi caput doleat, aut hypochondrium tumeat, aut bilioſa deiiciantur, aut cæterorum denique aliud eiuſmodi ipſis adſit. An non ſimpliciter, nec ſemper ſeruare breuitatem Hippocra. videtur, ſed vbi magnum aliquid docet, à quo ſi negligentius audiatur, periculum impendeat, tum bis térve eadem repetere non grauatur?

L X V.

Ὁκόσοισιν οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσι φαίνεται, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται· τουτέων δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μὲν ὄπισθεν σπασμοὶ, τέτανοι, τοῖσι δὲ ἔμπροσθεν μανίαι, ὀδύναι πλευροῦ, ὀξεῖαι, ἢ ἐμπύησις, ἢ δυσεντερίη ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα.

Quibus ſunt cum vlceribus tumores conſpicui, ij non admodū conuellūtur, nec inſaniunt: Quibus verò repentè euanuerint, ſi quidem poſtica parte

factum

ſactam ſit, conuulſiones & tetani accidunt: ſi verò à fronte, inſania, lateris dolor acutus, empyema & dyſenteria ſi rubicundi fuerint tumores.

Tumores omnes prǣter naturam œdemata Hippo. appellat, phlegmonis etiam eo nomine comprehenſis: quanquam hoc ipſum phlegmones nomen apud veteres omnes de phlogoſi potius, id eſt inflammatione dicebatur, etiam ſi ſine tumore conſiſteret. Eſt igitur quod nunc dicitur, tale, In quibus tumores ſuperueniunt vlceribus, ij non admodum conuelluntur aut inſaniunt. Porrò hæc eadem indicat oratio nonnullos etiam propter tumores vulneribus accidentes conuelli & furere, ſed id rarò accidere: tum ſcilicet vbi in parte neruoſa inſignem magnitudinem, aut aliquam malignitatem acquiſiuerũt. Contrà verò ſi tumores derepentè oblitescant, conuulſiones & tetanos ſequi affirmat duntaxat ſi in partibus poſterioribus, hoc eſt in dorſo fuerint vlcera: Si verò partibus anterioribus cõſtiterint, tum alia quæ deinceps enumerat conſequi dicit. Poſteriores nãq; partes neruoſæ ſunt, anteriores venoſæ & arterioſæ. Quũ itaq; ab vlceratis partibus humor qui tumorẽ faciebat, in partem aliquam principem remeauerit, in poſterioribus quidem parti-

bus

bus vtpote neruoſis conuulſiones fient & tetani. (nam hi ſunt neruorum affectus) In partibus verò anterioribus mania, ſiquidem in caput humor feratur: lateris dolor, ſi in thoracem vertatur: hinc verò ſæpè purulenti euadunt ibi collecto humore minimè diſcuſſo aut digeſto. Dyſenteriam autem fore inquit, ſi rubétibus tumoribus materiæ repentè fiat in ventrem tranſlatio. Cæterùm dyſenteriã eiuſmodi cruentã appellare ſolemus, quæ vtiq; definitur, ſanguinis per inteſtina citra exhulcerationem vacuatio. Quòd itaque, ſi vel in dorſo, vel partibus anterioribus ipſi ex aduerſo ſitis, tumores aliquando contingat derepentè euaneſcere, ægri in tales incidant affectus eſt manifeſtum: non tamen nobis Hip. ipſe declarauit de híſne partibus loquatur ſolis, an de omnibus ſimpliciter agat, ita vt artus quoq; ipſi hac oratione cõprehendantur. In tibiis certè non ſunt parte anteriore muſculi, qui in tendones validos & latos deſinãt: in femore verò parte genu anteriore maximũ videmus tendonẽ: quo affecto conuulſionẽ per conſenſum ſecutũ iri eſt probabilius, quàm aliquo ex muſculis parte femoris poſteriore poſitis. Sunt enim omnes carnoſi. Itaq; nõ videretur verũ id quod vni-

uerſaliter

uerſaliter pronũciatur, nẽpe partibus tantum poſterioribus accidere conuulſiones. Et quidẽ perſæpè id nõ in cruribus ſolis, ſed etiã manibus accidere videtur, fortaſſe quia hæ partes omnes directò reſpondent dorſali medullæ, ab eáq; tum artuũ, tum dorſaliũ muſculorũ nerui oriuntur.

LXVI.

Ἢν τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν οἰδήματα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν.

Si magnis vulneribus & prauis tumor non appareat, ingens malum.

Poteſt & cũ vltima aphoriſmi dictione adiectiuũ ingens coniungi, poteſt & cum priore parte aphoriſmi, hũc in modũ habente oratione, Si vulneribus prauis exiſtentibus tumor nõ appareat, eſt ingẽs malũ: vel ſic, Vulneribus malis exiſtentibus ſi tumor magnus nõ appareat, malũ. Poteſt etiã de vtraque cõmmuniter ſimul dici, ac ſi ita dixiſſet, Si prauis vulneribus exiſtentibus tumor ingens nõ appareat, malũ eſt ingẽs. Sed quæ ex tribus meo quidẽ iudicio præferri debeat lectio, habet hunc in modũ, Si vulneribus prauis exiſtentibus, tumor nõ appareat, malũ eſt magnũ. Porrò monui ſuprà œdematis nomen generaliter Hipp. de omnibus dici tumoribus præter naturã. Praua autẽ vulnera dici putandum

tandum eſt, quæ in capite aut fine muſculorum quũ omniũ, tum maximè neruoſorum ſunt accepta. Nã principio & origine muſculorũ nerui inſerũtur in ipſos, ex fine verò tendones enaſcuntur. Quẽadmodũ igitur paulò antè omnes derepẽtè euaneſcẽtes tumores dãnabat, ita nunc ſi malis vulneribus nullo modo ſuperueniant tumores, nõ probat. Nã ſuſpicio eſt in ipſis humores vulneribus affluẽtes ad partes principes eſſe trãſlatos. Atq; hoc maximè in iis vulneribus fieri videtur, quibus dolor adeſt, propter quẽ aliquid omninò influit in partẽ, cæterũ ab imperitis medicis reprimitur & inhibetur medicamẽtis valdè refrigerãtibus, aut aſtringẽtibus. Nam quæ dolore vacãt, neq; fluxionem concitant. Maximè verò omniũ partes neruoſæ vulneratæ dolent, quæ calfacientibus & ſiccantibus medicamentis curari volunt.

LXVII.

ΤᾺ χαῦνα χρηστὰ, τὰ ἔνωμα, κακά.

Incõtenta bona, cõtenta verò & cruda mala.

Hæc oratio appendix eſt præcedentis. Docet autem Hip. œdemata quę ſunt incontenta bona eſſe & laudabilia omnia, contraria verò, mala. Propriè autẽ incontento & cedenti opponitur durũ, reſiſtẽs, & refractarium. hoc verò Hippo. crudum appel

appellauit. Neq; enim vnquam renitens & durus tumor fieri poteſt, partis natura probè affluentes humores coquente.

LXVIII.

Τὰ ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνωμένῳ, ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα, ὠφελέει.

E parte capitis poſteriore laboranti, rectà in frontem excurrens vena inciſa prodeſt.

Non vacuare ſolùm Hip. quum vſus poſtulat, ſed etiã cum reuulſione vacuationem inſtituit. Fit porrò reuulſio in contrarium: ac ſecũdum longitudinẽ quidem ſurſum ac deorſum, ſecũdũ latitudinem verò dextrorſum & ſiniſtrorſum, & ſecundum profunditatem antè & ponè. Nunc itaq; parte capitis poſteriore dolẽte cum reuulſione vacuatio fiet ex fronte: ſicuti & quum anterior pars laborat, ex occipite. Ita enim ſæpè diuturnæ oculorum fluxiones ſanatæ ſunt, ex partibus occipitis miſſo ſanguine, & admotis cucurbitulis.

LXIX.

Ῥίγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον, καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλήν· ἀνδράσι δὲ μᾶλλον ὄπισθεν ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος, οἷον ἀπό τε πήχεων καὶ μηρῶν. ἔτι καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν· δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θρίξ.

Rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis & per dorſum perueniunt in caput: Sed & viris

parte

parte corporis poſteriore magis quàm anteriore, veluti ex femoribus & cubitus. Indicio eſt cutis raritas, quam ipſam pilus oſtendit.

Rigor omnis incipit cum ſenſibili quodam frigore. Dorſi autem partes vt potè neruoſæ non ſolùm facilius refrigerantur, ſed promptius etiam frigus ſentiunt. Quò fit, meritò vt indè rigores capiant initium, & magis in mulieribus fiāt, quia fœmina frigidior natura eſt & imbecillior. Hinc porrò incipiens rigor excurrit in caput neruorum principium, celerrimè per ſpinalem medullam facta conſenſione, id eſt affectionis communicatione: quandoquidem & ipſa non ſecus ac cerebrum frigida eſt naturâ, & propter ſubſtantiæ mollitudinem ſimiliter obnoxia. At verò ex partibus anterioribus rigores non incipiunt, quia calidiore ſunt quàm poſteriores temperamento. Cuius rei indicium ſtatuit cutis raritatem, & huius rurſus ipſius pilorum multitudinem. De quorum generatione abundè egimus in libris de temperamentis.

LXX.

Οἱ ὑπὸ τεταρταίων ἁλισκόμενοι, ὑπὸ σπασμοῦ οὐ πάνυ τι ἁλίσκονται· ἢν δὲ ἁλίσκωνται πρότερον, εἶτα ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται.

Qui quartana corripiuntur, non admodum conuulſionibus tentantur: Si verò prius tentati fuerint, ſuperueniente quartana, liberantur. *Vide 6. Epide. ad finem.*

Quæ propter vacuationem fit conuulſio, acutiſsima eſt & pernicioſiſsima: quæ verò ob neruoſarum partiũ repletionem accidit (qualis eſt epileptica) neque acutiſsima eſt, neque perinde periculoſa. De qua conuulſionis ſpecie Hippocr. in præſentia meminit. illa enim verba, Tentantur & Tentari, temporis productionem indicant. Hanc ergo conuulſionem fieri quartana non ſolùm prohibet, ſed etiam ſi fieri occupauerit, ſoluit. Fit porrò talis conuulſio lentis & pituitoſis humoribus partes neruoſas infarcientibus & obſtruentibus. Quibus liberandis quum duplex ſit comparata ratio, excretio & coctio, vtranque habet quartana: excretionem quidem vi rigoris (eiuſmodi enim concuſsio & conuulſio ſola poteſt craſſum humorem excernere) coctionem verò caloris ratione rigorem excipientis.

LXXI.

Ὁκόσοισι δὲ δέρματα περιτέταται καρφαλέα καὶ σκληρὰ, ἄνευ ἱδρῶτος τελευτῶσιν· ὁκόσοισι δὲ χαλαρὰ καὶ ἀραιὰ, σὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν.

Quibus arida & dura cutis obtenditur, ſine

ſudore moriuntur: quibus verò laxa & rara, cum ſudore vita defunguntur.

Morituris * ſiquidem ſqualida, dura, ſicca, & obtenſa cutis eſt, ſine ſudore vitã finiunt: Si contrà rara, mollis & laxa, cum ſudore fato concedunt. Prioribus ſiquidẽ vel omninò exhauſta eſt humiditas vel ex cute: in aliis verò ineſt etiam in cute.

* Philotheus τελευτᾷν accipit ἀντὶ τοῦ λέγεσθαι ἤτοι πρὸς βίον, ἢ πρὸς θάνατον· εἰ μέν τις ἐυφορία ἕποιτο αὐτοῖς, πρὸς ὑγείαν, εἰ δὲ δυσφορία, πρὸς θάνατον.

LXXII.

Οἱ ἰκτερώδεες οὐ πάνυ τι πνευματώδεες εἰσιν.

Aeruginoſi, non admodum ventoſi.

Ventoſos ab ipſo nunc dici putandum eſt, qui in ventre colligunt copiam ſpiritus flatuoſi, qui vel per ructus, vel flatus infernè erumpentes excernitur, vel remanet & cõtinentes partes diſtendit. Fit autem aliâs propter atoniam quandam, id eſt virtutis remiſsionem & imbecillitatem partium ipſarum ad vẽtrem attinentium, aliàs propter phlegmaticum humorem & frigidum. Qui itaque ſunt ob pituitoſum & frigidum humorem flatuoſi, auriginoſis ſunt contrarij vt pote bilioſis. Quæ quum ita ſint, fit vt ictero obnoxij nunquàm ventoſi fiant, duntaxat, ſecundum abundantis humoris naturam. Nam propter partium imbecillitatem poſſunt aliquando flatus gignere.

Prop

Propterea enim dictioni adiecit, non admodum, ita perpetuitatem negationis interrumpens, ſimúlque quod dicit ferè fieri oſtendens. Perrarò enim auriginoſos inuenias, qui partium habeant ad ventrem attinentium imbecillitatem.

GALENI IN APHORISMOS,

Id eſt, ſelectas maximéque ratas Hippocratis ſententias,

COMMENTARIVS SEXTVS, GVLIELMO PLANTIO Cenomano, interprete.

I.

EN τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη ἐπιγινομένη, μὴ γινομένη πρότερον, σημεῖον ἀγαθόν.

In diuturna læuitate inteſtinorum ſi ructus acidus ſuperueniat qui prius non extiterit, bonum eſt ſignum.

Leenteria (quaſi læuitatem inteſtino-

rum dicas) celer eſt per ventrem, & inteſtina eſculentorũ potulentorúmq; tranſitus, quo talia deiiciũtur qualia fuere deuorata. Quòd ſi breuius definire placet, potes dicere coctionis priuationem eſſe, nulla neq; ſecũdum conſiſtentiam, neque ſecundum colorem, aut odorem, aut vllam aliam omninò qualitatem in ventriculo ciborum mutatione facta. Ita porrò morbus hic appellatus eſt, exiſtimantibus qui primùm ipſi talem appellationem impoſuerunt, propter internæ τῶν ἐντέρων, id eſt inteſtinorum ſuperficiei læuitatem fieri, ob quam non amplius ipſa retineant in ſe contenta cibaria ſed ocyſsimè præterlabi ſinant: quaſi verò ſua, quũ ſecundum naturam habebant, aſperitate retinerent. Ego verò quum in aliis multis laudandos eos cenſeam, qui rebus primùm poſuerũt nomina, minimè tamẽ in lienteriæ appellatione probare poſſum, quippè qui ingeſtos cibos circumplicare & amplecti & conſtringẽdo retinere tempore legitimo, poſteáque deorſum propellere proprium vẽtriculi munus eſſe ignorauerint: & rurſum quemadmodum in veſica fit ſtranguria, quum ipſa ſcilicet vrinæ impatiẽs non expectat donec coaceruetur, ſed ſtatim vt mordacem ſibi, aut grauem ſummouet &

reiicit, eodem quoque modo citam per ventrem cibi potúsq; permeationem fieri non intellexerint. Hæ enim ſunt omnium excretionum cõmunes cauſæ, quas ſi illi ſciuiſſent, qui primi huic morbo lienteriæ nomen indiderunt, talem de læuitate inteſtinorum opinionem repudiaſſent, & eius loco, totius ventriculi & inteſtinorum imbecillitatem ſtatuiſſent cauſam, ob quam partes hæ cibis aſſumptis grauatæ, à ſe quàm citiſsimè ipſos depellunt exigúntque. Poteſt etiam quandoq; quorundá humorum mordacitate & acrimonia in ſuperficie exhulceratis inteſtinis accidere hæc affectio, etiamſi vires ipſorum nõ magnopere laborent. Tùm enim fuerit neceſſarium, & permeantibus cibis partes exhulceratæ dolorem ſentiant, atque ideò ipſos deorſum propellant, & à ſeipſis quàm ocyſsimè amittant: quod per ſingulas partes dum fit, tanta ſequitur tranſitus velocitas, vt cibi nullum coctionis rudimentum inchoationémve accipiant. Verum tali lienteriæ morſus cuiuſdam inerit ſenſus; in ea verò quæ propter vẽtriculi & inteſtinorum imbecillitatem accidit, citra vllum doloris ſenſum fient deiectiones. Cæterùm non paruum hoc eſt harum lienteriarum diſcrimen. Nam

quæ propter humorum acrimoniã totius vẽtriculi & inteſtinorum abraſa fit ſuperficie, ſiquidẽ humorum malignitas ceſſauerit, aſtringente tùm cibo tùm potu curatur citiſsimè: ſi verò lõgiore tẽpore perſeueret, in dyſenteriã, id eſt inteſtinorum difficultatem tranſit ac mutatur: quæ verò propter virtutis retentricis imbecillitatem fit inteſtinorum læuitas, ab intemperie omninò cõciliatur: quæ vel ipſorum corporum confirmata eſt qualitas & quidam contractus iam habitus ſolutu difficilis, vel propter humorem aliquem fit qui in ventre & inteſtinis continetur, de quorum humorum numero eſt pituita, ob quam ægrotantibus acidi ructus eueniunt, quas ὀξυρεγμίας appellant Grȩci, qui etiam citra pituitæ conſortium ventriculo frigidiore fieri poſſunt. Et certè cum quibuſdam læenteriis, quæ ex frigiditate ortum habent, vnà inuadũt ructus acidi, ſed temporis progreſſu ceſſant. Nam per initia exiguo quodam tempore cibi in ventriculo retinentur, procedente autem atque aucto morbo, ne hoc quidem accidit. Vbi igitur in ventriculo breuis eſt cibi mora, tum quædam veluti fit coctionis inchoatio, & propterea eiuſdem infelicitas & fruſtratio accidit apotychia Græcè dicta.

dicta. Nos autem à frigida cauſa profe-
ctâs coctionis fruſtrationes ructus acidos
gignere didicimus. Vbi autem nullum ci-
bi accipiunt coctionis initium, tùm nec
vlla ipſorum ab initio fit ſecundum qua-
litatẽ mutatio, & proindè nec ructus aci-
dus, niſi pituita præſertim acida in ven-
triculo abundet. Proptereà non ſimplici-
ter Hippoc. in læuitate inteſtinorum aci-
dum ructum dixit ſignum eſſe bonum,
ſed in diuturna addidit: quippe quia cum
incipiente, vt dictum eſt, ſæpè vnà accedit
ructus acidus. Deinde qui priùs inquit,
non extiterit. Quæ enim à pituita ventri-
culum refrigerante fit inteſtinorum læ-
uitas, vnà ſecum ſemper habet coniun-
ctam oxyregmiam, tanquam ſymptoma
quoddam. Cum ea igitur inteſtinorum
læuitate, quæ neq; etiamnum incipit, ne-
que à pituita fit, coniuncta non eſt oxy-
regmia, quæ ſi aliquando tandem interue
niat, tantiſper iam cibum in vẽtriculo re-
tineri donec mutationis principium acci-
piat, ſimúlq; ſuorum operũ naturam re-
miniſci ſignificabit. Atq; mihi hactenus
abundè vt arbitror, expletum eſt expoſi-
toris munus. Eorũ verò quæ diximus ca-
pita ſi quis ſcienter certóque diſcere velit,
in commentatione de naturalibus facul-

tatibus non paucas demonſtrationes de ventriculi virtutibus,& in lib.de ſymptomatum cauſis omnium quæ celeriter excernuntur explicatas cauſas habet. Quoniam verò Eraſiſtratus ſecundo de ventriculo ſuperiorum medicorum auctoritatem ementitus eſt, & de læenteria notionem turbauit confudítque, non abs re fore viſum eſt pauca ſuperioribus addere, ac primùm ipſius Eraſiſtrati verba tranſcribere,quæ habent hunc in modum,De „ læenteria appellata dicendum eſſe videtur. Superiores enim medici inteſtinorum „ affectum in tres partes diuiſerunt,læenteriam,dyſenteriam, & tenaſmũ, quæ aſsiduè laceſſens eſt egerendi cupiditas inanis. Atque ex his nonnulli in ipſis excretis differentias morbi ſpectantes dicunt, Si ex ventre ſanguinolenta & mucoſa prodeant,is affectus dyſenteria appellatur. Si verò quæ excernuntur,cruda & coctionis expertia fuerint, & ſanguinolentis & mucoſis permiſta, læenteria vocatur. Quum verò billioſa permiſta ſanguinolentis & mucoſis ſubeunt, tenaſmus dicitur. Hæc Eraſiſtratus, quam ſecutus opinionem neſcio vt crudis excrementis mucoſa & ſanguinolenta adderet. Hoc enim nullus fecit, neque eorum qui eadem tempeſtate fue

ce fuerunt clariſsimi & præſtantiſsimi medici, vt Philotimus, Herophilus, Eudemus: neque eorum qui eam ætatem ſunt ſecuti vſque ad recentiores iſtos qui Archigenis temporibus extiterunt. Sed nec quod ipſe dicit, medicorum ſuperiorum, hoc eſt eorum qui ante Eraſiſtrati ſeculum fuerunt vllus affirmauit. Diocles ſiquidem in libr. de cauſæ morborum curatione in hanc ſententiam ſcribit, " Tertium morbi genus ferè dyſenteriam ex- " cipit, vocatur autem læenteria, quam hu- " mida & ſpumans crudáq; & multa deie- " ctio ſequitur ſtatim poſtquàm comeſtum " eſt & bibitum. Praxagoras verò ſecundo de ſignis comitantibus inquit, Inteſtino- " rum læuitate laborantibus quia lubrica " ſunt inteſtina imprimíſque ieiunum, ci- " tò cibaria deiici eſt neceſſe. Præterea Pra- " xagoras deinceps ſcribit, Cibaria quæ ci- " tò permeant, omninò cruda eſſe oporte- " re: quod peculiare maximéque huius affectionis eſt proprium, in celeri tranſitu ſtatuẽs, quod verò coctionis expertes & crudi cibi permaneant, hoc vnum habens in numero eorum quæ neceſſariò conſequuntur. Neque enim quia omnino crudi permanent, ideò citò deiiciuntur: ſed quia confeſtim excernuntur, nullam pro-

pterea coctionem nanciſcuntur. Quæ cauſa eſt quamobrem tùm nos, tùm alij medici complures læuteriam definiamus citam eſſe ciborum peruaſionem, nullam prorſus coctionem habentium. Sic de ipſa veteres quoque medici ſentire videntur. Nam & libro de morbis, ſiue is liber Hippoc. ſit, ſiue Polybi eius diſcipuli hæc de læuore inteſtinorum ſcripta inueniuntur, Cibaria deiiciuntur incorrupta, humida, nullum dolorem facientia, corpus verò extenuatur. nimirum hiſce viris fuit conſuetudo iam olim recepta appellandi incorrupta, quæ nos cruda & coctionis expertia vocamus. In libro quoq; de victu ſalubri inſcripto, qui & ipſe Hippocrati aſcribitur (licet non deſint qui adulterinum cenſeant, nonnullis ad Ariſtonem, aliis ad Philiſtionem, quibuſdam ad Pherecydem referentibus) ſcribuntur hæc verba. Hæc nonnulli patiuntur, cibus eis deiicitur humidus, non coctus non propter morbum, verbi gratia læuteriam, neque aliquem ipſis adfert dolorem. Atque hi quidem viri omnes ſunt Eraſiſtrato antiquiores, ſexcentíque alij vt dixi, tùm qui Eraſiſtrati ætate floruerunt, tùm qui poſt eum fuerunt, in eandem omnes ſententiam de læuitate inte-

ſtinorum ſcripſerunt. Quare quid Eraſiſtrato in mentem venerit neſcio, vt de maioribus mentiretur, dum in læuitate inteſtinorum ſanguinolenta & mucoſa cibis non coctis permiſceri veterum ſententiam eſſe dicit.

I I.

Οἷσι ῥῖνες ὑγρότεραι φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνουσι νοσηρότερον· οἷσι δὲ τ' ἀναντία, ὑγιεινότερον.

Quibus nares humidiores naturâ, & genitura humidior, ij minus proſpera valetudine fruuntur: Quibus verò hiſce contraria adſunt, ſalubrius degunt.

Siccioribus natura temperationibus nullum omninò è cerebro per nares manifeſtum aut ſenſibile excrementum effluit, ſicuti neque per cutem ſudor: ſed quæ medicis ἄδηλος διαπνοὴ dicitur, id eſt cutis perſpiratio ſenſum fugiens attenuata excreméta vaporis inſtar vacuat. Humidioribus verò naturis ſenſibilia fiunt excrementa cerebri præſertim, quia frigidius naturâ eſt. Quibus ipſis naturis genituram quoque, hoc eſt genitale ſemen, frigidiorem eſſe affirmat quemadmodum ſiccioribus aquoſa humiditate exhauſta tùm craſsius, tùm ſiccius ſemen adeſſe ſolet. Qui igitur humidiore

ſunt ſiue ſolo cerebro, ſiue toto etiã corpore, inculpabilem illam & inoffenſam vitæ ſalubritatem habere nequeunt, ſed frequentibus catarrhis, leui quapiam occaſione ortis, infeſtantur. Quòd ſi per palatum ipſis deorſum redundans feratur humor, malè partes ſubiectæ afficiantur & grauiter offendantur eſt neceſſe, fauces verbi gratia, guttur, aſpera arteria, pulmo, ſtomachus, & venter. Vnde & tuſſes ipſis, & dyſpnœas, id eſt ſpirandi difficultates, anginas, cruditates, diarrhœas, id eſt alui profuſiones, interdum etiam dyſenterias, quũ ſcilicet deſtillans humor fuerit quodam modo ſalſior, accidere eſt neceſſe. Porrò de his ipſis egit in lib. de aëre, aquis & regionibus, & in lib. de morbis & affectibus.

III.

ΕΝ τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι, κακὸν, καὶ σὺν πυρετῷ κάκιον.

In longis inteſtinorum difficultatibus cibi faſtidium malum, & cum febre peius.

Difficultates inteſtinorum, id eſt dyſenteriæ, exhulcerationes ſunt inteſtinorum ab humoribus acribus factæ. Quippe initio abraditur eorum ſuperficies extima: deinde temporis ſpatio profundiora, & putria ferè habẽt vlcera: quo maximè

mè tempore ventriculi per conſenſum affecti labefactatur coctio. qua noxa latius ſerpente & ſemper magis magiſque ſurſum euecta, ſimul vt ventriculi os vnà eſt affectũ, appoſiti fiũt, id eſt anorecti, quaſi faſtidioſos cibi & inappetentes dicas. Nã per initia etiam interdum cibum auerſantur propter defluentes ab hepate ichores, id eſt putres & tenues humores, à quibus inteſtina abradi dicebamus, præſertim ſi hi picrocholi, id eſt calidi & biliosi fuerint. ipſorum nanque pars ſupernatans ad os ventriculi effertur. Longis verò inteſtinorum difficultatibus poſtquam hoc ſymptoma ſuperuenerit, quandam iam per conſenſum mortificationẽ ventriculo aduenisse indicat, qua aboleri prorſus neceſſe eſt appetentiam opus ad vitam neceſſarium. Quòd ſi vnà cum appetentiæ deiectione febris inſuper inteſtinorum difficultati acceſſerit, ex duabus altera, vel aliqua vlcerum putredo, vel magna inflammatio adeſt. atque ita, vt dictũ eſt, toto per conſenſum vẽtre affecto, pernicioſè ſe habent ægroti.

IIII.

TA' περιμάλκρα ἕλκεα κακοήθεα.

Circunglabra vlcera, maligna.

Quum pilos à circuniectis vlceri partibus

tibus defluere, vel cutem ſquamulas è ſumma parte amittere videris, ſcire potes iis qui ita habeant, prauos humores in partem adfluere, qui vehementer vlcus rodunt. Neque enim certè pilorum radices corrumpere poſſunt, & vlceratum locum non prohibere cicatrice obduci.

V.

Τῶν ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσι, καὶ ἐν στήθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν, ἢν μέγα διαφέρωσι, καταμαθητέον,

Doloribus lateris, & pectoris, cæterarúmque partium an ægri multùm differant, diſcendū eſt.

Animaduertere oportet non modò locum dolentem, qualis ſit, ſed magnitudo etiam doloris in eo quāta ſit exquirenda. Quæ res tum ad loci affecti dignotionē, tum ad præſagitionem eorum quę ægroto ſunt euentura, tum præterea ad curationis inuentionem multo eſt vtiliſsima. Siquidem in latere quum magnus vrget dolor, primùm is eſſe non poteſt, quin membrana coſtas ſuccingens patiatur: ſecundò non vacat periculo: deinde maiore etiam indiget curatione. Nam ſi ad clauiculam dolor aſcendat, ſectione venæ vtendū erit, ſi ad hypochondria declinet, purgationi locus erit, quemadmodum in lib. de vict. ratione in morbis acutis ipſe-

met docuit. Si verò mediocris fuerit dolor, nec pungens, (qualis in membrana erat ſuccingente,) nec ad clauiculam aut hypochondrium pertineat, tum ipſe affectis coſtarum carnoſis partibus fieri poteſt, atque ideò neque periculoſus fuerit, neq; magno auxilio indiguerit. Sic etiam in ſingulis aliis partibus doloris ſpectanda eſt magnitudo, veluti in renibus ſi fortè carnoſa eorum pars inflammationem ſuſtineat, dolor grauis erit, quemadmodum ipſe in Epidemiis tradidit, ita eum dolorem appellans, qui veluti ponderis cuiuſdã affecto loco impoſiti ſenſum infert. aliæ verò renum partes ſi afficiantur, acutus dolor cruciabit. alias partes dico, tunicam renes obtegentem, cauitatem internam, & in hanc penetrantes & traiectas tum arterias tum venas, & præterea meatuum vrinariorũ (οὐρητῆρας appellant) exortus. Sic etiam in iocinore res habet. Nam parte eius carnoſa inflammata, grauis dolor ſentitur: tunica verò ambiente aut vaſis inflammationem patientibus, acutus vexat. Atque ipſius doloris acuti indicationẽ nobis adfert maior minórve efficientis cauſæ qualitas. Bilioſus ſiquidem & acris humor dolorem intendit, vt & ſpiritus flatuoſus exitum non habens: remitt

remittit pituitoſus. Nec verò ſolùm qualitatis cuiuſpiã magnitudo nobis aliquã dat doloris ſignificationem, ſed etiã quantitatis. Intẽditur enim cuiuſuis cauſæ efficientis actio, eius aucta ſubſtãtia. Si itaque Hippo. quia cuiuſque doloris magnitudinem conſyderãdam eſſe vellet, aphoriſmum ſcripſit, ſatis multis ipſius vſum expoſuiſſe videri poſsimus. Si verò non magnitudinem ſolùm dolorum ſpectandam eſſe, ſed generalius quiddã & velut vniuerſalius indicans, omnes aliquo certè numero habendas dolorum differentias, animaduertere & cõſiderare oportere dicit, multo vtique maiorem ex ipſo vtilitatem ſumus percepturi. Erit enim oratio huiuſcemodi, Non ſimpliciter partium dolorem conſiderare, neque eandem eſſe in omnibus affectionẽ arbitrari oportet: vt ſi exempli gratia anteà quidem Dioni, poſteà verò Theoni latus doluerit, eodẽ propterea modo vtrunque habere exiſtimandum eſt, ſed permultúmne inter ſe differant, an quodammodo ſint ſimiles cognoſcendum. Id verò fit ex duobus manifeſtum, doloris tum ſpecie tum vehementia. Ex ſpecie, ſi pungens, ſi diſtẽdens, aut torporem concilians, aut cum oneris phantaſia grauis, aut aliquo veluti lanci-

nante

nante, aut erodente, aut pertundente, ſi continuus aut cũ intermiſsione, ſi æquabilis aut inæquabilis fuerit. Secundũ vehementiam etiã, qui vehemẽtior remiſsiórve ſit ſpectare oportet, quę paulò ſuprà ſecundum magnitudinem in doloribus dicebatur differentia. Solent enim medici per verbi abuſionẽ quicquid vehementius eſt appellare maius, etſi id non quantum, ſed quale exiſtat. Paruã enim aut magnã, aut mediocrẽ febrem appellitandi nullum faciunt finem, quæ ſuam tamẽ habet in calore eſſentiam. Quare mirum videri non debet, ſi dolorem etiam vehementiorem, maiorem vocitent, multóque minus dignum admiratione, ſi quæ ſpeciebus ſeparata ſunt, ea inter ſe multùm differre dicantur: vt ſi dolorem qui ponderis cuiuſdam ſpeciem & phantaſiam refert, ab eo qui lancinare & pertundere partem, aut aliud quidpiã ex iis quæ ſuprà dicta ſunt facere videtur, diuerſum eſſe dixeris.

VI.

TA' νεφρικὰ καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι.

Renum & veſicæ vitia in ſenibus difficulter curantur.

Renum & veſicæ affectus in ſenibus

vix ſanantur, id eſt multo negotio & longo tempore. Nam earum partium actio irrequieta eſt, & munus nunquam otioſum, quiete autem opus eſt, ſi quid ſanari debeat. Adhæc excrementum per eas vacuandũ, acre eſt, quod irritandi ſiue vlceris ſiue inflammationis, ſiue alterius cuiuſpiam affectionis in ipſis conſiſtentis vim habet. Multò verò difficilius ſanantur in ſenibus veſicæ affectus, quoniam alij etiam morbi omnes præcipuéq; longi in ipſis vix medelã admittũt. Tales enim ſenes ad mortẽ vſq; comitari ſuprà dixit.

VII.

ΤΑ' ἀλγήματα τὰ κατὰ τὴν κοιλίην γινόμενα, τὰ μὲν μετέωρα, κουφότερα· τὰ δὲ μὴ μετέωρα, ἰσχυρότερα.

Dolores ventris ſublimes, leuiores: non ſublimes fortiores.

Sublimes nunc accipere oportet, non ſecundum corporis longitudinem, ſed profunditatem. Eos autẽ diſcriminat in ventris regione peritonæum, ita vt qui in partibus hoc elatioribus fiunt, ſublimes vocentur, qui verò in partibus huic ſubiacentibus, hoc eſt inteſtinis ipſis, atque ventriculo, & alto corpore conſiſtunt non ſublimes dicantur. Porrò liquet tales dolores meritò Hippoc. fortiores appellaſſe.

VIII.

TΟῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, οὐ ῥηϊδίως ὑγιάζεται.

Aqua inter cutem laborantibus exorta in corpore vlcera non facilè ſanantur.

Ipſemet libro de vlceribus, non priùs vlcus ad cicatricem perduci docuit, quàm ſit exactè exiccatum. *Hoc autem in hydropicis ob nimiam humiditatis copiam facilè fieri non poteſt.

**Hydropicis ineſt humiditas inſtrumentalis, & ſiccitas ſimilaris nimia: Vtraque autem vnitatē tardat.*

IX.

TΑ πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυτι κνησμώδεα.

Latæ puſtulæ non admodum pruriginoſæ.

Quemadmodum tubercula omnia duplici differentia conſtant. quædam enim faſtigiantur in acutum & ſublimia exiſtunt, quædam funduntur latius & ampliorem locum occupant, non tamen in altum tolluntur : ſic puſtulæ nonnullæ ſublimes acuminantur, aliæ humiles latè ſparguntur. Elatiora autem & acutiora tubercula vt & puſtulæ ab humore fiunt calidiore, humiliora autem à *frigidiore. Quo fit vt duplicem ob cauſam latæ puſtulæ nō admodum pruriant. Cuius enim perſpiratu vaporant in latitudinem extenſæ, & efficientem humorem obtinent minus acrem.

** Pituita alioqui frigida, putrefactione & ſalſugine calida & acris euadit, vnde pruritū etiam mouet.*

X.

Κεφαλὴν πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι, πύον ἢ ὕδωρ ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα, λύει τὸ νόσημα.

Capite dolenti & vehementer laboranti, pus vel aqua, vel ſanguis per nares, aut os, aut aures effluens morbum ſoluit.

Sic de aliis etiam multis demonſtrauimus pronuntiare Hippocratem quibus niſi diligenter animum aduertas, videatur quod ab ipſo dicitur ſolum & vnicum eſſe affectionis propoſitæ remediũ, aliud verò eſſe nullum. Verùm ipſe non hoc ſolum eſſe dicit: ſed ſimpliciter quòd pus vel aqua per aures aut nares effluens morbum ſoluit. Quòd ſi ordine inuerſo dixiſſet, quemadmodum ego nunc feci, dictio reprehenſione vacaſſet. * Nam ſi vel propter inflammationẽ, vel crudorũ humorum copiam in capite collectam fieri dolorem contigerit, tunc inflammatione ſuppurata, aut excreto humore, morbi fiet ſolutio: Si verò vel propter ſpiritum flatuoſum, vel ſanguinis plenitudinem, vel mordacem bilem, vel denique ab intemperie dolor contractus fuerit, per alia ſanabitur remedia.

** Particularia tantum ponit hæc doloris capitis remedia. Cõmunia enim materia purgatione & ſectione venæ vacuatur, quæ vniuerſalia ſunt remedia: cõtinẽs verò & coniuncta topicis auxiliis.*

XI.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι, καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσι, αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν.

Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſuperuenientes, bono ſunt.

Non vacuationis ratione ſolùm, ſed ipſa etiam humoris vacuandi qualitate eiuſmodi affectus hæmorrhoïdes ſanant. Hæ enim craſſum ſanguinem profundere ſolent humoris melancholici plenum, talem in ſanguine vim obtinentis, qualem in vinis fæx habet. Quare nihil mirùm & melancholiam & nephritim per hæmorrhoïdas curari, vt potè quæ ſanguinis veluti fæcem vacuare ſoleant.

XII.

Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθεῖντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν.

Diuturnas curanti hæmorrhoïdas niſi vna quæpiam ſeruetur, periculum aquæ inter cutem, vel tabis impendet.

Hæmorrhoïdas citari eſt impoſsibile, quin propter ſanguinis multitudinem & craſsitudinem ora quædam venarũ aperiantur, iocinore in ipſas fæculentum & melancholicum ſanguinem reiiciente. Si quis igitur hãc ipſi viam præcluſerit, tum ſcirrhoſum ipſum effecerit, tum multitu-

dine & craſsitie grauato calorem in ipſo extinxerit. Simile enim quiddã fit, quale flammæ externę accidere videmus, quum multa temerè ligna congeſta ignem ſuffocant & extingũt. Si itaque natiuo calore generatur ſanguis, ipſo extincto non amplius generandum fore conſtat. At verò aqua inter cutem, ſanguinis fit generatione fruſtrata. Et ſi quandoque iecur plenitudinẽ in pulmonis venas queat protrudere, vaſe inibi rupto tabidi euadunt. Ratione igitur optima vnã eſſe ſeruandã hæmorroïdem conſuluit, vt per hanc ſcilicet fæculẽta iocinoris cacochymia vacuari poſsit, in iis præſertim quibus longo tẽpore per tales venas excerni conſueuit.

XIII.

Υπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγενόμενοι λύουσι τὸν λυγμόν.

Singultu fatigante, ſternutatio ſuperueniens liberat.

Quemadmodum ipſe conuulſionem à plenitudine & vacuatione fieri dicebat, ita ſingultũ quoq; accidere putat. Quum igitur à plenitudine fit (fere autem ita fit) violento opus eſt motu, vt veluti vecte quopiam emotæ humiditates ipſum efficientes perſpiratu diſcutiantur & vacuentur. Hoc autem ſternutatio efficit. Eos verò

rò ſingultus qui propter inanitionem ra-
rò fiunt, ſternutamentũ non ſanat. Quòd autem ob plenitudinem ſingultus frequenter fiant, argumento ſunt pueri, quũ ſe ſupra modum repleuerint crebrò ſingultientes. Porrò frigus & perfrigeratio quia neruoſa corpora omnia ægrè perſpirabilia reddit, vt hæc repleãtur eſt in cauſa, atq; ideò ſingultus ſeu palpitatio quædam ipſis accidit.

XIIII.

Ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ τοῦ κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις.

Hydrope detento, ſi aqua è venis in ventrem confluxerit, ſoluitur morbus.

Hoc etiam vnum eſt exemplum earum vacuationum, quæ ſpõtè & vtiliter fiunt. Spontaneas autem dicimus, nõ quæ ſine cauſa, ſed ſine opera noſtra fiunt. Si enim exhibito medicamento hydragogo, id eſt aquas ducente, talis facta fuerit vacuatio, non iam ſpontinam appellaturi ſumus.

XV.

Ὑπὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγενόμενος λύει τὴν διαῤῥοίην.

Longo alui profluuio laboranti ſpontè vomitus ſuperueniens, morbum ſoluit.

Et hoc etiam exemplum eſt eorũ quæ rectè à natura gerũtur, quod vtique medicum imitari oportet. Eius autem vtilitas, reuulſionis ratione æſtimatur.

XVI.

Ὑπὸ πλευρίτιδος ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ, διαῤῥοίη ἐπιγενομένη, κακόν.

Pleuritide aut peripneumonia detento diarrhœa interueniens, malum.

Ad partes affectas non temerè & ſimpliciter aliæ compati ſolẽt, ſed quum forti affectu detinentur. Hac itaque ratione iecore grauiter patiẽte, ſingultus quidem accidit compatiente ſtomacho: tuſsis autẽ & ſpirandi difficultas, per cõſenſum affectis inſtrumentis reſpirationi deſtinatis. Sic etiam rurſus inſtrumentis reſpirationi ſeruiẽtibus magnopere & grauiter affectis hepar cõpatitur: & hoc ipſum manifeſtò oſtendit Hippocr. quum non ſimpliciter dixit in pleuritide aut peripneumonia citatam aluum & ſolutam, malum eſſe ſignũ, ſed adiecit detento, quaſi habito & talibus morbis vexato diceret diarrhœam ſuperuenientem ſignum eſſe malum, quoniam iis qui ita ſe habẽt profluuium alui accidere ſolet, iecore non amplius ad ſe attrahere alimentum, neque probè in ſanguinem conuertere valente,

&

& ventriculo etiam interdum ipſum corrumpente. Moderatæ tamen pleuritidi & peripneumoniæ ſuperueniens alui ſolutio poteſt aliquãdo prodeſſe vacuationis ergò, multóque magis poſtquam coctionis ſigna apparuerint in morbis, neq; timor adeſt, ſed morbus periculo vacat. Cõmuniter autẽ in his & aliis omnibus quæ ſimiliter efferũtur, exceptionis huius meminiſſe oportet, dummodò nulla alia extemporali & manifeſta occaſione acciderit eiuſmodi ſymptoma, veluti ſi nunc diarrhœa ex cibo aut potu aliquo ſit orta: ſed morbi ratione interuenerit. Nã quæ alia ex cauſa & non vi morbi eueniunt, ipſius ingenium & morẽ ſignificare non poſſunt: ſiquidem ſignum in aliquo cum re ſignificata coniunctum eſſe oportet,

XVII.

Ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι, ἀγαθόν.

Ophthalmia laborantem alui profluuio corripi, bonum.

Hoc nõ tanquam bonum ophthalmia laborantibus ſignum, ſed vt cauſa ab eo dicitur; quia ſcilicet humorum redundantia ſimul vacuetur, & ad inferiora reuellatur. Quod vnum ipſi quoque exemplũ eſt eorum quæ ſpontè & vtiliter vacuan-

tur, & quæ medicum imitari conuenit. Nimirum ita omnes faciunt, aluum quũ ophthalmia laboratur, clyſteris & purgationibus ſubducentes.

XVIII.

Κύστιν διακοπέντι, ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατῶδες.

Pertuſa perfectáve veſica, cerebro, corde, ſepto tranſuerſo, tenui quopiam inteſtino, ventriculo, iecore lethale eſt.

Nomen lethale, tum in aliis ſcriptis, tum hoc ipſo libro ſæpe de iis qui ex neceſsitate, & ſæpe de iis qui ferè morerentur vſurpaſſe videtur. Quare incertum nunc eſt, vtrum ſecuturam omninò mortem altius hiſce partibus diuiſis velit innuere, an in quibuſdam hominem quidem ſeruari, ſed raro contingat. Quòd itaque cordis vulnus mortem neceſſariò adferat, vnum eſt ex iis quæ in confeſſo ſunt apud omnes: non tamen in aliis confeſſum eſt & manifeſtum quòd vulnus omne ineuitabilem adferat mortem, ſed duntaxat illud quod magnum eſt & profundum: cuiuſmodi ſignificari veriſimile eſt per participium pertuſa: vt tota veſicæ tunica vſque ad capacitatẽ internam diuiſa perfectáque atque aliorum vnumquodque

quodque ſimiliter diuiſum intelligatur. In veſica ergo confeſſa manifeſtáque res eſt, tale ſcilicet vulnus non vniri aut coaleſcere, vt nec in parte etiam ſepti tranſuerſi neruoſa, & inteſtinis tenuibus. De ventriculo verò dubitatur. Nam quoſdã qui in eo vulnerati fuiſſent aiunt aliquãdo, ſed raro fuiſſe perſanatos. At verò nõ vulnus ſolùm profundum in iecoris fibris acceptum, ſed fibram etiam abſciſſam ſanatam fuiſſe dicunt. Sed & ipſi in libro de vulneribus exitioſis inſcripto, ex his nonnulla curare eius libri auctorem aggredi legimus. Quòd verò eorum diacope, id eſt profundior ſciſſura inglutinata maneat, in corde quidem & ſepto tranſuerſo fit ob perpetuum eorum motum: in veſica verò, quia neruoſa, tenuis & exanguis ipſa exiſtit. Nam ipſius collum quia carnoſum eſt, quotidie ſanari videmus in lithotomiis, id eſt per inciſionem extrahendis è veſica calculis. Hepar verò ſi ſaucietur, vulnerationes habet hæmorrhagicas, id eſt copioſum profundentes ſanguinem: atque idcircò priùs moriuntur qui ita ſunt vulnerati, quàm vulnera conglutinari queant. ita dixi, vt perfectã venam eſſe intelligatur. Quare nec qui profunda iecoris vulnera curaſſe ſe, nec qui fibras,

id eſt

id eſt lobos abſtuliſſe dicunt, videntur veritati cõſentanea dicere. Vulneratum verò cerebrum ſanari ſæpè vidimus, ſemélque Smyrnæ Ioniæ viuente adhuc Pelope præceptore, vulnere axiologo, id eſt maiuſculo exiſtente. Verùm id ex iis eſt quæ rariſsimè eueniũt: Illud verò verum & indubitatum, magnas vulnerationes, quales Hipp. diacopas appellare videtur, adferre mortem: quæ tamen aliquatenus in ipſius ventriculos penetrant ſauciationes, omnium conſenſu ſunt mortiferæ. Tenuium verò inteſtinorum quum omnium, tum ventriculi multo magis natura non parum carnoſæ habet ſubſtantiæ, atq; ideò ſumma parte vulnerata ſæpè glutinantur: tota verò ad cauitatem vſque internam diuiſa, rariſsimè. Hoc autem mea quidem ſententia non propter eorum ſubſtantiam, ſed quia medicamẽtum ipſis vt externis partibus imponere non poſſumus, accidere videtur. Quapropter per aſſumpta vulneratum ventriculum auctor libri de vulneribus exitialibus inſcripti, ſiue Hippocra.is fuerit, ſiue alius quiſpiam curare aggreditur.

X.I X.

Ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον, ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται,

ἄυξεται, οὔτε συμφύεται.

Perſectum os, aut cartilago, aut neruus, aut genæ tenuis particula, aut præputium neque augetur, neque coaleſcit.

Per augeri verbum, talem aliquam generari ſubſtantiá intelligit, qualis eſt partis diuiſæ, ſicuti in cauis vlceribus caro ſuccreſcere apparet: Per coaleſcere autem, corporis diuiſi labra inter ſe conglutinari. Iam verò quòd neq; cartilago, neque os regenerentur confeſſa res eſt: an verò glutinentur nonnulli dubitant. Inquiunt enim videri manifeſtò oſſa fracta glutinari. Hi verò opinione longè falluntur, ídque doceri poſſunt in iis animantibus, in quibus rupta oſſa poro fuerút firmata. Hæc enim ſi quis viua aut mortua diſſecta contempletur, manifeſtò partes oſsium ſeparatas, poro * quodam veluti vinculo circuniecto conſtrictas eſſe comperiet, quas ſi abraſerit, fracturæ profundum apparebit non glutinatum. Sic igitur de his quæ retulimus ambigunt, quidam augeri affirmantes, non tamen coaleſcere, nonnulli verò etiam coaleſcere, ſed raro. Quæ itaque exedendo vlcerata ſunt, augeri poſtulant, nec vllum vidi qui ita affectus eſſet, cui non regenita ſit caro. Glutinari autem deſyderant ea quæ

* *Porus in oſſe, vt cicatrix in cute.*

Ll diuiſa

diuiſa ſunt & non perfecta. Hæc enim inter ſe differunt, quia perfecta diuiſionem habent vſq; ad extremum peruadentem: quæ quidem nunc Hippocra. vniri negat, non ob id tantum quia neruoſa ſunt & tenuia, ſed quia cum eo quòd tali ſunt natura prædita, vulneris labra à ſe inuicem diſtant non parum.

XX.

HN ἐς τὴν κοιλίην αἷμα χυθῇ παρὰ φύσιν, ἀνάγκη ἐκπυηθῆναι.

Si in ventrem ſanguis præter naturam effuſus fuerit, is ſuppuret neceſſe eſt.

Quidã ſine articulo ἐς κοιλίην ſcribunt, omnem volentes ſignificari cauitatẽ, quibus ſuffragatur ab Hipp. præter naturam additum, per quam adiectionẽ tale quid oſtendere videtur, Si quando ſanguis, è proprio conceptaculo in aliam quamuis cauitatem exciderit, vt ſanguis permaneat fieri omninò nequit. Ita enim in phlegmonis, & contuſionibus quas ἐκχυμώσεις appellant Græci, fieri videtur, in illis quidem minutatim diſperſo ſanguine in eas muſculorũ cauitates, quas ſola ratione contemplari poſſumus: in contuſionibus verò ſanguine in ea ſpatia effuſo, quæ vaſa circunſtãt. Porrò ſuppurare verbum non rectè dictum eſt, vtpotè vnicam

in

in ſanguine mutationẽ ſignificans. Quare ipſius latius extenſo ſignificatu, ad omnem ſanguinis corruptelam nonnulli transferunt, atque ita nunc accipiendum eſſe dicunt. Sic enim fieri videtur, ſiquidẽ qui ex loco naturali emanauit ſanguis nõ permanebit, ſed aliâs ſuppurabit, aliâs liueſcet, aliâs in grumos concreſcet, maximè quum in magnam exciderit capacitatem præter naturam.

XXI.

Τοῖσι μαινομένοισι κιρσῶν ἢ αἱμοῤῥοΐδων ἐπιγινομένων, τῆς μανίης λύσις.

Inſanis ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio.

Hoc loco inſaniam, propriè melancholiam, non à bile furorem appellat. Eſt autem varix venarum quæ in cruribus & femoribus habetur dilatatio à craſſo & melãcholico humore facta. Natura enim humores inſaniam cõmittentes, maximè ſi melancholici fuerint & craſsi ad partes ignobiles protrudẽte dictarũ ſequitur affectionum generatio, & inſaniæ ſolutio.

XXII.

Ὀκόσα ῥήγματα ἐκ τοῦ νώτου ἐς τοὺς ἀγκῶνας καταβαίνῃ, φλεβοτομίη λύει.

Ruptiones, quæ ex dorſo ad cubitum deſcendunt, venæ ſectio ſoluit.

Melius

Melius quidam ſcribunt, Dolores qui. Nam ruptionem ipſam deſcendere vnum ex iis eſt quæ fieri omninò nequeunt, ſiquidẽ diuulſa & rupta muſculi parte carnoſa fit ruptio: quippè interdum in ipſum ruptionis locum ſanguis manifeſtò colligi videtur, cui ipſa cõparata eſt digerẽdo curatio. Reliqui verò dorſi dolores locum mutantes, ex defluente humore fiunt, aliquãdo ſolo, magna verò ex parte craſſum & flatuoſum ſpiritum coniunctũ habente: quem humorem excipere & vacuare oportet ſecta in cubito vena, quũ eo fluere videbitur. Eſt enim eius præceptũ, pro momento & nutu humorum vacuationes faciendas eſſe: quod indicant hæc verba, ducendum quò vergunt per loca opportuna. Quòd ſi de ruptis ipſi ſermo eſt habitus, dolores per conſenſum & ſympathiam factos exaudiendum eſt dici ab ipſo in cubitos deſcendere, nõ ipſam carnoſæ partis diuiſionem. Et certè talibus vtilis eſſe poteſt venæ ſectio, communi vacuationis ratione.

XXIII.

Ἢν φόβος καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον.

Si metus atque mæſtitia longo tempore perſeuerent, melancholicum eſt ſignum.

Si quis nō manifeſta de cauſa metuat, aut mœſtus ſit, atræ bilis ſunt manifeſta ſymptomata, maximè ſi longum tempus perſeuerauerint. Propter cauſam tamen manifeſtam orta ſi ſint, & deindè perſiſtant diu, inſaniam ſignificare ſcias velim. Nam multi iam mania corripi viſi ſunt, quæ ab excādeſcentia, aut ira, aut mœſtitia principiū ſumpſerat: ipſo ſcilicet corpore per id temporis habili & idoneo ad tales ſuſcipiendas affectiones exiſtente.

XXIIII.

Ἐντέρων ἢν διακοπῇ τῶν λεπτῶν τι, οὐ ξυμφύεται.

Si quod gracile inteſtinum perſectum ſit, non coaleſcit.

Idem paulò antè dixerat eo aphoriſmo cuius initium, Veſica pertuſa, cerebro. Non itaque video quamobrem nūc fruſtrà repetatur. quod & in aliis quibuſdam aphoriſmis factū eſſe certò ſcimus, quos expungere foret melius.

XXV.

Ἐρυσίπελας ἔξωθεν εἴσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν· ἔσωθεν δὲ ἔξω, ἀγαθόν.

Eryſipelas foris intrò conuerti, malum: intus verò foras exiſtere, bonum.

Non Eryſipelas ſolùm, ſed & alium quemcunque affectum ex profundis &

principibus partibus ad cutem traduci, & bonum ſignum, & bonam cauſam eſſe exiſtimandum eſt: Contrà verò ad internas & profundas corporis partes remigrare, malum. Sed & alia multa hoc lib. Hip. ſimiliter efferre viſus eſt, quædam veluti vniuerſalium ſententiarum & præceptionum exempla, à quibus euidentiorem rei euentus experientiam habere poſsimus. Eiuſmodi enim eſſe debent exempla.

XXVI.

Ὁκόσοισιν ἂν ἐν τοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνονται, παρακοπὴ λύει.

In febribus ardentibus tremorē delirium fere excipit, tandémque mors.

Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio ſoluuntur.

Siue Hippocra. ipſe tales aphoriſmos ſcripſit, qui ſint veluti quædam generaliorum & vniuerſaliorum documentorum exempla, ſiue alij addiderunt, id exquirendum aliis relinquẽtes, in ipſis illud tantum obſeruabimus quod etiam anteà dictum eſt, & nunc in febre ardente repetetur. Nam huius febris cauſæ effectrices in venoſo genere conſiſtentes, vbi in neruos tranſlatæ fuerint, primariò tremores faciunt, per conſenſum verò affecto neruorum principio, etiam deliria inuehunt. Quemadmodum igitur in febre ardente tranſlatio fit, ſic & in omni alia febre

febre fieri poteſt. Et denique ex arteriis & venis in neruos, & contrà ex neruis in arterias & venas noxiorum humorum tranſlatio fieri poteſt. Porrò non exactè locutus eſt, quum febrem ardentem dixit à delirio ſolui. Ea enim Hippocrati conſtructionem cõſtitutionémve eorum quibus ſuperuenerint, ſoluere dicuntur, quæ hominem perfectè perſanant, non quæ aliam affectionem generant, priore nihilominus periculoſam.

XXVII.

Ὁκόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ καίονται ἢ τέμνονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου, καὶ τοῦ ὕδατος ἀθρόου, πάντως ἀπόλλυνται.

Quicunque empyi aut hydropici vruntur, aut ſecantur, ſi pus aut aqua vniuerſim effluxerit, omninò moriuntur.

Empyos eos maximè appellare cõſueuit, qui thoracis & pulmonis intermedio ſpatio collectum pus habent, quos quo modo oporteat vrere, tradidit in magno de morbis libr. cuius initium, Pulmonis arteriæ. quem quidem librum de empyis inſcribunt nonnulli. Vſtione itaq; egent, qui tantam habent puris copiam, vt eius nulla ſit ſpes per ſputa expurgãdæ, atque ipſos magna ſpirandi vrget difficultas

propter loci anguſtiam, quæ & ipſa eos vrere cogit. In hydropicis auté *αἱ παρακεντήσεις* appellatæ vſitatiores ſunt medicis quàm vſtiones. Verùm in præſentia Hippocra. quod vſtionis & paracenteſεως cómune eſt, nempe vniuerſam & confertam vacuationem vitandam eſſe conſulit. Ita enim, vt ipſe dicit, euenire apparet. Eraſiſtrato etiam ſcriptum eſt de hydropicis tum ſubtilius tum copioſius: atqui is experientia compertum & comprobatum habere ſe dicit, vniuerſim factam vacuationem febres ac mortem adferre. Sed & in aliis partibus, vt in thorace quũ magnus tumor aliquis ſuppurauit, periculoſam videmus eſſe vacuationem confertim factam, nimirum ipſis protinus animo defectis, & viribus proſtratis: quæ virium debilitatio poſteà non facilè ſarciri, aut refocillari queat. In talibus itaque ob magnam corporum ſeparationem à ſe inuicem, & puris acrimoniam, vaſa quædam arterioſa recludi videntur, quæ prius operculi vice plus habebant: quo derepentè & confertim vacuato, multus ſpiritus vnà cum eo excernitur, vnde detrimentum ægrotantibus & virium debilitatio. Aqua verò inter cutem laborantes non ob id tantùm damnum faciunt,
ſed

ſed & ſcirrhus viſceris vt potè non amplius ſuſtentatus ab aquoſa ſubſtantia deorſum tum diaphragma, tum viſcera thorace contenta retrahit.

XXVIII.

Εὐνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν, οὐδὲ φαλακροὶ γίνονται,

Eunuchi podagra nõ laborant, nec calui fiũt.

Teſticulorum exectio eunuchos effœminat. vt ergo fœminis caluitium nõ accidit, ſic nec eunuchis propter temperationis frigiditatem. Cæterùm eunuchos podagra non tentari Hippocratis quidem temporibus verum erat, nunc verò propter nimium tum otium, tum vitæ intemperantiam non item habetur verum. Res autem tota ita habet. Qui podagrà eſt laboraturus, neceſſe eſt pedes habeat imbecilliores. ſicuti cerebrorũ infirmius, qui epilepticus eſt futurus: neutrum tamen his affectibus omninò corripi eſt neceſſarium, ſi nihil peccauerit in vita. Quòd autem partis imbecillitas ſatis eſſe nequeat ad morbi generationem, ex eo tempore potes apertè diſcere, quod acceſſiones intercedit. Eo enim toto intermedio tempore omninò nihil interpellantur à morbo, quamuis ipſis ſemper adſit naturalis imbecillitas. Quod in podagricis

Podagra et Arthritidis vniuerſales cauſa duæ, vna articulorũ imbecillitas vel naturalis ex prauo et enerui parẽtum ſemine, vel acquiſititia ob crapulã aut venerẽ immodicã: altera excrementoſum corpus.

etiam eſt manifeſtum, in quibus humore quopiam ſuperuacaneo in pedes defluente, affectum hunc generari conſtat. Si ergo hic humor nunquam adfluat, neque vnquam talis futurus eſt morbus. Non affluet autem ſi corpus ſemper excrementis vacet, ſi moderato exercitio vtatur, probéque cibum concoquat. Vnde deſidia ipſos & luxuria & heluatio lædit. lædunt etiam multa & potentia vina potata, maximéque ſi quis ante præſumptum cibum ipſis vtatur. Hæc enim vt coitus etiam facilè neruoſum replent genus. Hippocratis certè quidem temporibus pauci omnino laborabant podagra propter vitæ temperantiam & moderationem ſummam, noſtra verò ætate in tantum auctis deliciis & luxu & voluptatibus, vt nihil ſuprà addi poſſe videatur, infinita eſt podagra laborantium multitudo: nonnullis nunquam ſe exercitantibus, ſed malè coquentibus, ſéque inebriantibus, nullóque præſumpto cibo fortia vina potantibus, & venere immoderata vtentibus: aliis verò etſi non in omnibus, in vno tamen aut altero ex iis quæ retulimus delinquentibus. Et verò ſæpè, quum peccatum magnum eſt, in vno eorum quæ diximus deliquiſſe ſatis
eſſe

eſſe poteſt. Ob has igitur cauſas eunuchi etiam podagræ doloribus crucientur, etiamſi quàm maximè ſibi à venere temperent. Tanta enim eorum eſt deſidia, tam inexplebilis edacitas, tanta crapula, vt etiam ſine coitu, podagra corripi poſſint. Hæc eadem de articulari morbo dicta eſſe putandũ. Arthritici ſiquidem ferè omnes prius fiunt podagrici. Accedit ad has cauſas quamobrem plerique nunc podagra infeſtantur, quòd parentes & auos multi podagricos habuêre, in quibus ſcilicet ſemen erat vitiatum: atque ideo poſteris maiorem cõciliauit partium imbecillitatem.

XXIX.

Γυνὴ οὐ ποδαγριᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλίπῃ.

Mulier podagra non laborat, niſi ipſam menſtrua deſecerint.

Vacuationem menſtruarum ratione mulieres non fiunt podagricæ. Oſtendimus enim in ſuperiore commento, ſine humorum redundantia ex ſola partium eupathia & patiendi procliuitate podagram non fieri. Cæterùm hoc quoq; erat olim verum, antequàm menſtrua omninò defeciſſent mulieres podagra non tentari propter peccatorũ, quæ ſuperio-

re ætate mulieres admittebant paruitatem: nunc verò ob eorum magnitudinem nonnullæ podagra affliĉtantur antequàm eas defecerint menſtrua, quamplurimis ipſarum parcius fluentibus, paucis verò etiam intra modum.

XXX.

ΠΑῖς οὐ ποδαγριᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ.

Puer podagra non laborat ante veneris vſum.

Quòd maximam vim ad podagræ generationem veneris vſus habeat manifeſta res eſt etiam in pueris, quod paulò ſuprà in eunuchis quoque dicebat. Eunuchos quidem certè podagra cruciari vidimus, pueros non vidimus. Sed ſi quis tali affeĉtu correptus eſt, vnà cũ genuum & articulorum, qui in manibus habentur, magno tumore id mali paſſus eſt arthritidi cuipiam derepentè ortæ non diſſimiliter, propter plethoram multis cruditatibus aceruatam.

** Quum in pueris & eunuchis omnes podagræ cauſæ conuenire poſſint præter coitum, videtur Hipp. maximam generationis podagræ partem veneri referre acceptam.*

XXXI.

ΟΔύνας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσίη ἢ λουτρὸν, ἢ πυρίη, ἢ φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη λύει.

Oculorum dolores meri potio, aut balneũ, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio ſoluit.

Horum vnumquodque Hippocra. experientia magis quàm ratione aliqua cognouiſſe videtur. neque enim mirum, ſi quis

quis oculorum dolore affectus, quum feſtinaſſet ad balneum, dolore fuerit liberatus: vel ſi interdicto vini vſu, quũ nullam inde ſentiret vtilitatem, ad vini potionem ſe contulerit, ipſe alioqui vino & crapulæ deditus, poſteáque habuerit melius. Quemadmodum igitur pleraque alia quæ ſic vidiſſet, medicis citra vllam diſtinctionem & determinationem ſcripſit:ita hæc quoque mihi tradidiſſe videtur, quum neque rationalium medicorum more quas oculorum affectiones quodque enumeratorum ſoluat explicet, neque Empiricorum modo ſymptomatum concurſus(*συνδρομὰς* vocant Græci) perſequatur. Cæterùm ex aphoriſmis hoc modo ſcriptis vtilitatem capiemus, ſi affectus in quibus meraca potio, aut balneum, atque deinceps enumeratorum quodque cõueniat exquiſiuerimus:quod ipſe aliquãdo feci. Nam quoſdam omninò eſſe oculorum dolores, quorum nonnulli meraci vini potione, alij balneo iuuarentur fiſus Hipp.auctoritate mihi facilè perſuadebam(neque enim iſtud ſcripſiſſet, niſi ipſe vidiſſet) quum tamen à nemine præceptorum tale aliquod remedium dolentibus adhiberi ſpectaſſem. Quum itaque affectiones omnes quæſi-

uiſſem, propter quas non in oculis modò, ſed in aliis etiam partibus dolores excitari ſit neceſſarium, ratus poſtea inueniſſe me, indè ipſarum notas & indicia conſyderabam: quibus confiſus, tum demum dolentibus auxilia adferre non dubitaui. Atque imprimis iuuenem quendam laui, cui medicus, qui eius curationem ſuſceperat, non abſq; ratione ſecundo ab initio morbi die venam ſecuit, deincépſque curauit medicamẽtis quæ experientia cõuenire didicerat, ſola inflammatione oculos obſidente. Cruciabatur autem per quoſdam circuitus & paroxyſmos vehementiſsimè, quibus ipſas acres humores confertim affluere in oculos ſentire ſe dicebat, quibus poſtea excretis dolores ſedabatur vehementia, non tamen dolore omnino vacabat: & hoc ipſi quinto quoque die toto accidebat ſemper magis magíſque inualeſcens. Quum igitur dolorem diutius ferre non poſſet, me & quendam ex oculariis medicis qui tum Romæ erant, celeberrimum accerſiri iuſsit. Huic itaque videbantur vtendum eſſe collyrio quopiam emplaſtico, & anodyno: cuiuſmodi ſunt quæ ex ceruſſa lota, amylo, & papauere comparantur. Nam ſic maximè poſſe reprimi per

emplaſt

emplaſtica id quod influebat, ſimúlque ſenſum ſtupefieri per narcotica ſperabat. Ego verò ab initio ſuſpecta habui talia medicamenta. Neque enim vehementes fluxiones reprimunt, ſed ne excernantur prohibent. Atque ideò ſi quidem acres ipſi extiterint, corneam exhulcerari accidit: ſi verò multi, diſtendi & irritari vehementer quaſi rumpatur euenit. Quibus fit, niſi medicamentum ſit vehementer narcoticũ, id eſt magnopere ſtupefaciat, vt dolores intolerabiles excitentur, ſi verò adeò ſtupefaciat, vt oculi vel maximam inflammationem nõ ſentiant, tum viſoriam vim labefactari, ita vt poſtquam inflammatio ceſſarit, vel exiliter admodum, vel nihil omninò cernant: tum etiam affectionem quandam prædurarn in oculorum tunicis relinqui eſt neceſſe. Qui igitur iſta noſſem & afluentem humorem animaduerterem nõ paucum, valdéque acrem & calidum, primùm fomento vtendum cenſui tentandi atque experiundi cauſa, vt qui certius ita qualiſnam foret affectio intellecturus eſſem. Solet enim fomentum in his aliquantiſper dolorem lenire & mitigare, ſed alteram fluxionem euocat. Qua enim ratione valet contentum oculis humorem

digerere, eadem alterum poteſt ex vicinis partibus attrahere. Sed ſimul vt aquã calentem & ſpongiam adferri iuſsi, ipſemet ægrotus idem remedium in præſens quidem dolorem minuere, ſed paulò pòſt eundem amplificare ſæpius iam toto die expertum ſe eſſe dixit. Quæ quum audiuiſſem, ocularium illum medicum dimiſi, pollicitus me apud ægrum permanſurum, atque eum ſine vllo frigido medicamento dolore liberaturum. Protinus itaque ſolo balneo vſus ſic hominem dolore leuaui, vt totam noctem dormierit, nec eorum qui iuſtà dormiebant quenquam interpellauerit. Ab huius curatione in poſterum in quibus acres humores in oculos influere, necdum tamen plethoricum corpus eſſe ſignis quibuſdam & coniecturis deprehendi, balnei vſu omnes dolore liberaui. Sed & alterum quendam iuuenem, qui ruri procul vrbe plures iam dies ophthalmia laborauerat, poſteáque perſiſtente dolore in vrbem venerat conſpicatus ſqualentibus oculis, & ſupra modum tumentibus in ipſis venis & ſanguine refertis, iúſsi vbi lauiſſet vino vti meraciore, atque ita dare ſe ſomno. Itaque ſomno graui oppreſſus eſt, atque manè omnis ex-
pers

pers doloris ſurrexit, mihíque confidentiam attulit, in quibus ſanguis craſſus oculorum venulas diſtenderet nulla toto corpore affectione plethorica, vtendi vini potione, quod quidem & attenuare & vacuare, & motus vehementia obſtructiones liberare poſsit. Atque hæc ſunt oculorũ doloris remedia agonoſtica. Ad ſecuritatem autem & certitudinem adhibetur fomentum, aliquam omninò vtilitatem adferens vel vt ſignum ad dignotionem, vel tanquam cauſa valetudinis oculorum effectrix. Quum enim nihil omninò influit amplius in oculos, adhibitum fomentum in ipſis contentum humorem ſuperfluum digerit atque ita ipſis ſanitatem reſtituit: vbi verò adhuc influit, ad primam admotionem ipſo ſolo calfactu doloris leuationem aliquam breuem adfert, ſed paulò pòſt dolorem amplificat, atque tum demùm fit diagnoſticum ſignum, vnde affectu intellecto ad aliquam totius corporis vacuationẽ peruenimus. nam ſi plethoricum corpus fuerit, per phlebotomiam, ſi cacochymum per purgationem peccantis humoris vacuationem moliemur. Neque enim difficilis res eſt cacochymiam diſtinguere à ſanguinis plenitudine.

XXXII.

XXXII.

Τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιϛα ἁλίσκονται μακρῆς.

Balbi lõgo alui proſluuio maximè corripiũtur.

Quemadmodum * ψελλίζεσθαι linguæ eſt vitium non vocis, ſic etiam τραυλίζειν, quum ſcilicet lingua eas voces articulatè proferre non poteſt, quę per t & r ſcribuntur, qualis hæc ipſa eſt traulosis, & aliæ ſimiles, trepidat, tremit, tragula, trochus, triticum, & id genus aliæ. Hæ ſiquidem omnes dilatata & ad primores dentes affirmata egent lingua. In quibus igitur ipſa imbecillior eſt & infirmior, malè affirmatur & ſonum quem t & r edunt articulatè efferre nequit, ſed in ſonum quem t & l reddunt degenerat. Poteſt etiam id vitij accidere, quia lingua ſit quodam modo breuior quàm conueniat, quod fit admodum raro. Sed & quia molliore & humidiore ſit temperamento accidit balbuties: quam ob cauſam pueri balbutiunt haud diſsimili in ipſis euentu atque ambulando fit. Nam ex his nonnulli nullo pacto incedunt, alij verò inceſſu ſunt parum firmo, tibiis præ mollitudine titubantibus & vacillantibus. Quinetiam viris nonnullis, quum diſputando defeſsi fuerint, balbutire contingit, vt & iis qui longo

**Traulus qui certam quandã literam proferre nõ poteſt. Pſellus qui literam aut ſyllabã pronunciãdo præterit. Iſchophonus cui lingua titubat, & inter loquendum hæret, nec ſyllabã ſyllabæ præproperè connectere poteſt. Quæ tria linguæ impedimẽta videtur intelligere Hip. traulosews nomine.*

longo tempore tibias inflarunt, & quibus ex morbo fractæ ſunt vires & acciſæ: nonnullis etiam lingua vehementer exiccata & arida. Verùm tanta ſiccitas nemini, qui quidem ſecúdum naturam habeat, adeſſe poteſt. Atque ideo ſolius humiditatis immodicę ſymptoma eſt in naturâ balbis illud linguæ vitium, ipſius muſculis vtpotè infirmis ſtabiliri non valentibus. Hoc autem ipſi vel propter propriam, vel neruorum quos à cerebro accipit imbecillitatem accidere poteſt. Vnde fit vt ebrij quoque interdum balbutiant, tum quia ipſis cerebrũ multa humiditate permadeſcit, tũ quia ipſius prægrauatur copia. Sic igitur vſu veniet natura balbis, vt vel cerebrum humidum habeant, vel linguam, vel vtrunque. Atque cerebro quidem talem temperationem ſortito, humidorum excrementorum copiam ex eo defluere par eſt, atque ea ſuſcipere ventriculum, indéque longis alui profluuiis hominem corripi eſt veriſimile. Ipſa verò lingua præhumida naturâ, ventriculum quoque talem eſſe rationi eſt conſentaneum, vtpotè qui tunicam alteram habeat cum lingua communem, quæ propter humiditatem imbecillitate laborat. Ventriculi verò familiaris affectio, diuturna diarrhœa.

XXXIII.

XXXIII.

Οἱ ὀξυρεγμιώδεες οὐ πάντη πλευριτικοὶ γίνονται.

Qui acidum ructant, non admodum pleuritici fiunt.

Oxyregmiωdeis, id eſt acidum ructum habentes rarò pleuritide corripi tradit. Nam illud, Nō admodum id quod rarò, non quod nullo modo vſu venit ſignificat, vt quidam libri interpretes árbitrati ſunt. Nos verò quũ de pleuritide ageremus, eam quę cum pallidis & flauis ſputis eſſet, ex bilioſis humoribus ortũ habere: & quæ cum ſpumoſis, ex pituitoſis: quemadmodũ & quæ cum nigrioribus, ex melancholicis: & quæ cum rubris, ex ſanguine fieri oſtēdimus. Eſt enim inflammatio membranæ coſtas ſuccingentis, pleuriticorum affectus. Quũ verò inflammatio omnis ex redundante fiat humore quopiã, pro eius natura tum ſputi ſpecies pleuriticis ſuperuenit, tũ ſalutis aut mortis expectatio. Non ſimiliter autē membranæ & pulmo ſuſcipiendis humoribus ſunt nati, denſa ſiquidem eſt membranarũ natura, pulmo verò omnē in partē rarus & laxus. Quare & facilè omnes ſuſcipit, mēbrana verò ſuccingens bilioſos potius admittit. Ob hanc igitur cauſam qui naturâ abundant

dant pituita, rarò pleuritide laborāt, præſertim ſi ſalſitudinem aliquam & acrimoniā acquiſiuerit. Talis enim pituita mordens inteſtina ad deiectionem ſtimulat. túmque non ſolam pituitam vacuari, ſed vnà cum ea alia etiam multa excrementa deiici contingit. Sed ipſe in libro etiam de aquis, locis, & aëre minimè pleuritidi aliiſque morbis obnoxios eſſe dicebat eos, qui aluum natura humidam haberent.

XXXIIII.

Ὁκόσοι φαλακροὶ, τούτοισι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται· ὁκόσοισι δὲ ἂν φαλακροῖσιν ἐοῦσι κιρσοὶ ἐπιγένωνται, πάλιν οὗτοι γίνονται δασέες.

Qui calui ſunt, iis varices magni non fiunt: quibus verò caluis exiſtentibus varices ſuperueniunt, ii rurſus capillati fiunt.

Quū inter ſcripta prudentis cuiuſpiam viri oratio inuenitur euidenter falſa, meritò lectores hęrere & addubitare accidit, ac primùm quidem ſibi ipſis diffidere, tanquam ea non aſſequantur quæ etiam ſint manifeſta: deinde verò ſuſpicari nunquid eorū quæ ſunt propoſita falſum ſit. Quis enim ignorat caluitium affectionem eſſe inſanabilem? Sed neque verùm, magnos varices caluis nūquam ſuperuenire, ſicuti neque varicibus ortis caluitium ceſſare:

niſi fortè, vt nonnulli aiunt, appellatam medicis madaroſin, id eſt capillorum defluuium, caluitium nominet. Hæc enim quum à vitioſis humoribus ortũ habeat, vt & ophiaſis & alopecia dicta, iiſdem ipſis prauis humoribus in crura tranſlatis varices facere & capillos recuperare & recipere poteſt. Nam ſi priùs à vitioſis humoribus capillorum corruptis radicibus, eorum fiebat iactura, meritò nunc iiſdem aliò migrantibus, ad naturalem ſtatum capilli reuertentur.

XXXV.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγινομένη, κακόν.

Hydropicis tuſsis ſi ſuperueniat, malum.

Tuſsis morbi magnitudinem ſignificat, vt vrina etiã vehemẽter tincta.

Morbis alios morbos & ſymptomata ſuperuenire veteribus medicis moris fuit dicere, quæ ipſius morbi augeſcentis ratione accidere ſolent. Talis enim eſt Praxagoræ liber de ſuperuenientibus. Sic etiã nunc de tuſsi dixit Hippocr. Neque enim quum alia occaſione fit hydropico tuſsis, ſignum eſt exitioſum, ſed quum morbi ratione. Vbi enim in tali affectione aquoſa humiditas in tantum creuerit, vt aſperas arterias iam occupet, deinde tuſsis ſuperueniat, periculum ne haud ita multò pòſt homo ſuffocetur, imminet.

XXXVI.

XXXVI.

Δυσουρίην φλεβοτομίη λύει· τέμνειν δὲ τὰς ἔσω.

Difficultatem vrinæ phlebotomia ſoluit: ſecare verò interiores.

Hic aphor. habet 7. aphor. 49. et 2. epid. sect. 6.

Sed neque ſana eſt hæc dictio, niſi particulam etiam aſſumpſerit, vt aphoriſmus talis ſit, Difficultatem vrinæ etiam phlebotomia ſoluit. Nam reuera ſectio etiam venæ ſoluit dyſuriam: eam videlicet quæ propter inflammationem & plenitudinem facta eſt. Illud verò, ſecandas eſſe interiores, ſi de manuum venis dicatur, verum non eſt, neque Hippocrati conſeſſum. Siquidem in omnibus ſuis ſcriptis, partibus iis quæ ſupra iecur ſunt affectis, ex manibus ſanguinem mittere, inferiorum verò partium morbis, poplitis & malleoli venas pertundere iubet. De quibus ſi quis ipſum illud dixiſſe arbitretur, ſecare autem interiores, parui id eſt momenti. Ab vna enim eadémque vena vtraque tam interior quàm externa naſcitur in poplite trifariam diuiſa, quia vnica etiam vena ad hoc membrum peruenit, non ſicuti in manum, duæ. Melius itaque fuerit hunc etiam aphoriſmum inter aſcititios habere.

XXXVII.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα γενέσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

Angina correpto ſi tumor appareat in collo, bonum: foras enim morbus exiſtit.

Vera eſt oratio, & cauſa manifeſta. Siquidē ex profundis & principalibus partibus morbos ad cutē transferri vtile eſt.

XXXVIII.

Ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκίνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον· θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως, μὴ θεραπευόμενοι δὲ, πολὺν χρόνον διατελοῦσι.

Quibus occulti cancri adſunt, non curare melius. Curati enim citius intereunt, non curati verò longius vitam trahunt.

Occultos cācros dixit vel qui ſunt ſine vlceratione, vel latentes, hoc eſt non apparentes: quod rurſus idem ſignificat, ac ſi dicatur, qui in alto ſunt corpore. Sed & curatio duplex eſt, vna, nihil non agere vt particula laborās ad ſanitatem perducatur: altera verò, eam præmeditari & prouidere curationem quæ affectui congruat, id eſt ipſum demulceat & mitiget, præſertim ſi coniunctam habeat exulcerationem. Tunc enim ſi non aliud, at certè ſaniem abluere humido quopiam eſt neceſſe,

neceſſe, non quocunque, ſed quod per experientiam aut indicationem nec putrefacere, nec irritare partem affectam compertum habeatur. Ab hac igitur curatione abhorrere aut abſtinere non conuenit: neque qui ſine vlceratione ſunt cancri ea egent. Alteram verò, quę ſecando & vrendo fit (quæ ſola ſunt cancro facto comparata remedia) ne in cancris occultis adhibeamus conſuluit. Quòd enim qui in profundo latẽt, eiuſmodi curationi non cedant, docet etiam experientia. Quotquot ênim cancros eiuſmodi curare ſunt aggreſsi, magis irritaſſe, breuíque homines necaſſe ſcio. Nam & qui cancrum in palato ortum, & qui in ſede & ſinu muliebri ſecuerũt, aut vſſerunt, vlcera ad cicatricem perducere non potuerunt, ſed homines affligente curatione ad mortem vſque excarnificarunt: qui citra curationem longiore tẽpore vitam cum minore moleſtia exegiſſent. ad eiuſmodi igitur cancrorum ſanationem nullo modo aggredi oportet. Ex iis verò qui ſumma parte corporis cõſiſtunt, eos ſolum curare tentandum eſt, quos vnà cum ipſis, vt ſic loquar radicibus excindere & extirpare penitus licet. Nihil enim vetat veluti radices quaſdã venas eas appellare quæ ple-

næ melancholico ſanguine vſque ad partes vicinas pertinēt. Multi enim non infimi nec contēnendi medici ne hoſce quidē chirurgia curari ſinūt, ſed eos tantùm qui exulcerati, tum laborātes vexant adeò, vt ipſi vltrò manū admoueri deſyderēt, tum in iis ſunt partibus, quas vnà cum radicibus excindere & vrere poſſumus. Quidam verò neque hos extirpari permittūt, ſed omninò abſtinēdum in omni cancro remediis agoniſticis, id eſt profligantibus conſulunt. Hippocrates certè quidē quòd cancros in alto corpore deliteſcentes non ſemper agoniſticè curandos eſſe ſuaſerit, ex ipſa affectionis natura coniectare licet: an verò eos etiam qui ſumma corporis parte ſine vlceratione conſiſtunt, quantum ex aphoriſmi dictione coniici poteſt eſt incertum. quem quidem aphoriſmum Artemidorus & Dioſcorides ſcripſerunt vſque ad ea verba, Non curare melius.

XXXIX.

Σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος· οὕτω δὲ καὶ λυγμός.

Conuulſio vel à repletione, vel vacuatione fit. ita verò & ſingultus.

Cōuulſio, (vt & ipſum nomē indicat) vulſis fit ad propria capita muſculis, vel vt apertius dicam, reuulſis: qualis ipſis etiam

etiam ſecundum naturam motus eſt: ſed hic ſine animalis ciente & impellente virtute non fit: conuulſio autem motus eſt inuolutarius: in quo ad ſimilem neruoſæ partes affectionem deueniunt, quam etiam in rebus externis fieri videmus. Nam in ſpaſmo a repletione idē fit quod aëris ambientis. ſtatu ſupra modum humido fidibus accidit. Nam humore nimio imbutæ ſæpè rumpuntur. Sic etiam fit ſicciore cœli conditione. Nam in ſeipſa coguntur & cōuelluntur omnia corpora neruoſa violentius exiccata, veluti quæ ad ignem diu excalfacta ſunt lora, & quæ ſimiliter ſol æſtiuus exiccauit. Conuulſio igitur meritò à contrariis fit cauſis. Singultus verò tantiſper concedatur ſtomachi conuulſio dici, dum aliud erit orationis propoſitum. Quum verò in hoc ſolum incumbemus vt affectionis huius eſſentiam intelligamus, præſtiterit fortaſſe non conuulſionem appellare, ſed quandam motionem, quæ ſit in eodem cum vomitu genere, ſed eo fortior & vehementior. Nam quum quid in ſe contentum ſtomachus expellere appetit, ad duo ſymptomata incitatur, vnum quidē vehementius in ſingultibus, alterum moderatius in vomitionibus. Siquidem per

vomitus ea tantum quæ ventriculi capacitate continentur propellere & ſummouere: per ſingultus verò etiam ea quæ in ipſius ore penitùs inſederunt exigere conatur. Stomachum nunc mihi intellige non ſolùm ipſum quem propriè appellãt, ſed etiam ventriculi os. Nam in hoc contenta dum appetit ventriculus expellere ſingultus fieri ſolet. Iam verò quòd difficulter & ægrè excernendorũ & veluti altius imbibitorũ in ore ventriculi ſit quæ per ſingultũ fit excretio ex iis licet diſcere quæ quotidie omnibus ferè vſu veniunt magis minúſve. Siue enim ſolũ quid acre veluti piper deuorauerint, ſiue cum melle aut alio quopiam, poſteáq; vinum ſuperbiberint calida temperatum protinus ſingultiunt: potionis quidem calore piperi viam in profundum præeunte, ſua verò acrimonia pipere ventriculum moleſtia afficiente. vnde ipſe violentiore motu id quod moleſtum eſt exigere & expurgare conatur.* Nam in lib. de ſymptomatum cauſis & tuſsim & ſternutationem & rigorem de talium motionum numero eſſe demonſtrauimus.

** Fit etiã ſingultus nimia copia, corruptione cibi, & perfrigeratione oris ventriculi, vt in pueris ſæpè fit.*

X L.

Ὀκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίνονται ἄτερ φλεγμονῆς, τουτέοισι πυρετὸς

γετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸν πόνον.

Quibus ad hypochondrium dolor eſt ſine inflammatione, iis febris ſuperueniens dolorē ſoluit.

Sequitur & morſum dolor: ſed conſueuêre morſus nomine non doloris talia ſymptomata appellari. Fit etiam dolor propter quādam phlegmonode affectionem. Sic autem appellata eſt, quia eryſipelata etiā dodor comitatur. Quum igitur neque ob talem aliquam affectionem hypochondrium dolor habuerit, & morſus ſenſus abfuerit, ſupereſt vt dolor vel propter obſtructionem, vel ſpiritum flatuoſum, vel inæqualem aliquam intemperiem fiat: quæ omnia febrilis calor ſuapte natura ſanare poteſt: illa quidem incidens, extenuans, & diſſoluens, hanc verò ad temperationis æqualitatem reuocans.

XLI.

Ὁκόσοισι διὰ πύον τι ἐὸν ἐν τῷ σώματι μὴ διασημαίνει, τουτέοισι διὰ παχύτητα τοῦ πύου ἢ τοῦ τόπου, οὐκ ἀποσημαίνει.

Quibus in corpore pus nullam ſui dat ſignificationem, ob craßitudinem ſui aut loci non ſe prodit.

Bifariam ſcribitur aphoriſmi dictio, & bifariam ipſam interpretantur, & vtraq; tam dictio, quàm interpretatio habet rationem. Nam & propter puris, & loci

craſsitiẽ ſæpè occultatur puris loco quopiã contenti notitia. Meritò igitur ſcripſerunt nonnulli, His ob loci denſitatem, indicationem non edit. Alij verò, His propter puris craſsitudinem non innoteſcit.

XLII.

Phlegmone ad tactum renititur, ſcirrhus manifeſtè durus eſt.

ΕΝ τοῖσιν ἰκτερικοῖσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γενέσθαι, πονηρόν.

Regio morbo laborantibus iecur durum fieri, malum.

Indicat enim tum durities phlegmone aut ſcirrho obſeſſum viſcus eſſe. Etenim ſine hac, poteſt etiam propter eiuſdẽ obſtructionem icterus accidere: poteſt & critico modo natura redundantem in venis humorem ad cutem protrudente.

XLIII.

ΟΚόσοι σπληνώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγενομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται.

Qui lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur, ijs ſuperuenientem longam dyſenteriam aqua inter cutem aut inteſtinorum læuitas excipit, & moriuntur.

Huic præfigi oportuit aphoriſmum illum in quo ait, Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum. Verùm is in ſequentibus poſt alios quatuor inter-

medios

medios ſcribitur, ſed ipſius hoc loco no-
bis eſt f. cienda mentio. Nam qui lienoſi
ſunt, hoc eſt quibus longo tempore lien-
obdurnit, his interueniens inteſtinorum
difficultas, affectionem ſoluit, duntaxat
quantum ratione translationis & vacua-
tionis humorum craſſorum & melancho
licorum in liene infarctorum effectum
it. Sed quoniam ſæpè eiuſmodi vacuatio-
nes ſupra modum protractæ ægrotantes
affligunt, decenter Hippocra. quem exi-
tum immoderata dyſenteria talibus ſu-
perueniens affectionibus habere ſoleat,
declarauit. Malè affectis enim & labefa-
ctatis inteſtinis prauorũ humorũ tranſi-
tu, tum vires ipſorum laborant, tum pe-
rit caloris natiui ſymmetria, propterea &
aqua inter cutem & læuitas inteſtinorũ
ſuperueniunt: inteſtinorũ quidem læui-
tas ſolo inteſtinorum vitio, aqua verò in-
ter cutem propter iecoris & lienis & to-
tius generis venoſi conſenſum.

XLIIII.

Ὁκόσοισιν ἐκ ϛραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγίνεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ.

Quibus à ſtranguria ileus ſuperuenerit, intra ſeptem dies moriuntur, niſi febre ſuperueniente copioſa vrina fluxerit. uide t. 30. lib 3. de morbis.

In

In ileo nihil infernè deiicitur, ne ſi acriore quidem vtaris clyſtere ſtercoris verò vomitus interuenit iis qui exitialiter laborant. Quòd igitur intercluſo inferiore tranſitu, in tenuibus inteſtinis & non craſsis hic morbus fiat omnibus ferè confeſſum eſt. Quinetiam propter inflammationem & obſtructionem vel ſicci ſtercoris, vel craſſorum & viſcidorum humorum fieri dixerunt nonnulli. Mihi verò videtur etiam inflammatio, vel ſcirrhus, vel abſceſſus tantam poſſe facere coarctationem, vt nihil infernè peruadat. Quòd autem humores craſsi & lenti in cauſa eſſe poſsint, non admodum mihi probabile videtur: verùm hoc etiam ſi placet ponito, & ſi quid aliud præterea dixerint. Illud verò, quod aphoriſmorum interpretibus ferè omnibus viſum eſt, nullam prorſus mihi veriſimilitudinem habere videtur. Aiunt enim veſicæ inflammatione anguſtiam viæ in quibuſdam inteſtinis ex compreſsione factam, affectum ileum afferre. Ego verò complures per totam meam vitam vidiſſe videor, alios quidem periclitari tantùm, quoſdam verò mori etiam ex ſuppreſsione vrinæ, omnibus tunc luculenter ſecundũ propriam circunſcriptionem maxima apparẽte ve-

ſica

ſica, adeò vt extremè diſtenderetur, & ob
eam vt par eſt tenſionem doleret: quorũ
tamen nullus ileoſus factus eſt. Quî igi-
tur credas ob veſicæ inflammationẽ com
preſſo & coarctato inteſtino fieri aliquan
do ileum, potius quàm vteri tumore præ-
gnationis tempore? Atqui vſque ad hypo
chondria eius tumor pertinet, atque ma-
gis premere tenuia inteſtina & coarctare
poteſt: veſica verò in tumorem ſublata, ſo
lum poteſt rectum premere inteſtinum.
Abſurdius etiam nonnulli dicunt, nempe
ſuperueniente febre iuuari ileum. Febris
enim eiuſmodi propter aliquam meritò
veſicæ inflammationem fit, quæ quanto
maior fuerit & vehementior, tanto illam
quoque magis augeri par eſt, vt potè quæ
ſit inflammationis ſymptoma. Ileus au-
tem vt ipſi aiunt ex inflammatione ortũ
habuit, & vnicam ſolutionis ſpem habet
inflammationis remiſsionem & ceſſatio-
nem, qua cum febrem quoque vnà miti-
gari eſt neceſſarium. Signum igitur bo-
num erit ſolutionis cruciatuũ quos ileus
adfert, febris vel mitigata, vel ſoluta: non
etiam bonum ſignum, aut cauſa bona,
ipſa vel ſuperueniens vel aucta. Eos enim
ſolos morbos à febribus iuuari nouimus,
qui refrigeratione conſtant, aliâs ſola,
aliâs

aliâs cum crudis humoribus & pituitoſis, aut ſpiritu flatuoſo. Quomodo igitur accipienda ſint quæ hoc aphoriſmo Hippocrati ſunt dicta ignorare nos præſtat fateri ingenuè. neque enim ratio veritatem eorum demonſtrat, neque docet experientia: aliud tertium non habemus ad rei probationem. An talis nunquã ægrotus Hippocrati viſus eſt, aut alteri cuipiam? neque enim an germanus ſit hic aphoriſmus dicere poſſum. Quare multitudinem crudorum & craſſorũ humorum vnà cũ vehementi refrigeratione ſuppoſitare ſatius eſt dictorum ſymptomatum cauſam eſſe, ita enim ſola & febris fuerit affectionĩ remedio, & retentæ vrinæ vacuatio. Sic enim conſueuit craſſa & multa & conferta vacuari, quum craſsi illi & crudi humores fuerint concocti.

X L V.

Ἕλκεα ὁκόσα ἐνιαύσια γίνεται, ἢ μακρότερον χρόνον ἴσχουσιν, ἀνάγκη ὀστέον ἀφίστασθαι, καὶ τὰς οὐλὰς κοίλας γίνεσθαι.

Si vlcera annua aut etiam diuturniora fiant, os abſcedere neceſſe eſt: & cicatrices cauas fieri.

Vlcera quæ veteraſcunt vel cicatrice ipſis nullo modo obducta, vel ſi obducta ſit, rurſus reſoluta, ea (modò nihil in curatione peccẽt medici) vel propter affluẽtiam

tiam vitioſorum humorum, vel propter affectionem in ipſa parte temporis diuturnitate ex humorum affluentia contractã, vel ob aliquod oſsis vitium eo loco corrupti, ægrè ſanabilia euadere eſt neceſſe. Cætera verò vlcera ſemper maiora ac deteriora fiunt: atque vniuerſum eorum genus phagedænas, quaſi exedentia dicas vlcera, veteres appellabant. Quidã verò poſtea diſtinguere aggreſsi ſunt propria cuique appellatione indita, Chironita nonnulla, Thelephia alia, quædã phagedænas nuncupantes, aliáſque nimis curioſas appellationes proſequentes. Nobis verò ſatis fuerit, ex iis quæ circũſtantis loci partem aliquam occupant, alia herpetas nominaſſe, quum in ſuperficie aut cute etiam ipſa conſiſtunt: alia verò phagedænas, quæ carnem etiã ſubiectam corrumpunt. Quod enim putridum & depaſcens à nonnullis vlcus dicitur, non eſt propria quædam vlceris differentia, ſed affectus ex vlcere & putredine complicatus. Quin abſque etiam vlcere putredinem ipſam per ſe multis corporis partibus conſiſtere nouimus. Quoddam etiã vocatur carbunculus, vlcus cruſtoſum cum magna partium vicinarum inflammatione. Hæc igitur propriam ſortita ſunt appellationem

nem

nem Carbunculus, Phagedæna, Herpes. Quæ verò vlcera ſine dictis ſymptomatis ipſa per ſe fiunt, ſolebant veteres vlcera tantùm appellare: de quibus Hippocrati nunc eſt ſermo, in quo quę eiuſmodi ſunt vlcera in longius tempus excurrere docet. Sed ipſa etiam rationi experiētia ſuffragari videtur. Multa enim ſæpe eiuſmodi vlcera ad cicatricem perducta, non ita multò poſt rurſus inflammari, & cicatrice ſoluta rumpi ſunt viſa, id autem fit talem aliquam ob cauſam. Quum adhibitis medicamētis caro oſsi affecto ſuperpoſita ſiccata duxit cicatricem, ſanitas eueſtigio reſtituta eſſe videtur: ſed rurſus ex oſſe altius vitiato ichore quopiã paulatim affluente, iterũ oboritur inflãmatio, & puris ſubſequitur generatio, à quo cicatrix eroditur & caro exhulceratur. Quænam igitur eſt talium vlcerũ curatio? non profectò alia præter eam quam lib. de vlceribus tradidit, & nos tertio therapeuticæ methodi explicauimus. Exiccari enim poſtulant omnia vlcera, præcipuè verò ea in quibus os affectum eſt. Finis verò ſiccandi eſſe debet, ſi pars eius * affecta abſceſſerit. vnde meritò in tantum cauas cicatrices fieri accidit, quantam abſceſſus profunditatem habuerit.

** Os quatenus corruptũ eſt, eximi debet.*

XLVI

XLVI.

Ὁκόσοι ὑβοὶ ἐξ ἄσθματος ἢ βηχὸς γίνονται πρὸ τῆς ἥβης, ἀπόλλυνται.

Qui gibbi ex aſthmate aut tuſsi ante pubertatem fiunt, ſtatim moriuntur.

ὑβοὺς & κυφοὺς appellare ſolet Hippocra. quos nunc omnes κυρτοὺς, id eſt gibboſos vocant. Nam reuera ipſis ſpina à tergo extuberat. κυρτῷ enim oppoſitè dicitur κοῖλον, quaſi dicas cõuexo cauum: At ὑβῷ & κυφῷ τὸ λορδὸν, quaſi extuberanti excauatum. Cæterum hæc nomina de ſola ſpina, illa verò de omnibus Græci efferunt. Quo modo autem cyphoſis fiat, ipſe explicuit lib. de articulis, quemadmodum etiam quo modo lordoſis & ſcolioſis & ſeiſis fiant. Hæc enim propria ſunt & præcipua ſpinæ vitia: quæ quidem ſi quis intelligere velit, ea quæ eo libro ſcribuntur diligenter legat. Nunc verò quantum ad præſentis aphoriſmi explicationem attinet, dicturi ſumus. A tergo ſpina extuberat & gibbera fit aliquando propter ictũ aut caſum, fit etiam propter tubercula quædam dura, quæ parte interna conſiſtunt: à quibus ſi quando vna vertebra prorſum trahatur, ea parte ſpinę lordoſis, id eſt excauatio fieri ſolet, quemadmodum etiam ſi plures deinceps ſeſe conſe-

quentes introrſum obtorqueátur. Quòd ſi tractæ vertebrę non fuerint inter ſe cõtinuę, tum cyphoſis id eſt extuberatio fit tantum partibus ponè cedẽtibus & extuberantibus, quantum tractæ vertebræ introrſum flexæ fuerint & adductæ. Hoc enim in omnibus flexilibus & lentis, quũ modicé extrema inflectuntur cernere licet, veluti calamis, viminibus, virgis & aliis eiuſmodi. Atque de his quidem copioſius in expoſitione lib. de articulis diximus. Nunc verò ante pubertatem ὑβωθέντας, id eſt eos quibus introrſum flexa ſpina ponè extuberat ex aſthmate & tuſsi citò interire dicit. Neque enim in his pectus vult, vt ipſe ait, vnà cum aliis augeri, atque ideo magna anguſtia premuntur inſtrumenta reſpirationi ſeruientia. Omnium porrò qui ſponté gibbi facti ſunt, hoc eſt quibus ſine ictu vel caſu ex alto ſpina deprauata eſt, commune exiſtit quòd tales propter dura tubercula vel coctu difficilia euaſerint. Sed quum magna ſit inter tubercula pro tumore, & duritie & loco in quo conſiſtunt differentia, quæ quidem ſimul dura ſunt & magna protinus anhelatores & ſuſpirioſos homines efficiunt: quæ verò de ſua humiditate aliquid in aſperas dimittunt arterias, tuſsiculoſos

culoſos faciunt. Cæterùm quæ de ſua humiditate aliquid tranſmittunt, exactè dura non ſunt, atque ideo vt ſuppurent tandémque hominem ſuffocent eſt neceſſe: quæ verò nihil tranſmittunt, ortum ex craſsis humoribus habent, atque ob id düra ſunt & cruda, longóque tempore citra ſuppurationem manentia hominem viuere ſinunt. Contrà verò quę cum tuſsi ortum habuerunt, ad ſuppurationẽ properant, atque ideò ſunt pernicioſa. Similiter & quæ cũ difficili reſpiratione fiunt, iis qui adhuc creſcunt mortifera exiſtũt. Vel enim hæc magna eſſe oportet, vel in pectoris loco iniuriæ valdè opportuno. Quum igitur vnà cũ corde pulmo in talibus augeatur, & ſpatium continens minuatur (coſtis vtpotè non creſcentibus ſed propter gibbum arctatis totũ pectus ſtrictius & anguſtius efficientibus) tantã breui ſpiritus difficultatem fieri eſt neceſſe, vt homo ſuffocetur & pereat. Nam ſi gibboſitate nondum ſuperueniente, propter ſolos pręter naturam tumores ſpirandi difficultate laborabât, quid fore putandum tuberculis temporis ſpatio auctis, pectore verò ſtrictiore reddito? Porrò autẽ quum multæ ſint ſpirandi difficultates, conſtat Hippocra. ſolam eam aſthma ap-

pellare ſolere, in qua frequentiorem & crebriorem reſpirationem fieri contingit. Siquidem ita homines etiam nūc in curſibus & vehementioribus exercitationibus τὸ ἀσθμαίνειν, id eſt anhelare dicunt. Qui verò poſt Hippocratis ætatem fuêre, affectum etiam quendam diuturnum alij ſimpliciter aſthma, nonnulli orthopnœā appellarunt, quum continenter citra febrem ægroti ſpiritum ægrè ducunt.

XLVII.

Ὁκόσοισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη ξυμφέρει, τουτέους προσῆκον τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν, ἢ φαρμακεύειν.

Quibus venæ ſectio aut purgatio prodeſt, his vere ſecanda vena eſt, aut purgatio imperanda.

De iis, qui integra adhuc valetudine poſtea ſunt ægrotaturi, niſi vacuentur, Hippocrati nunc ſermonē haberi liquet. Horum enim vere ineunte anticipāda eſt vacuatio vel per phlebotomiā, ſi plethoricis morbis corripiantur, vel per purgationem, ſi morbis ſint ab humorum corruptione pendentibus obnoxij. Ita enim à morbis multos conſeruamus & incolumes tuemur, qui multos iam annos antea quotannis ægrotabant. Quin podagram quoque & arthritim adhuc incipientem, necdum in articulis callo, quem porum

Græci

Græci dicunt genito, per talem vacuationem multos iam annos fieri prohibuimus. Eodem modo ſanguinis excreationem, epilepſiam, melancholiam, apoplexiam, & alios huiuſmodi diuturnos morbos è multis hominibus dicta vacuatione ſuſtulimus. Phlebotomia igitur commune eſt ad plethoricos morbos auxilium: Purgatio verò, ſiquidem generatim exaudiatur, vnũ quoddam eſt contra morbos remedium, non tamen ſi ſpeciatim accipiatũr. Siquidem nonnullis pituitoſorum humorum, quibuſdam bilioſorum, aliis melancholicorum, & quibuſdam ſeroſi excrementi vacuatio conducit pro morborum quibus tentari conſueuerunt natura. Exempli gratia, quidam quotannis niſi purgetur laborat melancholia, & mira viſu res eſt, quo modo iam ipſe etiam incipientis morbi primam præſentiſcat generationem, méque protinus accerſi iubeat: quo melancholicis humoribus expurgato, e ueſtigio ceſſat melancholia, atque huic quidem ex purgatione hæc duo commoda eueniunt, vnum quòd expurgentur ſuperuacanea, alterum quia excretorum acrimonia recluſa paululum hæmorrhoïs mali ſanguinis aliquid ipſa etiam profundat. Nam quũ ſolennis ipſi

& conſueta ſit eiuſmodi excretio hæmorrhoïca,eius poſtea ſuppreſsione redundat melancholia. Ipſum itaq; non vere ſolùm ſed autumno etiam purgare ſoleo, quia ſi per hæc tempora propriæ aliquando purgationis anticipationem neglexerit,nonnulla ſentiat ſuperioris morbi ſymptomata. Sic mulierem etiam quandam,quæ cancroſum in mamma tumorem habebat, quotānis vere ineunte vacuans ſanaui, ſubinde forti pharmaco melanagogo vſus. quam quidem purgationem ſi quan do prætermiſerat, dolor ipſi profundus ſentiebatur, atque ita illico accerſitum me purgare ſe iubebat. Elephantiā quoque in altero incipientem, primùm phlebotomia & purgatione curaui, atq; huic quotannis purgatio vnica ſatis erat: quæ ſi quando negligeretur,protinus morbus indicationem ſui edebat, hominémq; inuadebat. Huiuſcemodi igitur morbi humorum melancholicorum egent purgatione, vt epileptici & aſthmatici, & apopléctici pituitoſorum: arthritici verò qui cum magno ſunt calore, bilioſorum: qui cum frigidis tumoribus, pituitoſorum purgatione gaudēt. Quidam etiam alius æſtiuo tempore ſemper tertiana corripi ſolitus,iam annos multos febrem non eſt

expertus

expertus, bile pallida per nos ſub veris finem præpurgata. Tum enim tales vacuari multò præſtat: quemadmodum epilepticos, apoplecticos, arthriticos & melancholicos & quotquot denique propter humorum craſsitiem ægrotant vacuari ineunte vere melius eſt. de quibus omnibus priuatim ſcripſimus in tractatu de iis qui verna vacuatione egent, qui quidem tractatus pars eſt totius commentationis, quæ de tuenda ſanitate inſcribitur.

XLVIII.

Τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγινομένη, ἀγαθόν.

Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniēs, bono eſt.

Hunc aphoriſmum paulò antè explanaui, quum de eo verba facerē, qui hunc in modum ſcribebatur, Qui lienoſi inteſtinorū difficultate corripiuntur, his longam ſuperuenientem dyſenteriam aqua inter cutem, aut læuitas inteſtinorum excipit & moriuntur. Quare nunc prolato in medium aphoriſmo interpretatione noua opus non eſt.

XLIX.

Ὁκόσα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμήναντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀποκαθίσταται.

Qui podagrici morbi fiunt, ſedata inflammatione intra dies quadraginta conquieſcunt.

Podagricorũ inflammationes fluxione fiunt in pedum articulos decumbente: quam quidem fluxionem primùm articulationum ſuſcipiunt ſpatia, deinde quę in orbem circunſtant omnia ad cutem vſq;. Quum verò articulationes repleri dicimus, liquet vincula in orbem ipſis circum poſita neceſſariò tendi. Neruos tamen & tendones inflammari podagricis non eſt veriſimile, ſed dolere ſolùm, quia ſimul cum articulationibus tendãtur, quod ex eo fit manifeſtum, quia podagricus cõnuelli nunquam viſus eſt, id quod frequentiſsimè in neruorũ & tendonum inflammationibus accidere ſolet. Alioqui curandi indicatio ipſis cõmunis eſt cum omnibus inflammatione laborantibus. Nã & digeri oportet quod in pedes defluxit, breuiore quidem tempore ſi tenuiore fuerit ſubſtantia: longiore verò ſi craſſa vel lenta: multóque longius tẽpus requiret, ſi ſimul viſcidum & craſſum fuerit, vltra dies tamẽ quadraginta nõ prorogabitur inflammationis curatio, ſiquidem & medicus ritè omnia gerat adminiſtrétq;, & ipſi æger in omnibus pareat. Nam quæ carnoſas partes occupat inflãmatio, mor-

borum

borum acutorum ſubiicitur termino, qui quartuſdecimus dies eſt, quandoquidem mollior eſt & rarior carnis ſubſtantia, quàm vinculorum & neruorum natura. Quamobrem tardius etiam vinculorum tendonum, & neruorum quum vulnerantur, natura inflammari incipit, & longiore ad inflammationis vigorem tempore peruenit, tardiúſque curatur. qua enim ratione vix in ſe aliquid humoris alieni admittunt, quia denſæ nimirum ſunt & duræ partes eiuſmodi, eadem hac ipſa ægrè quoque dimittunt. Quapropter Hippocrates podagricis inflammationibus terminum integræ ſolutionis nõ quartumdecimum diem, ſed quadrageſimum ſtatuit, quia tum contentam articulationibus humiditatem per media ligamenta articulos ambientia & firmantia vaporis in ſpeciem vacuari oportet, tum etiã infra ipſa ligamenta admiſſam. Meminit porrò etiam in prognoſtico diei quadrageſimi, vtpotè in quo morbi iudicantur, qui needũ ſunt exactè diuturni, acutorũ tamen ſuperarunt terminum. Nos etiam in commentatione de diebus decretoriis fuſiſsimè de his omnibus diſputauimus.

L.

OKόσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλ☉ διακοπῇ τ8-

τέοισιν ἀνάγκη πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίνεσθαι.

Quibus diuiſum eſt cerebrum, his febrem & bilioſum vomitum ſuperuenire eſt neceſſe.

Meritò febricitant cerebro vulnerato, ea ſcilicet ratione, qua membro quolibet principe inflammato febrem ſequi eſt neceſſe. Bilis verò vomitus fit, ventriculo propter ſocietatem quam cum cerebro habet per conſenſum affecto, ipſiúſque ore maximè, in quod ex cerebro coniugatio quædam neruorum maiuſculorum inſeritur. Sed aliâs etiam propter magnos dolores & vehementem mœrorem excrementum bilioſum conſueuit in ventriculum confluere, multóq; magis ſi ipſe imbecillitate laboret. Ad ea enim quæ infirma ſunt partium vicinarum feruntur excrementa, præſertim ſi tenui ſubſtantia conſtant, qualis eſt humor bilioſus, vnáq; cum eo quicquid eſt ſeroſi excrementi, quod per vomitiones bili ſæpè permiſcetur: ratóque admodum bilem ſincerã ſine excremento ſeroſo euomi cernere eſt. Quinetiam in benè valentibus bilioſiore præſertim natura præditis, vbi diutius cibo abſtinuerunt, tales ventriculus humores recipit, quod ipſius vellicatio, & vomitus oſtendunt. Nec verò cerebro ſolùm

vulner

vulnerato bilem vomunt, ſed dura etiam membrana ipſi circumpoſita, quæ multis partibus cum cerebro cohærens quàm citiſsimè ſua ipſi mala impertit. Quia verò Eraſiſtrati ſectatores meningas neruorũ principia ſtatuunt, ſolam vulneratã craſſiorem meninga talia propter ſuam ipſius naturam inquient adferre ſymptomata. Quòd ſi quando in cerebrum vulnus penetrauerit, ita etiam quoniam vtraque membrana illud prius exceperit, enumeratarum affectionum generationẽ ſequi contendent. Dixi autem ſectatores Eraſiſtrati iſthæc dicturos eſſe, & non ipſum Eraſiſtratum: quoniam iam ſenex (quo tempore ipſi de diuiſionibus libros ſcriptos eſſe aiunt) cerebrum pronunciauit neruorum eſſe principium. Dictum etiam eſt de his fuſius in commenta. de Hippocra. anatome.

L I.

ΟΚόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύναι γίνονται ἐξαίφνης ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται καὶ ῥέγχουσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ.

Qui valentes, capitis repentè doloribus corripiuntur, & protinus muti fiunt & ſtertunt, intra ſeptem dies intereunt, niſi febris interuenerit.

Mutos Hippocra. appellare ſolet, non quibus

quibus ſola ſit vox oblæſa, ſed per excellentiam quandam vnà cum huius noxa omnes voluntarias actiones nobis intelligendas relinquit: quibus vtique læſis ſenſus aliquando non perit. ipſe ſiquidẽ dicebat, Talibus interdum mutis accidere ſentientibus eſſe, ſæpe etiam ſenſu & motu priuari:qui affectus apoplexia dicitur, quæ duplex eſt, debilis vna, altera fortis. atque ideo ipſemet dicebat, Soluere apoplexiam fortem eſt impoſsibile, debilem verò non facilè. Nunc itaque fortis apoplexiæ notam appoſuiſſe videtur, ſtertere ſcilicet: quod etiam profundo grauíque ſomno oppreſsis accidit ſecundum affectionis ſimilitudinem. Quanquam enim non eodem modo fiunt ſomnus & apoplexia, habent tamen aliquid commune ad quod conſequitur ſtertor. id autem eſt imbecilla neruorum actio. Atque de his abundè egimus in cõmẽtatione ea quæ de locis affectis inſcribitur. Nunc verò, quod ſit ad aphoriſmi explanationẽ neceſſarium dicam. Quibus valentibus capitis derepentè dolor oboritur, eius rei cauſam maximè ad ſpiritum flatuoſum referre oportet ſed iam quoque ad materię cõfertim affluentis multitudinem, quam nunc in cerebrũ delatam fuiſſe ſymptomata

mata indicant, quæ dolorem ſunt ſubſequuta: quibus etiam ipſis pituitoſam quãdam materiam eſſe commonſtratur. atq; ideò febris ſuperueniens eam ſoluit affectionem, vt potè quæ tum ſpiritum illum flatuoſum, tum humores pituitoſos excalfaciat, attenuet, & reſoluat. id autem fit tribus nonnũquam diebus, aut quatuor, interdum etiã pluribus, non tamen vltra ſeptimum procedit diem, quia pars quæ laborat principalis eſt: eiuſmodi verò partes diuturnos ſimul & vehemẽtes morbos non ferunt, vt ſæpè nobis oſtenſum eſt.

L I I.

Σκοπεῖν δὲ χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. ἢν γάρ τι ὑποφαίνηται ξυμβαλλομένων τῶν βλεφάρων τοῦ λευκοῦ, μὴ ἐκ διαῤῥοίης ἐόντι ἢ ἐκ φαρμακοποσίης, φλαῦρον τὸ σημεῖον, καὶ θανατῶδες σφόδρα.

Sed in ſomnis etiam an de oculis aliquid ſubappareat ſpectare oportet. Nam ſi quid non exactè commiſſis palbebris de albo appareat, modò non ex alui profluuio aut medicamẽti potione accidat, malum ſignum eſt & valde pernicioſum.

Aut ob palpebrarum ſiccitatẽ aut propter virtutis ipſas mouentis imbecillitatem albi aliquid ſubapparet in oculis exactè claudi nõ valentibus. Ob hanc enim cauſam alui etiã profluuiis & medicamẽ-

torum potionibus de oculorum albo aliquid conſpicitur, quum dormiunt. Nam totum corpus exiccatur talibus vacuationibus & imbecillæ vires reddūtur. Siccitatis autē plus palpebris acquiritur, quia ipſæ ſunt ſiccæ naturâ. Quemadmodum enim exiccata coria ægrè extendūtur, eodem quoq; modo corporis partes ita affectæ. Quinetiā quòd viribus laborantibus & fatigatis non ſolùm oculos, ſed os etiā exactè claudere nequeant (vnde hiāte ore dormiunt) liquet vnicuique naturam rei diligentius conſyderare volenti.

LIII.

Αἱ παραφροσύναι, αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι ἀσφαλέστεραι· αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι.

Deliratio quæ cum riſu fit, tutior: quæ verò ſtudio adhibito, periculoſior.

Nulla deliratio tuta eſt, minus periculoſa quæ cū riſu fit. Etenim audax illa, vt ipſe appellat, & temeraria mentis alienatio, omnium eſt periculoſiſsima: inter has media eſt quæ cū ſtudio fit. Porrò omnes fiunt cerebro affecto, ſiue primariò & per ſe, ſiue ſecundariò & per ſympathiam: differunt autem inter ſe cauſis ipſis efficientibus. Nam quæ à ſola caliditate ſine prauo humore cōmittuntur, ſimiles quodam

dam modo ſunt deſipiétiis iis quæ temulentiam ſequuntur. Quæ verò ob flauam bilem fiunt, cum ſtudio perficiuntur. quæ bilis flaua ſi multum exuratur, vt iam ad atræ naturam magis accedat, furioſæ admodum & immanes fiunt delirationes. Nam quæ in aliis ſcriptis noſtris de atrabile explicata ſunt & definita in memoriam redigere oportet, vt quòd quædam ex flaua bile peruſta & retorrida fiat, quæ omniũ eſt teterrima: alia verò ex ſanguinis, vt ita dixerim cœno & fæce: quæ quidem craſsiore quàm altera cõſtet ſubſtantia, ſed multũ à qualitatis malignitate recedat. Diximus præterea bilem quæ veluti fæx eſt ſanguinis, ſi exactè & propriè loquamur, nondũ nos atram bilem, ſed ſuccum appellare melancholicum: per verbi tamen abuſionem interdum atram etiam vocare, quandoquidem niſi priùs vacuetur, atra ſit non ita multo pòſt euaſura.

LIIII.

ΕΝ τοῖσιν ὀξέσι πάθεσι τοῖσι μετὰ πυρετοῦ ἀι κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακαί.

In morbis acutis cum febre quaſi gementium ſuſpiria, mala.

Sæpè pueri dum plorãt, interrupto ſpiritu reſpirare videntur, ſubſiſtente ſcilicet inter reſpirandum pectore, rurſúmque

quod

quod ad integram reſpirationem deeſt, adiiciente. quod ipſemet in Epidemiis his ferè verbis dixit, Gemina intrò ſpiritus reuocatio, quaſi ſuperinſpirantibus. Hoc autem fit nonnunquàm fatigatis viribus, nonnunquàm ob duritatem inſtrumentorum, nonnunquàm verò ambabus cauſis ſimul cõuenientibus: eſt & quum propter aliquam muſculorum pectoris affectionem couulſoriam fit. Nam & imbecilla virtus, dum ſemel pectus tantum dilatare non poteſt, quantum animali eſt neceſſarium, medio ſubſiſtit opere & aliquantiſper quieſcit; deinde rurſum ſe excitat. Et durum organũ, quum promptè non obſequatur dilatáti facultati, ab ipſa violentius concuſſum dilatatur. Sed quid affectionem conuulſoriá talé efficere reſpirationem dicere attinet? Nam ſi vel frigus pectoris muſculos, aut etiam neruos ſubierit, durities quædam inſtrumentis conciliari poterit & motio conuulſoria, quá & febris ſuapte natura ſanare & calida auxilia poſſunt. Coniuncta verò ſi febris ſit, non iam muſculorum pectoris aut neruorum perfrigerationem cauſari poſſumus; ſed vel duritiem contractam,

* Affectio conuulſioni ſimi-

vel virium imbecillitatem, vel * affectionem conuulſoriá. Quicquid verò horum

fuerit

fuerit in cauſa, bonum non eſt in morbo acuto accidere. Si igitur de ſola nobis explicata inſtrumẽtorum ſpiritualium motione illam, quaſi gementium reſpirationem extulit Hippocrates, ad finem iam perducta eſt expoſitio: ſi verò cum tali aliquo ſono qualis flentibus editur, dictam reſpirationẽ fieri velit, præter dictas cauſas quandam etiam cum dolore coniunctam indicabit affectionem, per quam quaſi flerent, aut gemerent, aut miſtum quendam ex ambobus ſonum funderẽt, in eum reſpirant modum.

lis ſiccitatem inſtrumentorum ſequitur, quæ febribus acutis interdũ ſupervenit.

L V.

TÀ ποδαγρικὰ τῷ ἦρος καὶ τῷ φθινοπώρου κινέεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Dolores podagrici vere & autumno ferè mouentur.

Podagrici morbi vt & alij omnes articulares vere augentur, atque propterea ipſe ſuprà in morborum vernalium enumeratione meminit articularium, in quibus ſcilicet podagrici continentur. Concitantur tamẽ interdum etiam autumno iis quibus æſtate per oporam, id eſt fructuum abundantiam cacochymia aliqua collecta eſt in corpore. Nos enim in commentariis de naturalibus facultatibus, vt alias quaſdam ſingularum corporis par-

tium vires, ſic etiam expultricem eorum quæ moleſta ſunt eſſe demonſtrauimus. Sunt autem moleſta, quędam multitudine grauãtia, alia verò aliena qualitate affligentia. Secundum hæc igitur vtraque iis qui per hyemem prauo victu ſunt vſi, recurrunt morbi chronici verno tempore fuſis humoribus, deinde ad loca infirma protruſis à partibus fortioribus: ſecũdum alterũ verò tantũ, tempeſtate autunnali.

L V I.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νοσήμασιν ἐς τὰ δε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀποπληξίην τοῦ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνει.

Morbis melancholicis per hæc tempora ſuſpecti humorum decubitus, vel apoplexiam corporis, vel conuulſionem vel maniam, vel cæcitatem denunciant.

Fiunt etiã propter pituitoſum humorẽ apoplexiæ, cõuulſiones, & cæcitates: fiunt & propter melancholicum quoque, quoniam cõmunis vtriuſque humoris eſt craſſitudo: non tamen maniæ communis eſt. Nunquã enim ob pituitoſum humorem affectio hæc conflatur, vt potè quæ ad ſui generationẽ humore ſtimulante & mordẽte opus habeat. Talis autẽ ſemper quidem eſt flaua bilis, non ſemper verò humor

mor melācholicus, ſed vbi ſupra modum vel combuſtus, vel putrefactus malignam acquiſiuerit acrimoniam.

LVII.

Ἀπόπληκτοι δὲ μάλιστα γίνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα.

Apoplexiæ autem ſiunt maximè à quadrageſimo anno ad ſexageſimum.

Non omnis apoplexia, ſed ſola modò dicta, quæ ex ſola atra bile ortum habet, eos corripit qui dictam ætatē agunt, quia per eam maxime abūdat humor atræ bilis, quemadmodum etiam per autumnū. Et vt ſimpliciter dicam, ſenes plures apoplexia percelluntur. Si igitur verus eſt aphoriſmus, cum ſuperiore coniungi debet, quaſi ita dictum eſſet, Morbis melancholicis per hæc tempora humorum ſuſpecti decubitus apoplexiam minantur, quæ ferè hominis inuadit à quadrageſimo anno vſque ad ſexageſimum.

LVIII.

Ἢν ἐπίπλοον ἐκπέσῃ, ἀνάγκη ἀποσαπῆναι.

Si omentum exciderit, neceſſariò cōputreſcit.

Propter ſermonis breuitatem falſus aphoriſmus videri queat iis qui non rectè ipſum exaudiunt. Quod enim dicitur eſt huiuſmodi, Si omentum exciderit, id eſt

nudatũ fuerit & extra peritonæum prominuerit, fieri non poteſt vt in proprium locum repoſitum, ſanum & ſaluum permaneat: quemadmodũ ſi aliud quidpiã, exempli gratia inteſtinum aut viſceris lobus foras promineat. Hæc enim niſi longo tempore perfrigerentur, priſtinã temperationem recipiunt, vulnere quod in epigaſtrio eſt acceptũ ad cicatricem perducto. Omentum verò ſi vel minimo tempore nudetur repoſitum putreſcit: quam ob cauſam medici partẽ ipſius nudatam præcidunt. Atq; hanc quidẽ habet aphoriſmus ſententiam, licet non ita explicatè & diſtinctè propoſitam. Iam verò ſi quiſpiam aliquando vidiſſe ſe ad tempus aliquod prolapſum omentũ dicat, quod poſtea repoſitũ non computruerit, enunciationis quidẽ Hippocratis perpetuitatem ita ſuſtulerit, ac certè illud ſeruauerit, nẽpè ferè ita vſu venire, vt prolapſum foras omentum putreat: quod commune eſt huic aphoriſmo cum aliis ab Hippo. ſcriptis: qui ſi dictionis ſpectes formã, enunciationis vniuerſitatẽ præ ſe ferunt, quãuis non ſemper res ipſæ ſimiliter, ſed aliquando aliter etiam licet rarò eueniant.

L I X.

Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίως

χρονίας ἐξίσταται τὸ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τουτέοισι μύξαι ἐπιγίνονται.

Quibus longo coxendicum dolore conflictatis femoris ſummum coxa excidit, rurſúmque recidit, ijs mucoſa ibidem pituita colligitur. *

Sæpè in articulis pituitoſus humor coaceruatur, quem mucum appellat, à quo imbuta & permadeſcentia articulationis vincula, laxiora reddũtur, atque ideò facilè articulus cauitate ſua excidit, & rurſus haud difficulter recidit. quam vtique rem iſchiadicis ita affectis accidere, nobis nunc eſt auctor Hippocr. Verùm iſchium quum ait excidere, articulũ qui in iſchio eſt intelligere oportet: quo etiam modo libro de articulis dicebat, Humeri autem articulum vno modo elabi ſcio, quod perinde eſt ac ſi articulũ, qui in humero habetur dixiſſet.

LX.

Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίας, τὸ ἰσχίον ἐξίσταται, τούτοισι τήκεται τὸ σκέλος, καὶ χωλοῦνται, ἢν μὴ καυθῶσιν.

Quibus diuturno dolore iſchiadico vexatis femoris caput coxa excidit, ijs femur contabeſcit & claudicant, niſi vrantur.

Hunc aphoriſmum à ſuperiore ſeiungere non decet, ſed ſimul in vnum con-

iunctos, ita accipere. Vult enim dicere, quibus iſchiadicis propter mucoſæ pituitæ copiam articulus excidit, rurſúmque recidit, temporis ſpatio neceſſe eſſe femur contabeſcere, niſi anteuertētes vrendo mucum illum exiccemus: quod libro de articulis in brachio continenter excidente faciendum eſſe conſulebat. Nam eadem vtrobique vis eſt orationis, quippe qui ſuper coxam adurendum eſſe conſulat, vt lib. de articulis docebat, tum vt mucoſa illa & lenta humiditas abſumatur, tum vt cutis laxitas in quam articulus elabebatur, per aduſtionem firmata & contenta ipſum arctet, & loco moueri prohibeat. Alioqui ſi ob lentoris abundātiam, diutius extra coxam femoris caput maneat, id profectò femoris iam fuerit claudicatio, quam neceſſariò eiuſdem ſequetur atrophia & tabes: quo modo aliis etiam omnibus accidere ſolet, quæ motu, qui ipſis erat ſecundum naturam, ſunt priuata.

*

GAL

GALENI IN APHORISMOS,

Id eſt, ſelectas maximéque ratas Hippocratis ſententias,

COMMENTARIVS SEPTIMVS,

GVLIELMO PLANTIO Cenomano, interprete.

Omnes* ferè qui ante nos aphoriſmorum ſcripſerunt enarrationes, initio quidem longius quàm vtilitatis ferat ratio commentationẽ protrahunt, in progreſſu verò fatiſcentes paucis abſoluunt: ita vt per initia tantùm quæ vtilia ſunt proſequantur, deinde parcius & frigidius id faciant: ad poſtremum expoſitionem adeò contrahant & concîdant, vt ex aphoriſmis ne adulterinos quidem & palàm falſos internoſcant: ſed quemadmodum qui diſputationis labore feſsi, ad omnia libenter annuunt: ita iſti quoque ſine vllo delectu omnes admittunt aphoriſmos, quoſcunque ſcriptos inuenerint, atq; ip-

**Taxat eos qui enarrãdis aphoriſmis, nullam orationis æquabilitatem retinent.*

ſorum interpretationẽ perquàm breuiter perſtringunt, ſuperioris loquacitatis & verboſioris explicationis obliti. Nos verò quũ aliàs ipſorum ineptias vitare conati ſumus, tum interpretandi æquabilitatem quandã in omnibus retinere ſtuduimus: ita tamẽ vt quæ vera ſunt & ad artẽ impri mis neceſſaria, ſumma tũ attentione animaduertamus tũ diligentia examinemus: dictionẽ verò ita temperemus, vt neq; in ſummam contrahatur breuitatem (non enim eiuſmodi breuitas cõciſa commentario,ſed libro conuenit)neque rurſum in tantam orationis longitudinem, quãtam illi expoſitionis initio adhibent, proferatur: ſed quod in omni ſcripti genere laudatur,& vnicuique tractatui proportione congruit, id nos à principio ad finem vſq; vt ſeruaremus ſedulò dedimus operam.

I.

EN τοῖσιν ὀξέσι νουσήμασι ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν.

In morbis acutis frigus partium extremarum malum.

In morbis longis, præſertim ſi ſunt ſine febre, & per hyemem & ætatem ſenilem, partes corporis extremas,veluti nares,auriculas, pedes & ſummas manus frigere abſurdum videri non debet:In acutis verò non

rò non mediocre eſt malũ, ſed valdè perniciosum ſymptoma, vtpotè quod magnis ſuperueniat viſcerum inflãmationibus. Acutos autẽ morbos ipſemet vocari inquit, quorum maximam partem febres ſunt cõtinuæ, in quibus ſiquidem ſine magna inflãmatione fuerint, non modò non refrigerari extrema, verumetiã peruri accidit: ſed quũ inflãmationis calor eſt adeò vehemens, vt ad ſe cucurbitulæ inſtar ſanguinem ex toto attrahat corpore, iis qui ita affecti ſunt, viſcera exuruntur, extremæ autem partes propter ſanguinis intrò ad viſcera ſeſe recipiẽtis abſentiam perfrigerantur, atq; ex ipſis complures ne ſtragula quidem ferunt propter ardorem & æſtum inflammationis viſcera obſidentis.

II.

Ἐπὶ ὀστέῳ νοσέοντι σὰρξ πελιδνὴ, κακόν.

Propter os ægrotans caro liuida; malum.

Non enim ob mediocrem oſsium labefactationem, ſed fortem corruptionem talis coloris ſpecies circunſtantibus carnibus contrahitur, quia in ipſis ſcilicet natiuus calor extinguitur.

III.

Ἐπὶ ἐμέτῳ λύγξ καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ, κακόν.

A vomitu ſingultus & oculorum rubor, malum.

Qualis affectio muſculis eſt conuulſio, talis eſt ſtomacho ſingultus. is humoribus ſuperuenit infeſtantibus totum nonnunquam ventriculum, ſæpius verò ipſius os & ſtomachum: quos vomitione poſtquam exegerit, ſtatim ſingultu liberatur. Alioqui ſi ne ipſis quidem vomitu eiectis ſingultus ceſſauerit, ex duobus alterum, vel neruorum principium cerebrum, vel ventriculum non paruam pati inflammationem denunciat. Oculorum verò rubor vtriuſque inflammationem ſequitur; ſed cerebri magis.

IIII.

Ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη, οὐ χρηστόν.

A ſudore horror, non bonum.

Quòd decretoria ſi non decernãt, partim pernicioſa, partim dyſcrita habeãtur, Hip. eſt aſſertio, quia natura in eiuſmodi affectionibus vi morbi cuicta ſuccumbat.

V.

Ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.

Ab inſania, quam maniam Græci vocant, difficultas inteſtinorum aut hydrops, aut exſtaſis, bonum.

Dyſenteriam quidem & hydropa trãſlationis materiæ ratione, maniæ remedio eſſe, ratione non caret, à capite deorſum

noxiis

noxiis tranſlatis humoribus: mentis verò emotionem, quam ἔκστασιν Græci dicunt, ipſius minimè ſolutionem, ſed augmentationem potius eſſe dixeris. Verùm tamen, ſiquidem verè Hippo. vehementem inſaniam exſtaſim ſæpè appellauit, quendam inſania moderata, qua prius detinebatur ita leuatum fuiſſe meminimus, rationéque collegimus propter vehementem cauſarum maniam efficientium motionem, eiuſdem fuiſſe ſolutionem ſubſequutam: quemadmodum in morbis acutis vehementiſsima ſymptomata bonas interdum criſes efficere ſolent.

V I.

Ἐπὶ νόσῳ πολυχρονίῃ ἀποσιτίη καὶ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες, κακόν.

In morbo diuturno cibi faſtidium & ſyncera deiectiones, malum.

Ipſum per ſe faſtidium cibi malum eſt ſignum in morbis diutúrnis. Siquidem iis qui ex talibus morbis ſunt euaſuri, contrarius effectus, vehementior ſcilicet ciborum appetentia ſolet accidere. Quare cibi faſtidium in talibus haudquaquam eſt bonum ſignum, multóque minus quũ deiectiones etiam malæ exiſtunt. Synceras autem eas deiectiones appellauit, quæ nulla ſunt aquoſa humiditate permiſtæ,

ſolo

ſolo humore qui vacuatur (ſiue is picrocholus ſit, ſiue melancholicus, ſiue porraceus, ſiue bilis æruginoſa dicta) inteſtina peruadente. Nam eiuſmodi deiectiones exuſtã eſſe & conſumptam omnem humiditaté natiuam à febrili calore indicant.

VII.

Ἐκ πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη, κακόν.

A multa potatione rigor & deliriũ, malum.

Quòd polypoſia, id eſt multus potus non aquæ ſed vini multam potionem ſignificet nemo dubitat. Delirant autem propter vinolentiam multi ſanguine & ſpiritu calido repleto capite: quam ipſam ob cauſam calidiores etiam redduntur, præcipuè quidem capite, ſed iam toto etiam corpore. Ex ipſis tamen rari ſunt, qui cum delirio rigeãt, in quibus non incenditur natiuus calor, ſed nimia vini copia extinguitur, non aliter quàm ignem lignorum multitudine coniecta obrui, & lucernæ flammulam oleo affatim & repentè infuſo opprimi cernimus.

VIII.

Ἐπὶ φύματος ἔσω ῥήξιος, ἔκλυσις, ἔμετος, καὶ λειποψυχίη γίνεται.

A tuberculi introrſum eruptione exolutio, vomitio, & animi defectio fit.

Tuber

Tuberculum vocauit, quod alibi ſolet empyema appellare; per cuius intrò eruptionem, eiuſdem in ventriculum effuſionem intelligit. hanc enim ſequitur vomitio. Nam quæ in thoracem & pulmonem empyematis eruptiones fiunt, non vomitionem, ſed tuſsim neceſſariò mouent & ſæpè ſuffocant: quemadmodum etiam quæ in inteſtina fiunt tuberculorum eruptiones, puris deiectionem efficiũt. Omnium porrò eruptionum communis eſt virium debilitatio & animi defectio, propter ſpiritus vitalis vnà cum ipſis factam excretionem, quemadmodum alibi demonſtrauimus.

IX.

Ἐπὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύνη ἢ καὶ σπασμὸς, κακόν.

A ſanguinis profluuio deſipientia, aut etiam conuulſio, malum.

Non parum nobis hic aphoriſmus ad faciendam fidem confert, deſipientiam aliquando ob defectum fieri, haud diſsimili ratione atq; artuum tremores fiunt. Hi enim propter virtutis motricis imbecillitatem motiones habent infirmas, cerebrum verò deprauatas, atque ideo nunquam vehemẽs eſt hoc deſipientię genus, ſed moderatum, & vt ita dicam, delirium.

Ipſe

*παρακοπὴ mentis vacillatio.

Ipſe ſiquidem leuem mentis * titubationem delirationem appellare ſolet. Si quando igitur tali deſipientiæ conuulſio acceſſerit, omninò deſperata res eſt. Vnde quędam exemplaria per &, coniunctionem ſcripta leguntur, quædam verò contrà diſiunctiuam particulam habent: quo etiam modo deſipientia poſt ſanguinis fluxum ſymptoma eſt minimè bonum, etiam ſi ſola ſit. Multóque maius malum eſt conuulſio, vel ſi citra deſipientiam ſola acciderit. Multò verò maximum malum eſt vtriuſque conuentus, quandoquidem ſola etiam propter immoderatam vacuationem facta conuulſio, ſymptoma eſt perniciofiſsimum. Nam deſipientiæ minus malum ſymptoma.

X.

Ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Ab ileo vomitus, & ſingultus, & deſipientia, & conuulſio, malum.

εἰλεὸς fit cruditatibus retẽtis & corruptis, & ob ſtructo excrementorũ exitu: fit & veneno hauſto: fit inteſtinis in ſcro.

In ileo nihil ſubit deorſum, atque id huius affectionis proprium eſt inſeparabile. Vomitus verò non ſemper adeſt, ſed quum perniciosè ægrotãt: quòd ſi diutius nauſea conflictẽtur & morſu lacerentur, ſtercus ipſis ſurſum remeat, & ſingultiũt. Quidam verò etiam deſipiunt & conuelluntur,

luntur, neruorum principio propter ſtomachi vitium per conſenſum affecto. Mihi porrò eiuſmodi ſymptomata fieri videntur, quia inteſtina, in quibus affectio conſiſtit, à ſeſe ſtercus, (poſtquàm temporis longinquitate eſt moleſtum) depellere appetunt, ſed propter factam in partibus inferioribus viæ arctationem transmittere illac non poſſunt: vndè retroacto naturæ impetu violenter moueri coguntur, & grauem illam moleſtámque materiam exprimendo regerere ad loca ſuperiora.

tum deſcē-dētibus: fit ſæpius vt Galen. placet, inflammatis inteſtinis.

XI.

Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπνευμονίη, κακόν.

A pleuritide peripneumonia, malum.

In pluribus exemplaribus ad aphoriſmi finem adiectum eſt malum, in quibuſdam verò ſimpliciter ita ſcribitur, A pleuritide peripneumonia; volentibus qui ſic legũt, non quidẽ bonúmne ſit an malum pleuritidi ſuperuenire peripneumoniam, nunc docere Hippocr. ſed ſimpliciter hoc vnum tantùm, nempè pleuritim in peripneumoniam tranſire & mutari ſolere, aut pleuritidi ſuperuenire peripneumoniam. Degeneratio namque eiúſmodi fit, quum priore ceſſante morbo, alter ſuccedit: interuentus verò, quum priore permanente, alter accedit. Verùm hoc loco Hippocrates

crates videtur de ſuperuenientibus agere, quibus ſtatim ab initio malis eſſe accidit, adeò vt ſi etiam hoc nominis malum non addatur, ſit tamen vel ſubaudiēdum (quo modo multa de communi ſuppleri dicuntur) vel poteſtate ſignificari putandum. Omnis enim eiuſmodi ſuperuenientium ortus non paruos nec faciles, ſed magnos & malignos morbos ſequitur. veluti (ne à propoſitis hoc aphoriſmo affectibus recedamus) quum is humor qui pleuritim cōmittit, coſtis contineri nequit, eius pars aliqua ad pulmonem etiam peruenit, vndè eiuſdem ſequitur inflammatio: quum peripneumoniam tamen pleuritis nō admodum ſequi ſoleat, quoniam facili quidem & miti peripneumonia, totus expurgatur humor nocuus tuſſi reiectus: exitiali verò & pernicioſa, æger prius ſuffocatur quàm coſtæ vnà afficiantur.

XII.

Ἐπὶ περιπνευμονίῃ φρενῖτις, κακόν.

A peripneumonia phrenitis, malum.

Quum à calido humore fit peripneumonia, ea multis vaporibus in caput ſublatis replet cerebrum, & phrenitim efficit. Quod ad finem aphoriſmi additum eſt malum, non in hoc ſolum, ſed in ſequētibus etiam aphoriſmis commune eſt.

cum

cum ſuperiore aphoriſmo, atque ipſius idem eſt iudicium.

XIII.

Ἐπὶ ἐκκαύμασιν ἰσχυροῖσι σπασμὸς, ἢ τέτανος, κακόν.

Propter ardores vehementes conuulſio aut tetanus, malum.

Interpretum pars maxima hanc aphoriſmi lectionem retinet: Marinus autem, propter vulnera ſcribit. etenim ſequẽtem aphoriſmum ſibi aſtipulari dicit. Verum certè quidem eſt, propter magna etiam vulnera inflammationes fieri & conuulſiones: ſed quum omnes ferè enarratores, tum verò maximè vetuſtiſsimi quique hanc agnoſcant dictionem, Propter ardores vehementes, nos quoque eandem laudare & exponere præſtat. Itaque ex ipſis nonnulli ardores vocem pro febribus exaudiunt: nonnulli aëris ambientis feruorem ita dici autumant, alij pro cauteriis & eſcharis accipi volunt, atque omnes verum dicunt. Hiſce enim omnibus non vtique boni cuiuſdam gratia ſuperueniũt tetani & conuulſiones per neruorum ſiccitatem: quod tetani & conuulſionis genus peſsimum ſimul & difficillimum eſſe demonſtrabamus.

O

XIIII.

Ἐπὶ πληγῇ ἐς τὴν κεφαλὴν ἔκπληξις, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Propter plagam in capite acceptam ſtupor, aut deſipientia, malum.

Deſipientia cognoſcitur, diſſentanea & rationis nihil habentia loquentibus & agentibus: ſtupor verò eſt, quum neq; loquuntur neq; agunt quidquam, ſed apertis oculis immoti manent iis qui metu & pauore perculſi & attoniti ſunt ſimiles. Quòd verò hæc omnia cerebro patiente fiant, manifeſtum eſt. in eo enim eſſe animi principatum demonſtrauimus. Siue igitur in fine aphoriſmi aſcriptum ſit malum, conſtat rectè dictum eſſe. intrò enim in ipſum cerebrum penetrare ictum indicat. ſiue non aſcribatur, nihilominus de communi ipſum ſubaudire poſſumus, vt paulò antè dicebamus. Quin quia eiuſmodi ſymptomata cerebri læſionem commonſtrant, indè etiam offenſæ magnitudinem colligere poſſumus.

XV.

Ἐπὶ αἵματος πτύσει πύου πτύσις, κακόν.

A ſanguinis ſputu puris expuitio, malũ.

Quòd omnis ipſi hæc enumeratio ſit eorum quæ propriè ſuperueniẽtia vocantur (de quibus Praxagoras nõ paruum librum

brum integrum conſcripſit) vel ex ipſo aphoriſmo cõſtare puto. Neq; enim quiuis ſanguinis ſputus ſequentem habet puris excretionem, ſed qui malignus eſt dũtaxat, cuiuſmodi ex pulmone ferè editur.

XVI.

Ἐπὶ πύου πτύσει φθίσις καὶ ῥύσις· ἐπὴν δὲ τὸ πτύελον ἴσχηται, ἀποθνήσκουσιν.

A puris ſputu phthiſis & fluxio: quum verò ſputum retentum fuerit, moriuntur.

Quam peculiariter Græci maximéque Athenienſes phthoẽn appellãt, eam nunc Hippocrates phthiſim nominauit, quum propter inſanabilia pulmonis vlcera totius corporis attenuatio fit & macies cum debili febre cõiuncta. Iam verò fluxionis nomen vel de capillorum defluuio, vel de humida alui deiectione extulit. Vtrũque enim tabidis ad extrema redactis & deploratis fieri ſolet, illud quidem propter ſiccitatem, hæc verò ob virtutis imbecillitatem. Cęterum illud quod ad finem aphoriſmi ſcribitur, Poſtquàm autẽ retentum fuerit ſputum, moriũtur: mortis modum oſtendit phthoẽ pereuntiũ. Tandiu enim extenuati viuunt, quãdiu extuſsire, & per ſputa pulmonem expurgare poſſunt. Vbi verò intus ipſa remanent, reſpirationis obſtruuntur viæ, & ægri ſuffocantur.

XVII.

Ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος λύγξ, κακόν.

Propter iecoris inflammationem, ſingultus, malum.

Iam ſuprà etiam dixi, his omnibus cõſequenter ſcriptis aphoriſmis de iis ſymptomatis agere Hippoc. quæ morbis ipſis auctis & ingraueſcentibus ſuperueniunt. Quo ſanè modo nunc ſingultus quoque ob iecoris inflammationem fieri dicitur, non quidem ſemper, neque quouis modo affecti, ſed quum feruente inflammatione in magnitudinem attollitur, per quem feruorem in ſympathiam & mali conſenſum venit ſtomachus, communium nonnunquam neruorum ratione, qui (vt ipſe ſecundo Epidemiωn docuit) ſunt perexigui & perminuti: vnde tunc ſolùm iecoris fit cum ſtomacho affectionis communicatio, poſtquam inflammatio maxima euaſerit & peſsima. Quinetiam quia per eiuſmodi viſceris inflammationes bilis admodum calida & copioſa generatur, & confluit in principium inteſtinorum, indè ipſa in ventriculum euadente & innatante vt ſtomachus vellicetur & ſingultiat accidit. Quidam verò inflammationis magnitudinem quia ventriculum premat ſingultũ facere arbitrãtur, ſpiritu quem-

admod

admodum inquiunt, exitum nó habente.

XVIII.

Επὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς ἢ παραφροσύνη, κακόν.

Propter vigiliã cõuulſio, aut deſipientia, malũ.

Quidam hoc etiam loco dictionẽ malum addũt. Nos verò in ſuperioribus monuimus, etiam ſi non ſubiungatur, poteſtate tamen contineri. Iam cur immodicas vigilias ſequatur conuulſio aut deſipientia manifeſtum eſt ſuperiora recordanti. Siquidem Hippo. ipſe vt à repletione, ita à vacuatione quoque cõuulſionem fieri eſt auctor. Maximam autem vacuandi & exiccandi vim habet vigilia, atque propterea à ſiccitate conuulſionem adfert & deſipientiam tum ipſa ſiccitatis nimiæ ratione, tum præterea quia per longas vigilias bilioſior ſanguis fiat. In quibuſdam tamen exemplaribus iiſque accuratiſsimè ſcriptis ſine deſipientia ſcribitur hoc pacto, A vigilia conuulſio. hoc loco vt arbitror, peſsima ſuperuenientia oratione perſequente Hippocrate.

XIX.

Επὶ ὀστέου ψιλώσει ἐρυσίπελας.

Ab oſsis nudatione eryſipelas.

Hoc maximè aphoriſmo ſubaudiendũ eſt malum. neque enim hoc dicit, ſemper

aut plerumque oſsibus nudatis eryſipelas ſuperuenire (nam contrarium potius verum eſt, ita ſcilicet affectis oſsibus rarò ſuperuenire eryſipelas) ſed prauum eſſe ſymptoma, cum exuto oſſe circunſtans caro eryſipelate occupata apparet.

X X.

Ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν, ἢ ἐκπύησις, κακόν.

Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malū.

Ex hac etiam oratione malignis eryſipelatis iſta ſuperuenire conſtat.

X X I.

Ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγίη, κακόν.

A forti in vlceribus pulſu hæmorrhagia malū.

In vlcerum inflammatione pulſus fit carne arteriis incubante ipſarum motum non ferente, ſed dolente quum ipſæ inter dilatandum vehementius impelluntur & feriunt. Eſt enim eiuſmodi pulſatio moleſtus quidam ſenſus & dolor arteriarum motione factus, quas ab initio quum particulæ ſecūdum naturam habebant, non ſentiebamus tum propter earū viciniam dolore vacantem, tum propter latius & amplius ſpatium in quo mouentur. Nam ipſis partibus inflammatione laborantibus & loci coarctatio, & ab affectione dolor

lor grauem ægrotis moleſtúmque ſenſum inuehunt micantibus arteriis:quarũ motum non ſolùm medici,ſed omnes homines pulſum appellant. Porrò hic arteriarum motus per tales affectiones augeri videtur. Oſtendimus enim in commentariis de naturalibus facultatibus, quandam in ipſis etiam ineſſe alienorum expultricem, quæ & ſudores promouet criticos,& ſanguinis eruptiones & alui deiectiones, cæteráque eiuſcemodi. Hac itaque virtute vehementius interdum agens naturâ magnum ſimul & violentum arteriarum motum efficit eorum quæ moleſta ſunt depellendi ſtudio,atque ita hæmorrhagias inuehit.

XXII.

Ἐπὶ ὀδύνῃ πολυχρονίῃ τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἐκπύησις.

A diuturno partium ad ventrem attinentium dolore,ſuppuratio.

Siue enim perfrigeratio, ſiue omninò inæqualis aliqua intemperies circa ventrem fuerit, ſiue flatuoſus ſpiritus, ſiue acrimonia quæpiam mordax, vt in lõgum protrahãtur tempus fieri non poteſt:dum modò ritè & conuenienter ad ægrotantis curationem omnia gerantur:hoc enim in omnibus eiuſmodi orationibus ſubaudi-

ri debet. Reſtat igitur vt adhuc propter inflammationem dolor maneat, quæ nimirum inflammatio ſuppurabit temporis ſpatio, niſi hominem mors præripiat. Nam hoc quoque in omnibus talibus orationibus ſupplere oportet.

XXIII.

Ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερίη, κακόν.

A ſyncera deiectione dyſenteria.

Sinceras deiectiones Hippoc. appellare ſolet nulla humiditate aquoſa admiſtas, ſolum eum habentes purum & ſimplicem humorem qui per inferna deiicitur, ſiue is ſit bilis flaua, ſiue atra. Minimè itaque mirum eſt, ſi per tales deiectiones erodatur inteſtinorum pars aliqua.

XXIIII.

Ἐπὶ ὀστέου διακοπῇ παραφροσύνη, ἢν κενεὸν λάβῃ.

Ab oßis vulnere deſipientia, ſi in vacuum vſque penetrauerit.

Deſipientia fit capitis oſſe non ſimpliciter nec leuiter pertuſo, ſed ad interiorẽ vſque ſuperficiem, quam vacuus excipit locus cerebrum continens. Iã enim membranis & cerebro propinqua eſt affectio & finitima. At verò Marinus neſcio quo modo illud per ſe legendum eſſe putat, Ab oſſe perfracto mentis alienatio: deinde ſeq

de ſequentis aphoriſmi ſeorſim facit principium, Si vacuum attigerit, ipſi ſubiungens, à medicamenti hauſtu conuulſio, pernicioſum. Hanc enim (inquit) lectionem rationi eſſe conſentaneam: ſiquidem à vacuatione conuulſionem ſemper damnet Hippocrates. Atque hoc rectè quidem Marinus dixit, nempè immoderata vacuatione factam conuulſionem eſſe pernicioſam. Quin & ita à potione pharmaci facta conuulſio fuerit exitialis. Verùm ipſe interim non animaduertit ſe aphoriſmum præcedentem efficere falſum. Nam propter oſsis diuiſionem delirium fieri eſt manifeſtò falſum. Neque enim vllo alio quopiam oſſe, neque cranio ipſo perſecto deliratio prius ſequitur quàm ad meningas, id eſt cerebrum obtegentes membranas peruenerit affectio.

XXV.

EK φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατῶδες.

A medicamẽti potione cõuulſio, mortifera.

Pharmacopoſias & pharmacias peculiaris Hip. mos appellandi ſolas eas potiones quæ purgantibus conſtant medicamẽtis. Quòd autem immodicis horũ purgationibus interueniẽs conuulſio ſit pernicioſa ignorare non potes, ſi quæ nobis iam ſæpius ſunt dicta fueris recordatus.

XXVI.

Ἐπὶ ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τ̃ περὶ τὴν κοιλίην ἀκρωτηρίων ψῦξις, κακόν.

Propter vehementem dolorem partium ad ventrem attinentium, extremarum perfrigeratio malum.

Summarum corporis partium refrigeratio fit. quẽadmodum etiam ſuprà diximus, tum propter inflãmationis viſcerum magnitudinem, tum ob lipopſychiam, id eſt animi defectũ, tum quia calor natiuus extinguatur, vel multitudine præſertim ſi frigida fuerit ſuffocetur. Fit etiã propter vehemẽtem dolorem altas & medias corporis partes habentem, ob quem natura in ſeipſam contrahitur, atque intrò ſe recipit, quam euiſtigio ſanguis ſequitur nõ ſolùm extremas corporis partes deſerens veluti pedes, manus & caput, ſed etiã cutim vniuerſam. Particularem igitur quandam hoc aphoriſmo Hippo. cauſam attulit frigoris partium ſummarum, quod in aliis quoque multis ipſum feciſſe oſtendimus. Nec mirum videri debet ſi is qui primus multa inuenit non ſimul omniũ, ſed cuiuſq; ſigillatim inuentionem explicet.

XXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινεσμὸς ἐπιγινόμενος, ἐκτρῶσαι ποιέει.

Si

Si prægnanti tenaſmus ſuperuenerit, abortus eſt cauſa.

Tenaſmus fit in recto inteſtino appellato, eandem & cauſam & affectioně obtinente, quam per dyſenterias ſuſcipit vnum aliquod ex inteſtinis ſuperioribus. Hunc affectum aiunt ἀπὸ τῆς τάσεως, id eſt contentione & eo niſu appellationě eſſe ſortitum, qui in eo fit quum vehementi cupiditate egerendi laceſsiti crebrò exurgere coguntur. Tali igitur contentione & ſollicitatione moleſta cùm totum corpus, tum maximè vterus laborat, vtpotè recti inteſtini cognatus & affinis. Nihil autem mirum ſi frequentius exurgendo deſidendóque & vehementius connitendo abortus fiat, quando propter alias etiã vehementes ſiue motiones ſiue dolores grauidæ ſoleant abortire.

XXVIII.

Ὅτι ἂν ὀστέον ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον ἀποκοπῇ ἐν τῷ σώματι, οὔτε αὔξεται, οὔτε συμφύεται.

Siue os ſiue cartilago, ſiue neruus ſectus fuerit in corpore, neque augetur neque coaleſcit.

Suprà ſcriptus iam eſt hic aphoriſmus his verbis, Poſtquàm os perſectum fuerit aut cartilago, aut neruus aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur

neque glutinatur, atque ipſum anteà ſexto commentario declarauimus.

XXIX.

HN ὑπὸ λευκοῦ φλέγματος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγένηται ἰσχυρὴ, λύει τὴν νοῦσον.

Si leucophlegmatia detento fortis diarrhœa ſuperuenerit, morbum ſoluit.

Conſueuère alij quoque medici quandam aquæ intercutis ſpeciẽ appellare leucophlegmatiã, tanquã quæ vel liuida quadam pituita, vel ſecundũ ſuam certè ipſius rationem alba ſemper manente, ſed propter alios quoſdã humores admiſtos verũ exactúmque colorem mutante conſtet. Poteſt etiam quemadmodũ libro de articulis ſcripſit, Vertebræ autẽ quæ in ſpina habentur: non qui diſtinctionis cauſa tanquàm alibi ſint quàm in ſpina vertebræ iſta addat, ſed ſimplici adiectione vtatur: ita hoc quoque loco ſine rei diſtinctione adiectionẽ nominis albi feciſſe. Iã verò à forti vel diuturna diarrhœa (vtroq; enim modo ſcribitur) albæ pituitæ ſolui redundantiã cõmune eſt cum aliis etiã multis quæ ſimiliter ab Hippocra. ſunt dicta.

XXX.

ΟΚόσοισιν ἀφρώδεα τὰ διαχωρήματα ἐν τῇσι διαῤῥοίῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ταῦτα καταῤῥεῖ.

Quibus

Quibus per diarrhœas ſpumoſa ſunt alui excrementa, ijs à capite fit deſluxio.

Hoc indiſtinctè eſt dictum. fieri ſiquidẽ poteſt aliquando ſpumoſum ſtercus à flatuoſo humore ex capite in ventrẽ defluente. Fiat etiam interdum vaſis quæ in ventrem pertinent talem humorem profundentibus. Ortum etiam habere quandoq; poteſt in ipſo ventre, vnicam ferè dixerim cauſam habens cõtinentem, quoquo modo fiat & excernatur, antecedentes verò plures. Eſt autẽ eiuſmodi ſpumoſæ pituitæ continens cauſa ſpiritus flatuoſus, qui dum humori cõmiſcetur vehemẽti vtitur & inæquali motione, adeò vt & ipſe comminuatur attenuetúrque, & pituitam cõfringat & in multas & paruas partes comminuat. Eiuſmodi verò motus ipſi cauſa eſt tum proptia natura, tum nonnunquã etiam caloris copia. Sic enim in iis quæ ex aqua coquuntur, præſertim ſi lenta & viſcida fuerint naturâ, & in mari impetuoſius ventis agitato & turbato ſpuma apparere ſolet. Porrò qui pituitæ viã & tranſitum in ventrem per pulmonem fieri arbitrantur, atque ideò ipſam apparere ſpumoſam, quid de iis qui ex capite in pulmonem rheumatiſmo apertè laborant dicturi ſint non video. Par eſt enim in

ipſis

ipſis excrementa alui eſſe ſpumoſa. verùm hi neque deiiciunt, neque extuſſiunt ſpumoſa, tametſi fluxione quæ ex capite fit ſæpe ſint manifeſtò opplete pulmonis aſperæ arteriæ. quæ quidem fluxio poſtquam concocta eſt, expuitur puri ſimilis, ſed minimè ſpumoſa euadit. Quin ne ſanguinem quidem ſemper ſpumoſum expuunt ex pulmone. Siquidem apparet quum de ipſa viſceris propria ſubſtantia aliquid vnà effertur ſanguis fieri ſpumoſus. Spumoſum tamen interdum etiam pleuritici expuunt, atque his ipſis multò rarius peripneumonici, caliditate vt mihi quidem videtur intemperata atq; ignea in partibus affectis collecta. Porrò ſi quod è capite defluit in aſperas pulmonis arterias, deorſum ad ſedem vt volunt nōnulli permeat, primùm in ventriculos cordis ipſum deuenire, deinde ex duabus alteram viam pergere, vel per venam cauam ad iecoris gibba, indéque ad ſima deferri, atque ita per portas in flexuoſas inteſtinorum circunductiones peruenire: vel primùm in magnam arteriam, deinde in eam quæ meſenterium perreptat delabi fuerit neceſſe. Sed quî quæſo vbi permiſtum ſanguine ſit, vnáque cum eo tot venas peruaſerit, ſpumoſum adhuc maneat?

XXXI.

Ὀκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τοῖσι οὔροισι κριμνώδεες αἱ ὑποστάσιες γίνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν.

Quibus per febres in vrinis ſedimenta craſsiorem farinam referunt, longam inualetudinem fore ſignificant.

Hæc quoq; oratio adhibita diſtinctione vera fit, ídque comprobante experientia. Nam tales vrinas pernicioſas eſſe in prognoſtico eſt dictum: atque complures prius moriuntur quàm longius protrahatur morbus: qui verò ex ipſis ſeruati ſunt omnes diuturno morbo laborarũt, nimirum affectione in qua talis vrina redditur multam coctionem flagitante. Verùm de omnibus vrinis fuſius diximus in lib. de criſibus. Ex epidemiis verò abundè enim mihi fuerit de duobus ægris tantummodo feciſſe mentionem, primo quidem lib. de Sileno poſt tres aëris tempeſtates ſecundo loco ſcripto: de quo inter ea quæ de ipſo refert Hippoc. ſic inquit, Minxit confertim, vrina vbi reſederat craſsiuſcula, ſedimentum inſtar farinæ craſsioris & album, extrema rurſum frigida, vndecimo mortuus eſt. Tertio verò libro de ægroto eo qui ordine tertius eſt, de quo hiſtoriæ ſtatim initio ita ſcripſit, In horto

Dealcis

Dealcis decumbebat: deinde paulo vlterius, vrinæ tenues, variæ, parua in modũ farinæ craſsioris enæoremata habentes, quadrageſimo iudicatus eſt) ex his inquam exemplis liquet eos qui farinacea meiunt, ſi quidem ſeruandi ſunt, longo cõflictari morbo: ſi verò exitialiter ægrotent, poſſe etiam ſtatim perimi.

XXXII.

Ὁκόσοισι δὲ χολώδεες αἱ ὑποστάσιες, ἄνωθεν ἢ λεπταὶ, ὀξείην ἀῤῥωστίην σημαίνει.

Quibus in vrinis biliosa ſedimenta, ſed ſuprà tenuia apparuerint, acutum morbum ſignificant.

Bilis acutos morbos ſemper facit. Sic enim veteres medicos picrocholum humorem appellare ſolitos eſſe ſæpè diximus, quẽadmodum melancholicum ſemper cum adiectione dicere ſolere, nõ ſimpliciter bilem proferentes (quod faciunt quum flauam intelligunt) ſed atram bilem nuncupantes. Illud verò quod additum eſt, ſuprà tenuia, hoc eſt aquoſa (Sic enim Hipp. tenuis appellatione vti ſolet) non rectè dictum videri poſsit. Nam aquoſa vrina cruda eſt & diuturnum morbum ſignificat. Ego quidem certè nunquam ſpectaui vrinam, cuius quod ſubſidet eſſet bilioſum, & quod ſupernatat aquoſum. Non citra rationẽ igitur interpretes

pretes nonnulli non locum ſed tẽpus hoc aphoriſmo per aduerbium ſuprà ſignificari arbitrantur, quaſi dictum eſſet, Si vrinarum ſedimenta ab initio tenuia, poſtea bilioſa fiant, acutum morbum ſignificãt.

XXXIII.

Ὁκόσοισι δὲ διεστηκότα τὰ οὖρα γίνεται, τούτοισι ταραχὴ ἰσχυρὴ ἐν τῷ σώματί ἐστιν.

Quibus diuerſæ ſunt vrinæ, ijs vehemens fit in corpore turbatio.

Si τὰ διεστηκότα οὖρα propriè accipiantur pro diſparatis & diſtantibus vrinis, quiddam quod fieri omninò nequeat ſignificabitur. Semper ſiquidem vrina ſibi cohærens eſt & continua, nullum intermedium ſpatium habens vacuum. Si verò compagis vrinæ, quam ſyſtaſim dicunt Græci, inæqualitatem ita dici conceſſerimus, meritò vehementem dixit ſignificari turbationem. Nam dominante & vincente naturâ æquabiliter omnia ſunt vnita: diuerſis verò cauſis morbificis naturæ repugnantibus, quæ ſubigitur & coquitur, alteram in vrina ſpeciem præ ſe fert, quę verò repugnat & obſtinatius aduerſatura, alterũ ſui edit indiciũ. Et quo plures eiuſmodi cauſæ fuerint magis variam repræſentant in vrinis inæqualitatem, cuius vehemens humorum in cor-

pore tempeſtas & ſeditio ſit cauſa.

XXXIIII.

Ὀκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίσανται πομφόλυγες, νεφριτικὰ σημαίνουσι, καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι.

Quibus in vrinis bullæ innatant, nephritim, & longam fore inualetudinem ſignificant.

Excitantur*bullæ quum humor ſpiritu flatuoſo circumtenditur, id quod magis ſolet accidere, ſi lentoris aliquid humor habeat: tunc etiam bullæ ipſæ manent diutius & ægrius ſoluuntur. Eſt igitur frigidæ inualetudinis renum ſignum, ſi quando vnà cum vrinis excernatur ſpiritus flatuoſus. Hæc enim ſpiritum flatuoſum colligit. atque idcircò Hipp. inualitudinem ait fore longam. Frigidum enim omne ægrè tum ſoluitur tũ coquitur, ob ídque in longum trahitur tempus. Sunt qui ab vrinæ acrimonia recluſa arteriarum ad renes pertinentium ora ſpiritus aliquid emittere dicant, qui cum vrinis illapſus bullas efficiat.

** Poteſt vrina motu bullans & ſpumās fieri: per ſe verò neq; flatus neque bulla neque ſpuma citra frigiditatē noſtri corporis fieri poteſt.*

XXXV.

Ὀκόσοισι δὲ λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις καὶ ἀθρόη, τουτέοισι νεφριτικὰ, καὶ ὀξέα σημαίνει.

Quibus in vrina adipalis ſuperficies eſt & conferta, ijs nephriticum & acutum morbum adeſſe ſignificat.

de t. 35.
progn.

Siue

Siue alui excrementum, ſiue vrina pinguis eſt, ex adipis fit colliquatione, quod non magis in renibus quàm toto accidit corpore: vnde nec id proprium affectorum renum eſt ſignum, ſed cõmune omnis adipis à calore igneo colliquefacti. Aut igitur ita intelligendus eſt Hippo. vt qui in iis quos è renibus laborare conſtat non morbi genus, ſed acumen & celeritatem diſtinguat hoc loco & prædicat: aut vt interpretes nonnulli fecerunt, pro nephriticũ ſcribendũ phreniticũ. quãquàm nec hoc ſolius phrenitidis nec febris abſolutè aut ardẽtis, ſed omnis colliquefacientis eſt ſignum. Porrò nomẽ conferta orationi additum poteſt tum breuitatẽ temporis ſignificare, tum etiam poteſt loci nihilominus. Quod enim in ſe coactum eſt & continens, id cõfertum vniuerſúmque dicimus, diſtracto atque diſperſo contrarium. Atque hactenus iſta à noſtris etiam præceptoribus ſunt explicata. Iám verò quod mihi videtur dicam. Conferta vox orationi præſenti addita mihi de temporis breuitate dici videtur, atque ideò adipis renum indicare liquationem. In aliis ſiquidẽ corporis partibus liquati adipes, paulatim non vniuerſim exeunt cum vrina. Primùm enim colliquefactum pin-

gue illud in proximas ſibi venas tranſportatur, deinde in continuas, indéque rurſum in alias atque alias traducitur, donec tandem in renes perueniat. Renum verò colliquefacti adipis in vrinas traductio celerrima eſt, nec paulatim ſed confertim vniuerſimque fit, atque ideo renum affectioné indicat. Cui rei experientiá quoq; ipſam aſtipulari comperies ſi id diligenter artis operibus obſeruaueris. Cæterùm quum gemina habeatur lectio (in quibuſdam enim exemplaribus ἐπίστασις, id eſt ſuperficies, ſeu ſumma vrinæ pars: in aliis ὑπόστασις, id eſt ſedimentum ſcribitur) priorem veriorem eſſe dicimus. Supernatat enim ſemper quod pingue eſt, non ſubſidet. Adhæc præcedentis aphoriſmi dictioni talis lectio magis conſonat. In illa enim dixit Hipp. Quibus in vrinis bullæ innatant affectum nephriticum & longam inualetudinem fore ſignificant. Eſt igitur innatare ſeu extare verbum iis quæ deinceps dicuntur cohærens & conſequens hoc pacto, Quibus verò ſumma vrina cõfertim pinguis eſt, his renú affectum & morbú acutum adeſſe ſignificat.

XXXVI.

Ὁκόσοισι δὲ νεφριτικοῖσιν ἐοῦσι τὰ προειρημένα συμβαίνῃ σημεῖα, πόνοι τε περὶ τοὺς

τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους γίνονται, ἢν μὲν περὶ τοὺς ἔξω τόπους γίνονται, ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον ἔξω. ἢν δὲ μᾶλλον οἱ πόνοι πρὸς τοὺς εἴσω τόπους γίνωνται, καὶ τὸ ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον μᾶλλον εἴσω.

Si quibus verò è renibus laborantibus præter ſuprà dicta ſigna dolores etiam circa ſpinæ muſculos fiant, ſi quidem ad loca exteriora ſentiantur, foras abceſſum quoque fore expecta: ſi verò ad interiora magis vergant, introrſus etiam abſceſſum futurum potius ſperandum eſt.

Superioribus aphoriſmis affectorum renum ſigna & indicia tradidit, in præſenti verò de iis agit quos longo tempore nephriticos fuiſſe cōſtat: in quibus futurum prædicit abſceſſum, ſi ad ſuprà commemorata ſigna labor acceſſerit. id eſt dolor in iis ſpinæ muſculis, quos rachiæos & rhachitas appellant Græci medici, quaſi dorſales dicas. Horum duplex eſt genus: quidam exteriores ſunt, qui ponè ſub cute collocantur, totam vtrinque ſpinam complectentes: alteri verò interiores non in totam ſpinam porrecti, ſed ad eas ſolas partes quæ in lumbis ſunt pertinentes. In vtrouis autem horum fuerit dolor firmatus, ibi abſceſſum quoque futurum ſpes eſt. Vtrum verò renibus ipſis ſuppurantibus id fiat, an ſolis muſculis, an vtriſ-

que non explicauit Hippo. Cæterùm hæc omnia fieri poſſe oſtendit experientia. Nam & muſculi ſoli nonnunquàm hoc patiuntur vel interiores qui iidem ſunt anteriores, vel poſteriores qui & exteriores habentur: & ſine muſculis renes affici poſſunt aliàs introrſum, aliàs extrorſum inclinante in ipſis abſceſſu.

XXXVII.

Ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν, ἢν μὲν ἄνευ πυρετοῦ σωτήριον· εἰ δὲ ξὺν πυρετῷ, κακόν· θεραπεύειν δὲ τοῖσι ψυκτικοῖσι, καὶ τοῖσι στυπτικοῖσι.

Qui ſanguinem vomunt, ſi ſine febre accidat, ſalutare eſt: ſi cũ febre, malũ. Curatio verò refrigerandi & adſtringendi vim habẽtibus perficitur.

Vomitur ex ſtomacho & ventre: extuſſiuntur quæ efferũtur ex arteria aſpera & pulmone. Nonnulli tamen huius libri enarratores verbum vomere etiam de iis dici volunt, qui ex arteria aſpera & pulmone reiiciunt ſanguinem. Atqui ſalutarem eſſe hunc affectum, hoc eſt curari poſſe, ſi non febricitet is qui ſanguinem extuſsit, eſt à veritate alienum. Vt enim vel quàm maximè ſine febre ex pulmone ſanguis reiectetur, ne tamen curari non poſsit ſummum impẽdet periculum. Sed & ſanguinis reiectionẽ diuturnã, omni-

nò

nò febres ſequútur. Ob hanc igitur cauſam præſtat vomere verbum ita accipere tanquam propriè ſit ab Hippocr. vſurpatum, inſupérque quid à febre periculi habeat, & ex febris vacatione non habeat conſyderare atque explicare multo eſt rectius. Nam febre vacantibus liquet nullam eo loco inflammationem adeſſe, vnde effertur ſanguis. quo fit, vt vel vaſis alicuius ore recluſo fiat ſanguinis vomitus, vel ſine inflammatione vlcerationem habeat coniunctam. Facilè autem quæ ſunt citra inflammationem vlcera curantur aſtringentium vſu: quæ verò inflammationem ſimúlque febres etiam habent coniunctas, non ſolùm curationem reſpuunt, ſed ne eadem quidem magnitudine poſſunt permanere. Nã maiora ſemper fiunt & maligniora.

XXXVIII.

Κατάῤῥοι οἱ ἐς τὴν ἄνω κοιλίην ἐκπυοῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν.

Destillationes in ventrem ſuperiorẽ ad ſuppurationem perueniunt intra dies viginti.

Superiorem ventrem nunc appellat cauitatem à thorace circunſcriptam quam pulmo occupat, atque propterea in hunc á capite per arteriã aſperam defertur deſtillatio: quæ magna ex parte ſuppurat in-

tra dies viginti, non vt multi ſcribunt intra dies viginti & vnũ. Semper enim Hip. diem viceſimum facit iudicatorium non viceſimumprimum, quemadmodum demõſtrauimus in li. de diebus decretoriis.

XXXIX.

HN οὐρέῃ αἷμα καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ περίναιον καὶ τὸ ὑπογάστριον καὶ τὸν κτένα, τὰ περὶ τὴν κύστιν νοσέειν σημαίνει.

Si quis ſanguinẽ & grumos meiat, & ſtranguria laboret, dolore ad hypogaſtrium & pectinem & perinæum pertinente, ad veſicam loca laborant...

In omnibus ferè exemplaribus hic aphoriſmus inuenitur: quem expungere par eſt propter eũ qui prius nobis eſt declaratus in quarto horum commentariorum, his verbis conſtans, Si quis ſanguinẽ & grumos meiat, & guttatim vrinã reddat, & dolor pertineat ad imum ventrem & pectinem, ad veſicam loca malè ſunt affecta. Porrò huius aphoriſmi finis geminam habet lectionem, vnã quomodo ſuprà ſcriptus eſt, alteram in hunc modum, Veſicam ægrotare ſignificatur.

XL.

HN ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν

λικὸν τὸ τοιῦτο γίνεται.

Si derepentè lingua incontinens fiat, aut alia corporis pars attonita ſtupeat, ſignum eſt elancholicum.

Linguam incontinentem appellat aut infirmam, incertam & titubantem adeo t inexplanatam vocem edat: aut immotã & omninò ſolutam. Partem verò corporis perculſam & attonitã vocat reſolutã. Quamobrem verò iſta ſi derepentè accidant dicat eſſe melãcholica fateor me neſcire. Nã melancholiæ de qua certè recepto more inter omnes Græcos conuenit, rectè ſunt ab ipſo talia oſtenſa indicia, Si timor & mœſtitia longo tempore hominem habeant, melancholicũ eſt ſymptoma. Alioqui melãcholicas affectiones eſſe dicimus cancros, elephantas, & præterea lepras & pſoras & alphos nigros. Verùm neque ex talibus affectionibus aliquã, neque ab omnibus appellatã melancholiam videtur præcedere linguæ incontinentia, vt nec partis cuiuſquam perculſio & ſtupor. Supereſt igitur vt quemadmodum in quartana febre ſuccum melancholicũ ipſius circuitus cauſam eſſe dicimus, ſic etiã dictarum affectionũ, linguæ ſcilicet incõtinentiæ, & partis paralyſeωs eundem auctorem eſſe dicamus. Atq; fieri certè qui-

dem poteſt vt propter humoris craſsitiem tales conſequãtur affectus quales ex craſſa & lenta pituita ortum habent. Neutrũ igitur humorem abſolutè melãcholicum aut pituitoſum eſſe dicemus, ſed pituitoſum & melancholicum ſimul. Adiectum eſt autem orationi derepentè aduerbium propter noxas quæ paulatim contrahuntur tum ob ſcirrhoſam inflammationem, tum intemperiem ſolutu difficilem.

XLI.

HN ὑπερκαθαιρομένων τῶν πρεσβυτέρων λὺγξ ἐπιγένηται, οὐκ ἀγαθόν.

Si ſenibus ſupra modum purgatis ſingultus accidat, non bonum.

Duabus de cauſis eſt non bonum, tum quia immodicæ purgationi ſuperueniens ſingultus omnibus malus eſt, tũ quia ſenibus mala omnia grauiora eſſe ſolent & ſuſpectiora propter ætatis imbecillitatẽ.

XLII.

HN πυρετὸς μὴ ἀπὸ χολῆς ἔχῃ, ὕδατος πολλοῦ καὶ θερμοῦ καταχεομένου κατὰ τῆς κεφαλῆς, λύσις τοῦ πυρετοῦ γίνεται.

Si febris ſit non ex bile orta, multa aqua calida capiti ſuperfuſa febrem ſoluit.

Hinc fit manifeſtum nõ omnes febres fieri ex bile. Indidem etiam liquet cæteras febres omnes exceptis iis quæ ex bile

ortum

um habent, tepida multa aqua ſupra
ut effuſa ſolui:qua ratione primo etiã
idemi»n de Melitone ſcripſit, Calida
ut perfuderat. Febres enim ab æſtu &
gore excitatæ talibus lauationibus le-
itur, nec minus quæ ex fatigatione, &
e ex meatuum exilium ſtipatione ſiue
pter obſtructionem ſiue conniuen-
n ſiue corporis ipſius denſationem co-
tati ſint & conſtricti. Tranſpirare ſi-
dem per ipſas & digeri diſsiparíque
ortet febrilem calorem. Non tamen
inflammatio aliqua aut ſine inflam-
tione humoris putredo igneum accen
calorem, balneæ ſunt vtiles niſi vacua-
orius aut concoctis humoribus noxiis.
rùm tales ægrotationes, pleuritides,
peripneumonias, & hepatitides, &
nitides appellabant veteres, febrem
im pro ſymptomate non pro morbo
habentes: In quibus verò ſine partis
ammatione, qui in venis continentur
mores putreſcentes febrem accendũt,
his ſolis hominem febre conflictari,
ímque febrem habere dicebant. In
ipſis etiam febrium ſcripſerunt diffe-
tias, Epialam, & Lipyriam, & Helo-
n & Typhodem, & Peſtilentẽ & Cau-
appellantes: Hepaticã verò febrem,

aut

aut ſplenicam, aut peripneumonicam, aut pleuriticam nemo dixit. Quare nunc Hippocrati ſermo habetur de febribus ipſis citra partium inflammationem. Porrò in plurimis exemplaribus nõ aqua ſed ſudor ſcribitur: ea lectione eiuſmodi aliquam ſententiam indicante, Si febris nõ ex bile hominem habeat, copioſus ſudor è capite defluens febrem ſoluit. non vtique ex ſolo capite ſudorem manare dicente Hippocr. ſed ex ea parte quæ prima oculis ſubiicitur de reliquo corpore idem eſſe intelligendum ſignificante: quam lectionem ſi retineamus, fiet vt qui propter bilem febricitant, nihil talibus iuuentur ſudoribus. Atqui ſæpius quum aliæ multæ febres, tum in quibus plurima eſt flaua bilis, tertiana & ardens ſudoribus manifeſtis ſoluuntur. Prior igitur præferenda eſt lectio, vtpotè quæ veram earum febrium generatim curationẽ doceat quæ fatigatione, aut vſtione à ſole, aut perfrigeratione, aut denique ſtipatione cutis fiunt. Illud verò, Non ex bile, vtranque bilem ſignificare poteſt: non tamen propter has ſolas, ſed propter pituitam etiam putreſcentem excitari febrem oſtendimus. Atque quantum in hac ſola eſt non videbitur aphoriſmus verus, niſi quis putrefact

factione pituitam in bilioſum humo-
n tranſire & degenerare velit.

XLIII.

Γυνὴ ἀμφιδέξιος ὀ γίνεται.

Mulier non fit amphidexia.

Euripides gladium appellauit amphi-
ium ancipitem & vtrinque ſcinden-
n: Et Homerus Aſteropæum peride-
m, quòd ambabus manibus ſimiliter
retur, quaſi amphoterodexium dixiſ-
Eodem modo Ariſtophanes in Tage-
s hominẽ ampharifterum nũcupauit,
vtramque manum ſiniſtram & inex-
itatam habet. Et Hipponax amphide-
m dixit eo verſiculo,

ἀμφιδέξιος γάρ εἰμι, καὶ οὐχ ἁμαρτάνω.

Viri itaque qui ambabus manibus vt
tris vterentur ſæpenumero ſunt viſi:
lier verò nulla adhuc viſa eſt amphi-
xia, ob naturæ imbecillitatem. Nam ſi
opter neruorum & lacertorum robur
rari quidã viri ambabus vtuntur ma-
us, par certè fuerit mulierem non vti,
abundè eſt ſi ſola dextra vtatur mo-
è. Siquidem Amazonidas ipſe dixit
mmam ſibi dextram adurere, vt co-
ſiore alimento ad propinquam ma-
m perueniente, maior ipſi firmitas ac-
lat tanquam naturâ infirmæ & debili.

Sunt

Sunt tamen qui amphidexiam mulierem dictam eſſe contendant, quæ dextra vteri parte ſit genita. Atque iſtis longè abſurdius nonnulli dicunt, de iis ſcilicet qui Hermaphroditi appellantur aphoriſmum Hippocrati eſſe traditum: in quo doceat mari quidem pudendum adnaſci muliebre, mulieri verò virile minimè.

XLIIII.

Ὁκόσοι ἔμπυοι καίονται ἢ τέμνονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται· ἢν δὲ ὕφαιμον καὶ βορβορῶδες, καὶ δυσῶδες, ἀπόλλυνται.

Si empyis quum vruntur aut ſecantur purum & album pus effluat, euadunt: ſi verò ſubcruentum, fæculentúmque & fœtidum, pereunt.

Empyemata appellare ſolet non quæ intra thoracem tantùm, ſed etiam quauis alia corporis parte in pus mutata ſunt tubercula. Præ cæteris verò empyos ferè ſolos eos vocat, quibus eſt inter pectus & pulmonem pus collectum: quos vrere cõſueſſe veteres licet ex iis diſcere quæ Plato comicus in Cineſia his verbis dixit, Poſtea Euagore filius ex pleuritide ſceletus, aridus & exuccus, pure vacans, arundinacea gerens crura, tabis prænuntius, plurimas ab Euryphonte inuſtas eſcharas habens in corpore. Quòd verò album pus

bonum

um ſit, fæculentum verò & fœtidum um, nemo eſt qui ignoret.

X L V.

Κόσοι τὸ ἧπαρ διάπυον καίονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκόν, περιγίνονται· ιτῶνι γὰρ τὸ πύον τουτέοισιν ἐστίν· ἢν δὲ οἷον ργη ῥυῇ, ἀπόλλυνται.

uibus purulentum iecur aduritur, ſi purum effluat & album, ſalui fiunt. in tunica enim pus continetur: ſi verò qualis amurca pro-t, intereunt.

pſemet cauſam attulit, quamobrem is qui ita affecti ſunt quidam intereāt, euadant. Nā quibus eſt in tunica pus ſa iecoris ſubſtantia, omnes ſeruātur; bus verò in carnem vſque iecoris cortio penetrat, ij bona ratione moriun-Quòd autem *ἀμόργην* id eſt amurcam fæcem nominent Græci, quódque ſimilem par ſit eſſe iecoris crudā pu-dinem omnibus eſt manifeſtum.

X L V I.

Δύνας ὀφθαλμῶν ἄκρητον πότισας ἢ λούσας πολλῷ θερμῷ, φλεβοτόμει.

Dolores oculorum poſt meraci vini potum & æ calentis balneum, venæ ſectione curato.

Hic aphoriſmus mihi videtur ex aſcritiis vnus eſſe, quippè qui non conſen-: cum eo qui ſuprà ſcriptus eſt hoc pa-

ᵭo,

ctio, Dolores oculorum vel meraca potio, vel balneum vel fomentum vel venæ ſectio, vel purgatio ſoluit, quem quidem ſexto nos explanauimus commentario, oſtenſis iis affectibus in quibus horum ſigillatim remediorum vſum adhibere oporteat. Propoſitus verò aphoriſmus ad vnam affectionem tria iubet adhibenda eſſe remedia. Verùm ſi quis nos docere poſsit affectionem cui tria hæc remedia ſint opus, ei profectò gratiam habituri ſumus. Quandiu autem aphoriſmum vt germanum & legitimum recipient & explicabunt, nec quænam ea ſit affectio docebunt, non facilè eorum expoſitionibus fidem adhibebimus. Quæ verò dicunt ij qui omninò aliquid licet parum probabile conantur dicere, ſunt huiuſmodi, In quibus craſſus ſanguis redundat, atq; idcircò vacuatione eget, in his meliùs eſſe putant ſanguinem prius fundere, deinde phlebotomia vti: fuſum verò & tenuatũ iri ſi meracum bibant & balneis vtantur. Sed qui verſati ſunt & exercitati in artis operibus norunt probè eos qui talia dicãt periculum nunquàm feciſſe eorum quæ dicunt. Neque enim plethorica affectio vinum aut balneum fert abſque maximo incommodo: Sed ſunt iſthæc ſanguinis

craſsi

aſsi auxilia parte aliqua impacti & cu-
ati ſine totius corporis plenitudine. Sic
im Aſclepiades vino vtitur poſt totius
rporis vacuationem aduerſus materiæ
aſſæ obſtinationem venulis oculorum
rētis. Quòd ſi totius corporis adſit ple
tudo, prius inter bibendum & lauandū
ulorum rumpantur tunicæ quàm earū
pediatur obſtructio. Quare ſi citra ple-
tudinem dolor fiat propter obſtructio-
m & cuneationem craſsi ſanguinis, re-
ē quidē lauerint illi & vinum dederint,
on etiam venam ſecuerint: Si verò adſit
enitudo, tum rectè phlebotomen vſur-
bunt, malè verò lauationibus & vino
entur.

XLVII.

Ὑδρωπιῶντα ἢν βὴξ ἔχῃ, ἀνέλπιστός ἐστιν.

Si hydropicum tuſsis habeat, deſperatus eſt.

Hoc priùs altero aphoriſmo dictū fuit, qua inter cutem laborantibus ſi tuſsis perueniat, malum.

XLVIII.

Στραγγουρίην καὶ δυσουρίην θώρηξις καὶ φλε-
βοτομίη λύει· τέμνειν δὲ τὰς εἴσω φλέβας.

Stranguriam & dyſuriam thorexis & venæ
ctio ſoluit. Incidendæ autem ſunt interiores.

Quod ſtranguria τὴν κατὰ στράγγα τῶν
ρων ἀπόκρισιν, id eſt guttatim vrinā red-

Q

ditam ſignificet, vel nomen ipſum poteſt oſtendere. Dyſuria verò dici poteſt tum quæ cum dolore fit mictio, tum quæ cum difficultate aliqua, adeò vt ægrè veſica agat munúſq; ſuum obeat. Porrò ſtranguriam aliâs vrinæ ipſius acrimonia & mordacitas efficit, aliâs facultatis retentricis veſicæ imbecillitas, quæ quum ob omnẽ intemperiem, tum maximè frigidam accidere poteſt. Dyſuriam verò ſiquidẽ coniunctum dolorem habeat, phlegmone & abſceſſus & vlceratio, & inæqualis intemperies, & ſpiritus flatuoſus faciunt: ſi verò difficilis quædam veſicæ motio adſit, tum vel virtutis imbecillitas, vel tumor præter naturam eſt in cauſa. Inter has omnes veſicæ affectiones frigidam thorexis ſoluit, id eſt vel vini ſimpliciter potio, vel vini meraci: eámque præterea inflammationẽ quæ propter obſtructionẽ ſanguinis craſſioris citra plenitudinem ſit facta. Nam eam quæ cũ plenitudine eſt, ſed & aliam quæ ſine defectu ſit & cum virium robore ſanat venæ ſectio. Porrò de venis interioribus ſecandis diximus ſuperiore libro, in quo mihi explicatus eſt aphoriſmus ille, Dyſuriam phlebotomia ſoluit. incidenda autem eſt vena interior.

XLIX.

XLIX.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα καὶ ἐρύθημα ἐν τῷ στήθει ἐπιγινόμενον, ἀγαθόν. ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

Ab angina detento tumor & rubor in pectore ſuperueniēs, bonum. foras enim morbus vergit.

Hic aphoriſmus anteà ſcriptus eſt his verbis, Angina oppreſſo tumorē in broncho fieri bonū: quē quidē explicaui quarto horum cōmētariorū. Quare malē hoc loco aſcriptus eſſe videtur, volēte quopiā illud adiūgere, foras enim exiſtit morbus.

L.

Ὁκόσοισι ἂν σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

Quibus cerebrum ſyderatū eſt, intra tres dies intereunt: ſi verò hos ſuperauerint, ſani fiunt.

Oſſa quidem σφακελίζειν, id eſt ſyderari ſæpe dixit lib. de fracturis & articulis pro corrumpi & omninò vitiari id verbi vſurpans. Hoc autem loco cerebri corruptionē eo verbo intelligere nō poſſumus propter orationem illam adiunctā, Si verò hos ſuperauerint, incolumitatem recipiunt. Si enim ſphacelus eſt totius ſubſtātiæ corruptio partis cuiuſque ſphacelo tētatæ, curationem certè nullam admittet cerebrum ita affectum. Niſi fortè verbo

Intelligere videtur vehementē capitis quaſſum aut ictum, cuius occaſione cerebri ſit orta magna inflāmatio. Nā σφακελίζεσθαι etiā ἀποπλήττεσθαι ſignificat.

abutãtur ad ſignificandũ huius affectionis principiũ, necdum ipſam completam omninò & cõſummatã.*Eiuſmodi enim nonnulla carnoſis etiã partibus per gangrænas accidunt, quũ affectus ſcilicet ob inflammationis magnitudinẽ parti laboranti ſtupiditatẽ ſenſus quandã & nigritiam, aut omninò mortiferũ quendã colorem cõciliat. Tamen eum etiã gangræna laborare dicimus qui nũc primùm eo affectu tentari incipit. Quemadmodũ igitur iam cõpletam eóq; progreſſam gangrænam vt pars emoriatur ſanare non licet, dum verò adhuc generatur licet, ſic etiam ſphacelum. Quanquã carnoſarum etiam partiũ mortem quæ inflammationis ſequitur magnitudinẽ & quam medici gangrænam propriè nominant, etiam ſphacelum Græci appellabant. Siquidem ita mihi Herodotus Cambyſis femur ſyderari dixiſſe videtur. quo ſolo modo cerebrum etiã quiſpiam dicat ſyderari. Porrò quamobrem cerebri ſyderatio citam mortem adferat omnibus eſt manifeſtũ, tum quia affectus eſt grauiſsimus, tũ pars principalis. Quòd ſi ægrotum mors intra tres primos dies de medio tollere nõ occupet, ſed ad quartũ diẽ perueniat, ſpes eſt morbum remiſſum iri, & vires fore firmas adeo

a Gangræna propriè in carne eſt qui ſphacelus in oſſe.

adeo vt morbo ſint omninò ſuperiores.

L I.

Πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ· ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐννεὼν ἔξω, ψοφεῖ δὲ, ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστίν.

Sternutamentum cietur ex capite cerebro excalfacto, aut perhumectato ſpatio in capite inani. Aer enim intus contentus foras erumpit. Strepit autem quia per anguſtum ipſi eſt exitus.

Eiuſmodi orationes duo ſignificant, vnum quod vniuerſaliter de omni re propoſita dicitur, veluti hoc loco de ſternutationibus: alterum quod de re ſingulari quapiam effertur, vt hîc de ſternutationibus ex capite factis. Prior itaq; oratio erit talis, Omnis ſternutatio initium motus habet ex capite, excalfacto cerebro, vel perhumectato ſpatio in capite vacuo. Altera verò, Sternutamētum ex capite prodiens, fit cerebro excalfacto aut perhume ctata cerebri vacuitate: quæ oratio verior exiſtit. Neque enim omnis ſternutatio fit excalfacto cerebro, aut perhumectato ſpatio in capite vacuo. Pennis enim quidam ſibi nares vellicantes aut fodicantes ſternutāt: & cũ tuſſi vnus aliquis ſpiritus infernè elatus ad naris meatus ſternuta-

tionis ſit cauſa. Nam putare ſolum eum aërem qui ex capite excernitur eſſe qui ſonitum edat, eſt manifeſtò falſum. Euidenter enim infernè ex pulmone aër efferri apparet ſeſe vniuerſim & repentè cō trahente pectore. Sed & quòd ſternutationem inſpiratio præcedat, naturâ ſcilicet aëris copiā conflante ad ſternutamēti generationē, cum iis quæ dicta ſunt conſentit. Ea itaq; ſternutatio quæ generationis principium habet appetitionē naturæ flatuoſum ex capite ſpiritū excernere geſtiētis ſola eo modo fit quem hoc aphoriſmo docere aggreditur Hippocrates, ac ne hoc quidē modo fortaſſe perpetuo. Nā qūod ait Perhumectato, ſuperuacaneum eſt ad generationē ſternutamenti. Vt enim humor aliquis in capite redundet, non propterea ſternutamentum excitat niſi ventoſus fiat, quod manifeſtò in multis cernitur qui copioſam licet per nares humiditatem excernant, perſæpè tamen neceſſariò nō ſternutant. Soli enim ij ſternuūt ex iis qui ita ſunt affecti, quibus mordax eſt à capite defluens humiditas, nō aliter quàm ſi mordax & vellicās aliquid naribus indas. Quemadmodum enim tuſsis quoddā naturale ſymptoma eſt ad expurgandas pulmonis aſperas arterias, ſic ſternutam

ıtamentum narium meatus manifeſtò
ꝛpurgare videtur. Porrò duobus locis
eluti ſpiraculis quibuſdam quum perfo-
atæ ſint nares, vno quidem lato ad os, al-
ero verò per exiles meatus ad cerebrum
pertinẽte, quod quidẽ ad os peruenit fo-
ramen à flatu infernè ſublato expeditur,
qui verò in cerebrum ferũt meatus ab eo
qui indè defertur ſpiritu expurgantur.
Quòd ſi diligẽter obſeruaueris ſternumẽ
ta quæ ex cerebro motionis habent ini-
tium, capitis proculdubio grauitatẽ alle-
uare cõperies. Fiunt enim rarefactis hu-
moribus capite cõtentis & naturæ impe-
tu excretis. Rarefiunt autẽ ipſi concalefa-
cti à calore natiuo ſeſe exuſcitante, cuius
propter imbecillitatem priùs coaceruata
fuerat ſuperuacanea humiditas. Quum
itaq; ait perhumectato cerebri inani ſpa-
tio, præcipuè quidẽ intelligẽda venit ven-
triculorũ cerebri inanitas, ſed etiã ſpatiũ
illud vacuũ quod cerebrũ extrinſecus am
bit. Indè enim facilè ſpiritus per cerebrũ
in ventres permeare, deinde nares ipſas
ſubire poteſt. Quia verò cõfertim erũpit,
ſonum elidi ipſemet Hippocrates eſt au-
ctor. Eſt autem omnis ſternutationis cõ-
munis ſtrepitus, ex alterutro ſiue pulmo-
ne efferatur, ſiue capite deferatur.

LII.

Ὁκόσοισιν ἧπαρ περιωδυνᾶται, τούτοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὴν ὀδύνην.

Quibus iecur vehementer dolet, ijs febris ſuperueniens ſoluit dolorem.

Vox ſuperueniẽs indicat anteà quo tẽpore vehementer cruciabantur nõ febricitaſſe. Si itaque iecur vehemẽter doleat, id fit vel propter fortem inflammationẽ, vel ob ſpiritum flatuoſum: ſed ipſis non aderat inflãmatio, alioqui febricitaſſent omninò: par eſt igitur flatuoſum ſpiritũ cauſam doloris fuiſſe in ipſis. Dolet certè quidem iecur etiam propter obſtructionem, ſed modicè, & cum ponderis potius quàm vehementis doloris ſenſu quodam. At vehemens dolor fit propter flatuoſum ſpiritum, aut inflammationem, quæ vel eſt maxima, vel ſuppurat.

LIII.

Ὁκόσοισι συμφέρει αἷμα ἀφαιρέεσθαι ἀπὸ τῶν φλεβῶν, τούτοισι χρὴ ἦρος φλεβοτομέεσθαι.

Quibus ſanguinem è venis detrahere conducit, ijs vere ſecanda eſt vena.

Hic aphoriſmus pars eius eſt qui ſuprà dictus fuit hunc in modum, Quibus phlebotomia aut purgatio conducit, iis vere pertundenda vena eſt, aut purgatio adhibenda.

nda. Vnde in quibuſdam exemplaribus mninò nõ aſcribitur. Quod ipſum ſciũt bri interpretes nonnulli biſque aphoriſ-ıum ſcribunt, alij ne recordantur quidẽ rorſus ſuprà fuiſſe ſcriptum. Satis autem uoſdã mirari nequeo qui nõ ſolùm eoſ-lem aphoriſmos bis ſcribunt, ſed etiam n eiſdem commentariis addunt explica-tiones nulla data ſignificatione aut men-tione facta iam anteà ſcriptos eſſe inte-gros quoſdam, alios parte altera defectos, cuiuſmodi præſens eſt. Quid igitur ſibi voluerint ij qui tales ad calcẽ libri apho-riſmos addiderũt, aut Hippocrati ipſi ve-nerit in mentem vt de iiſdem bis faceret mentionem, & eoſdem bis exponerẽt in-terpretes nonnulli coniecturam quidem ipſe facere non poſſum. neque enim mihi fit veriſimile auctorem ipſum tam obli-uioſum fuiſſe in tantis rebus, præſertim cùm talis fuerit, qualem in omnibus Hip-pocratem fuiſſe nouimus: neque rurſum tãtam eorum qui addiderint vel obliuio-nem, vel quandam aliam vafritiam cogi-tatione cõprehendere poſſumus propter quam bis de eiſdem ſcribere vellent. Sed multo etiã magis enarratores eos mire-ris, qui quum eoſdem aphoriſmos bis ex-ponant, ne hoc quidẽ ipſum meminerunt

quòd ſecundò id facerent. Omnium verò maximè admiratione digni, qui diuerſis locis & hîc prope libri finem, & in ſuperioribus in eoſdem aphoriſmos diuerſas & pugnantes ſcripſerunt expoſitiones.

LIIII.

Ὁκόσοισι μεταξὺ τῶν φρενῶν, καὶ τῆς γαστρὸς φλέγμα ἀποκλείεται, καὶ ὀδύνην παρέχει οὐκ ἔχον διέξοδον εἰς οὐδετέρην τῶν κοιλιῶν, τουτέοισι κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν τραπέντος τοῦ φλέγματος, λύσις γίνεται τῆς νόσου.

Quibus inter ventriculum & ſeptum tranſuerſum pituita concluditur, & dolorem adfert in alterutrum ventrem viam non habens, iis per venas in veſicam verſa pituita morbi fit ſolutio.

Meritò mihi hoc loco Marinus hærere videtur, fieri non poſſe ratus vt inter ventriculum & ſeptum tranſuerſum conſiſtat pituita. Ipſam enim defluxuram deorſum ad pubis vſque oſſa: ſed ne traduci quidē & remeare poſſe in venas, quo modo in hydropicis tenuis illa & aquoſa humiditas in venas reſumpta & reſorpta excernitur per vrinas. Itaque orationem illam inter ſeptum tranſuerſum & ventriculum accipiendam eſſe pro inter proprium ſepti trāſuerſi corpus quod carnoſum eſt, & ſummam peritonæi partem ſeu

verticem.

verticem. Verùm Marine etiamſi vt vis intellexerimus, ſimiliter difficilis & irremeabilis manebit illa in venas pituitæ reſumptio. Neque enim indè poteſt per venas in renes peruenire: quod fieri ex ea capacitate poteſt, quæ ſub peritonæo eſt poſita. Huc adde impropriam prorſus eſſe abuſionem illam appellationis ventriculi. Nihil enim peritonæum ventriculo ſimile obtinet quamobrem nominis habere debeant cõmunionem. Præſtat igitur ita accipere, quemadmodum intellexerũt omnes, illud ſcilicet ab Hippocrate ſpatium dici, quod infra ſeptum trãſuerſum eſt, atque intra eam peritonæi partẽ continetur quæ epigaſtrio reſpondet: ſimúlq; expendere an quod ab eo dicitur fieri poſſit. In quo nos ſcire oportet arbitrari Hippocratem naturã ſemper ſi ſit robuſta materiæ viã moliri & inuenire etiamſi quàm maximè craſſa ſit, & per exiles tranſitura meatus: quando per oſſa etiam abſceſſus fieri dicat. Sed & ipſi in purulentis, quos Empyos Græci vocãt, inter thoracem & pulmonem collectum humorem extuſsiri videmus, vt ſanguinem etiam per mediam cutem integram elabi interdum in iis oſsibus quæ rupta poro firmantur & occalleſcunt. Neque igitur nũc pituitam

de

de qua Hip.ſermo eſt arbitrari oportet ad vrinas traduci omninò non poſſe:ſed hoc etiam aliquando à natura multo antè pituitam eiuſmodi, vt in empyis pus paulatim extenuate fieri putandum eſt.*

Materia ex venis in omnem locum commeare, & in eaſdē tenuata remeare poteſt.

L V.

Ὁκόσοισιν ἂν τὸ ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν εἰς τὸ ἐπίπλουν ῥαγῇ, τουτέοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπιμπλᾶται, καὶ ἀποθνήσκουσιν.

Quibus iecur aqua refertum eruperit in omentum, his venter aqua expletur, atque moriuntur.

Maximè obnoxium iecur eſt generandis in ea tunica quę extrinſecus ipſum ambit veſiculis aqua plenis, quas hydatidas appellant Græci. Siquidem in iugulatis animalibus apparet interdum talibus veſicis refertum. Si quando igitur acciderit vt tales hydatides rumpantur, in eam peritonæi regionē aqua effundetur quæ eſt ſecundum epigaſtriũ:in quo ſpatio etiam per hydropas aqua colligitur. Nam intra omentum,quod Græcè epiploon dicitur, aqua erumpere nõ poteſt quin ipſum aliquatenus exedatur. Solidũ enim eſt,ſibíque vndique conſtans & denſum, vt nihil in ſe ex parte alia interlabi aut interrepere ſinat præter quàm ex ventriculo, colo, & liene illíſque partibus vnde ipſum enaſcitur. Aut igitur exedi vult peritonæum parte

parte eius dextra qua iecori propinquat, vel illud in omentū eruperit pro in omenti locum interpretari conuenit. Ventrem autem aqua repleri non de eo in quem cibaria recipiuntur eſt dictum, ſed de eo tumore omni qui infra thoracē prominet: quo ſignificatu progaſtores nonnulli, id eſt ventrioſi, & ventrem ferre grauidę dicuntur. An verò quibus eo loci aqua coaceruatur moriantur conſyderandum eſt. Nam aut ſemper aut ferè ita fieri intelligere oportet. Ex hydropicis enim aliqui ſeruantur, etiam ipſis tali ſpatio aqua referto. Quemadmodum itaq; in his curatio poteſt perfici medicamentis hydragogis aquas purgantibus & exigētibus, tum etiam vreticis, id eſt vrinas prouocātibus, & epithematis humoris eiuſmodi per halitum & vaporem eliciendi & digerendi vim habentibus: ita in illis etiam accidere poſſe videtur, in quibus iecoris ruptis aquoſis illis veſiculis in ſpatium ſub peritonæo & omento aqua concedit.

L V I.

Αλύκη, χάσμη, φρίκη, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος, λύει τὴν νόσον.

Anxietudo, oſcitatio, horror, vinum pari aquæ portione epotum, ſoluit.

Meritò iſthæc loquendi forma quibuſdam

dam viſa eſt ſolœcophanes, id eſt ſolœciſmi ſuſpicione nõ carere: ideóque caſu accuſandi ſcribũt, Anxietudinẽ, oſcitationem, horrorẽ vinum æqua portione aquæ permiſtum ſoluit. Vtram autem in præſentia ſequaris lectionem, nihil refert ad aphoriſmi explicationem. Imprimis enim illud ſcire oportet ἀλύκην appellaſſe Hippocratem (quaſi tædium ſui & diſplicentiam dicas) quam multi Græcorum ἄλυν nominãt. Deinde quænã ſit ſymptomatis huius effectrix affectio ſciri velim. Ἀλύειν itaque ſecunda valetudine eos dicunt qui præſentiũ offenſione & tædio errabunda ſemper ſunt mente & incerta, atque ad alias ſubinde aliáſque tranſeunt tum res tum actiones: aduerſa verò valetudine ſimiliter etiã ἀλύειν eos dicunt qui non ferentes decubitũ lecto non acquieſcũt, ſed formas mutant quia præſens ſemper grauis ſit & moleſta. Hoc autem iis maximè euenire habemus compertum, quibus in ore ventriculi (quod per nominis abuſionem ſtomachũ aliquando appellant) propria quædam humoris moleſti qualitas continetur, neque multi neque innatantis in ventriculi capacitate, ſed altius in ipſius tunicis imbibiti. Quinetiam oſcitationem & pendiculationẽ fieri demon-

ſtrauim

uimus contenta in muſculis(per quos luntarij quoque motus peragũtur) vel miditate ventoſa, vel ſpiritu vaporoſo. orror quoque fit prauis humoribus per tem ſparſis & diſcurrentibus. Conſtat tem loqui nos de horrore eo qui è corre morboſo motionis accipit initium, n ab aliqua cauſa externa proficiſcitur. gula igitur enumerata curat vini me- ioris potus, cuius temperationis mo- n ipſe indicauit his verbis, Vinum æ- ım æqua permiſtum aqua bibitum. lt enim aqua vinum temperari æqua tione, vt tantum materię moleſtę pro- latur vacuetúrque quantum violentæ delationi eſt ceſſurum, reliquũ verò peretur epicraſi. Calfacit enim vinum xperimur, totum corpus & celeriter mnes fertur partes, cum eo quòd mi- es humores reddit.

L V I I.

Κόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα γίνεται, του- τέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, ται ὁ πόνος.

Quibus in meatu vrinario generatur tuber- m, vbi ſuppurauerit & eruperit, doloris fit ic.

Hunc etiam anteà ſcripſit aphoriſ- n, nósque explicauimus in ea dictio- ne quæ

ne quæ ſic habebat, Quibus in vrinæ ductu tuberculum ortum eſt, ſuppurato eo & effuſo ſolutio fit.

LVIII.

Ὁκόσοισι δ᾽ ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος προφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γίνεσθαι παραχρῆμα.

Quibus occaſione aliqua cerebrũ fuerit vehementer concuſſum, mutos protinus fieri eſt neceſſe.

Nonnulla exemplaria inuenias in quibus multitudinis numero multos per accuſatiuum ſcribitur aphoriſmus: alia verò in quibus mutum per ſingularem accuſatiuum loquendi forma ſolœcophani. Verùm id ne hoc quidem loco quicquam ad rem facit: quum ſciamus conſueſſe Hippocratem de vno ſæpè quàm maximè manifeſto ſymptomate, exempli gratia aphonia, id eſt vocis ademptione appellare & ſignificare eos qui cuiuſuis etiam alterius motus voluntarij, aut ſenſus faciũt iacturam, nec aliter atque apoplectici & attoniti ſine vllo ſenſu omninò & motu proſtrati iacent. Hoc autem propter alias etiam cauſas fieri poteſt. In præſentia verò Hipp. quaſſus tantùm & illiſus cerebri meminit, cuius occaſione talem fore inquit corporis totius affectionem. Ita porrò afflictari cerebro accidit repentino aliquo

quo è ſublimi caſu. Eiuſmodi enim caſus vertebrarum etiam ſpinæ σάσιν, id eſt adflictationem & violationem adferre ſolent: quod accidit quum ipſarum facta fuerit harmoniæ commotio & deprauatio, & contéta ipſarum cauo dorſalis medulla laborarit: quæ vehementius concuſſa neruis à ſe exortis ruptionis creat periculum. quæ res cerebro maximè accidit, eóque magis quanto in eius ambitu vacuum ſpatium eſt amplius, & multò magis in ſenibus, quemadmodum diximus in libris anatomicis. In ſe enim virtus animalis retracta in cerebrũ cogitur per tales affectiones commotione vehementiore offenſa, proptereáque quietem agit & feriatur. Porrò ex neruis obortis quidam valdè tenduntur, quidam aliqua ex parte diuelluntur. Quibus fit vt donec animalis facultas ſeſe receperit, mutum & immobile iaceat totum animans ita affectum. Quòd ſi abrumpi occupauerint, aut cerebrum parte ſui quapiam auulſum abſtractúmque fuerit: non iam ad ſe redeunt ſibíque ipſis reſtituuntur.

L I X.

Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι, δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν· λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα.

Corporibus humida carne præditis perferenda fames eſt. Nam fames ſiccat corpora.

Conſtat affectibus humidis remedio eſſe auxilia ſiccandi vi pollentia: ſiquidem contrariorũ contraria ſunt remedia. Conſtat porrò famẽ ſiccare per accidẽs. Nam ſi de corpore aliquid effluat diſsipetúrque non minus quàm anteà, nec quod vacuatur amplius alimẽto ſuppleatur, inſtauretur & ſarciatur, ipſum vtique ſiccius euadere neceſſe eſt. Certũ enim eſt ex ſingulis animantis partibus quicquid eſt humidius abire prius & euaneſcere. Siquidẽ effluuium ipſum fit quia tenuetur corpus & ſoluatur in vaporẽ duabus ex cauſis, externa vna aëre ambiente, interna altera calore natiuo. Nimirũ illud inde eſt quòd animantiũ terræ cauernis deliteſcentium nihil omninò aut certè exiguum effluat ex corpore, quia ſcilicet nec externo calore amplius nec interno incaleſcunt. Vnde ex ipſis nonnulla alimento non egent, alia perpauco omninò ſunt contenta.

POſt ſuprà ſcriptos aphoriſmos alij duo deinceps ſcripti inueniuntur in omnibus propemodum exemplaribus, & quorum libri enarratores ferè omnes faciunt mentionem. quidam etiam interpretantur, ſed pugnãtibus & diuerſis hîc atque

ıtque ſuprà explicationibus vſi, nec hoc
pſum monéces lectorem anteà fuiſſe ſcri-
ɔtos. Nos verò ipſorum explicationem
ſcripſimus quarto commentario lectione
ıonnihil differente. Vnus enim hoc loco
ſcriptus ſuperuacaneam habet hanc adie-
tionem, Nec deuorare poteſt niſi ægrè.
lter verò aduerbium ægrè ordine inuer-
o poſitum habet: vt prior legatur hoc
nodo, *Si febre correpto nullo in faucibus tu-
ıore, derepentè ſuffocationis immineat peri-
ulum, nec poſsit deglutire niſi ægrè, eſt mor-
ferum*: Secundus verò, *Si febri detento
ruix intorqueatur, & vix deuorare queat,
ullo in ceruice tumore conſpicuo, pernicioſum.*
uperiores verò quos quarto horum com
ıentariorum expoſuiſſe me dixi, in hunc
abebant modum, *Si febri detento nullo exi-
ente in faucibus tumore, ſuffocationis derepen-
metus oboriatur, pernicioſum.* Deinde qui
unc ſequitur, *Si febre laboranti ceruix in-
rqueatur & vix deuorare queat, non appa-
nte in faucibus tumore, exitioſum eſt ſignum.*
ım itaque expendamus id quod in prio-
aphoriſmo ex abundanti additum fuiſ-
dicebatur. Nam accidere ipſe vidi gra-
iter omninò & pernicioſe laborantibus
grotis, vt vel nullo planè modo poſſent
eglutire, vel ægrè, nullo in faucibus tu-

more conſpicuo. Hoc enim apertè diſcernere licet ore quàm maximè poteſt fieri hiante & aperto, & lingua ad inferiorem mandibulam appulſa & firmata. In tali ſtatu quòd ægrè difficultérque deuorent, cauſam ſuſpicari poſſumus communem illam eſſe ſtomachi & gutturis tunicam, ab internis ſubortam partibus. Hâc enim cibariorum per os deſcēſu ipſam quidem deorſum à ventriculo attrahi, totum verò guttur ſurſum trahere demonſtrauimus. Inflammatione igitur cum tumore interno guttur obſidēte fit vt aliàs nullo prorſus modo, aliàs ægrè obſequatur attrahenti ventriculo & deorſum reuellenti, eámque ob cauſam vel nullo pacto, vel ægrè difficultérque deglutiant.

L X.

Ὅκου ἂν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαί, καὶ τὸ σῶμα καταψύχηται, καὶ πάλιν θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου μεταβάλλῃ, μῆκος νόσου σημαίνει.

Vbi toto corpore mutatio, & corpus refrigeratur viciſſímque caleſit, aut calorem alium ex alio mutat, morbi ſignificatur longitudo.

Hunc quoq; aphoriſmum quarto commentario expoſuimus eadem propemodum lectione cum præſenti. Sic enim ſcriptus eſt, Et vbi toto corpore mutationes,

eluti ſi corpus frigeat, rurſúmque caleat,
t color alter ex altero oriatur, longitu-
inis morbi eſt argumentum.

L X I.

Y Δρὼς πολὺς θερμὸς ἢ ψυχρὸς ῥέων αἰεὶ, σημαίνει ἔχειν πλησμονὴν ὑγροῦ ἀπάγειν χρὴ τῷ μὲν ἰσχυρῷ ἄνωθεν, τῷ δὲ ἀσθενεῖ, κάτωθεν.

Sudor multus calidus frigidúsve ſemper fluens, umiditatem in robuſto quidem ſupernè, imbecillo erò infernè vacuandam eſſe demonſtrat.

Suprà alium aphoriſmum explicuimus uarto commentario, qui in hunc ſcribe-atur modum, Sudor multus calidus fri-dúsve ſemper fluens, frigidus maiorem, lidus minorem morbum ſignificat, vbi lium ſudorum cauſam eſſe dicebamus imiditatis copiam ægrotantis corpore ntentam: quam eádem ob cauſam pro-ſitus aphoriſmus humiditatem ſuper-iam educẽdam eſſe iubet in fortibus & buſtis ſupernè, id eſt per vomitiones, ibecillis verò infernè, id eſt per alui ſub-ctionem. Quòd itaque redũdantem in rpore humorem ſemper vacuare opor-it, manifeſtiſsima res eſt: an verò robu-s ſemper per ſuperna, infirmis per infer ſolùm abundans humor vacuãdus ve-at, non parum mihi dubitationis habe-

re videtur. Præſtat enim fortaſſe nõ eatenus diſtinguere auxiliorũ vſum, ſed quo modo nobis in therapeutica commentatione de omnibus eiuſmodi explicatum eſt & definitum. Quibus fit vt hunc quoque aphoriſmum ex falsò aſcriptis & adiectitiis eſſe credam. Poſt ſuprà poſitos aphoriſmos conſequenter alij tres reperiuntur in plurimis exemplaribus, qui ab interpretibus etiam ſcribuntur paulò alia diuerſáque lectione quàm quæ quarto habetur cõmentario. Sic autem eos ſcribũt.

LXII.

Οἱ πυρετοὶ εἰ μὴ διαλείποντες, ἢν ἰσχυρότεροι διὰ τρίτης γίνονται ἐπικίνδυνοι· ὅτῳ δ᾽ ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Si febres, tertio quoque die vehementiores fiunt nec intermittunt, periculoſæ: Quoquo modo autem intermiſerint, periculo vacare ſignificatur.

LXIII.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τούτοισιν ἢ φύματα, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐγγίνονται.

Quibus febres longæ, his tubercula in articulis, aut labores fiunt.

LXIIII.

Ὁκόσοισι φύματα μακρὰ, ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐκ πυρετῶν γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρῶνται.

 Quibus

Quibus longa tubercula, aut in articulis labores à febre fiunt, hi copioſiore cibo vtuntur.

Conſtat hos quoque perperam interpoſitos fuiſſe, nihil aut parum à ſuperioribus differentes, quos quarto explanaui ommentario.

LXV.

Ην τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι, ἰσχὺς, τῷ δὲ κάμνοντι, νόσος.

Si quis febricitanti cibum præbeat, quem ſano xhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit.

Etiam ſic præſens ſcribitur aphoriſmus, Si quis febrienti cibum det, valenti uidem roboris, ægrotanti verò morbi t augmentatio. Verùm vtraque lectio à aturali elocutione receſsit lõgius ad pra am affectationẽ, quam κακόζηλον vocant ræci. Neque enim quid ſibi voluerint ij ui libri finem tam variis & alienis rebus rnarunt video. Quædam enim eadem orſus dictione ſcribunt, qua ſuprà ab ippocrate ſunt ſcripta, quædam parum mutant, alia malè interſerunt, vt hunc ſum aphoriſmum à ratione dicẽdi Hipcratis longè alienum. Ille enim ſuprà cebat, Impura corpora quo plus alue-, magis læſeris, &, Si quis à morbo cim adhibens vires non recolligat, cors alimento copioſiore vti ſignificat: ſi

verò modicè epulanti idẽ accidat, vacuatione indigere ſciendum eſt. Et alia denique in eam ſententiã nonnulla ſecundũ naturam ipſi ſunt enũtiata. Præſentis verò aphoriſmi auctor affectatè dixit de cibo quòd benè valenti robur ſit, ægrotanti morbus. Voluit enim dicere cibum in ſanis roboris effectorem eſſe, in ægris noxæ, aut ſcilicet in valentibus vires augere, in ægrotis morbum. Verùm ipſe monſtroſa vſus eſt elocutione, qui cibum ipſum ſanis robur, ægrotãtibus morbum eſſe affirmauerit: quum nec robur ſit, ſed roboris auctor, nec morbus, ſed morbi faciendi, aut vt rectius dicam, augendi vim habeat.

LXVI.

TA διὰ τῆς κύστιος διαχωρέοντα ὁρᾷν δεῖ, ἃ οἷα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑποχωρέεται. τὰ ἥκιστα οὖν ὅμοια τουτέοισι, ταῦτα νοσωδέστερα· τὰ δὲ ὅμοια τοῖσιν ὑγιαίνουσιν, ἥκιστα νοσερά.

Quæ per veſicam permeant ſpectare oportet, an talia ſint qualia ſecunda valetudine ſubeunt. Nam quæ his minimè ſunt ſimilia, inſalubriora: quæ verò valẽtibus ſimiliora, minimè inſalubria.

Quæcunque toto corpore apparent ſanis ſimilia, ea ab Hippocrate tum in prognoſtico, tum aliis ſcriptis dicta ſunt bonum

ım quoddam ſignificare:diſsimilia verò
ıtrariũ portendere.Quam rem conatur
ınc dicere is qui hunc cõpoſuit aphoriſ-
um.Neque enim Hippocratis eſſe arbi-
or capta ex dictione coniectura , vt potè
ıæ nec formam eandem retineat,quam
us habet dictio, nec dictis ipſius exactè
ſpondeat.Illud enim quum diceret,His
inimè ſimilia,inſalubria:quis inſalubria
centẽ ferat pro inſaluberrima, aut ſum-
ê inſalubria? Aduerbium enim minimè
ım ſignificationis intentione & ſuperla
one dicitur, & cum magna præter natu
m mutatione. Atqui quæ ſunt præter
ıturam ſingula quantũ à naturali ſtatu
ceſſerunt, tanto ſunt deteriora. Quare
ıturalıbus minimè ſimilia,iis quæ ſecun
ım naturam habent ſunt maximè con-
aria,atque propterea inſaluberrima.

L X V I I.

KAὶ οἷσι τὰ ὑποχωρήματα, ἢν ἐάσῃς
στῆναι, καὶ μὴ κινήσῃς οἱονεὶ ὑφίσταται
σματα καὶ ἢν ὀλίγα ᾖ, ὀλίγη ἡ νοῦσος γί-
ται· ἢν δὲ πολλὰ, πολλὴ, τουτέοισι ξυμφέρει
τοκαθῆραι τὴν κοιλίην. ἢ δὲ μὴ καθαρὴν
οιήσας διδῷς τὰ ῥοφήματα, ὁκόσα ἂν πλείω
ιδῷς, μᾶλλον βλάψεις.

*Et quibus hypochoremata ſi reſidere permiſe-
s nec moueris, ſubſident veluti ſtrigmẽta, quæ ſi*

pauca ſint paruus morbus eſt, ſi verò multa, magnus, his aluum infernè purgari conducit. Alioqui ſi non repurgata aluo ſorbitiones exhibueris, quanto plures dederis, tanto magis offenderis.

Quæ per aluum ſubeunt ſolet ipſe hypochoremata & diachoremata dicere. Atq; idcircò quidam nũc conceſſerũt de iis quæ per aluum vacuantur haberi ſermonem. Verùm illud quod additum eſt, Si reſidere ſiueris nec moueris, repugnat. Hoc enim humidorum eſt proprium. atq; ideo alij quidã his adducti de vrinis Hippocratem hoc loco agere fatentur. Atque hi rurſum inter ſe diſſentiunt. quidã enim inſiſtunt ſeu innatant, alij ſubſident ſcribunt. Sed neutrum ab vrinis verbum eſt alienum. Siquidem ex iis quæ ſubſident & iis quæ innatant in vrinis ſolemus tum præſentium aliquid cognoſcere, tum futurorũ præſagire. At in alui excrementis innatare eſt conuenientius. Neq; enim vt in vrinis, ſic in alui excrementis facilis & obuia ſubſidentium cognitio. Nam in vrinis vas etiam ipſum ex vitro factum ſubſidentium naturam nobis luculenter oſtendit. & ſi alio vaſe vrina recipiatur, potes ſuperſtante effuſa ſolum ipſum in fundo relinquere ſedimentum. In alui verò excremẽtis neutrũ fieri poſſe videtur. Illud rurſum

n quod deinceps ſequitur, Veluti ſtri-
enta iis quidem quæ per aluum perua
nt conuenit: iis verò quæ cũ vrinis ab-
nt quoquo modo ſiue ſuperiore vrinæ
te, ſiue inferiore ſpectentur, non con-
nit. Strigmentoſa enim quandoque per
um permeant: atque ita conſueto mo-
non ſolùm Hippocrati, ſed aliis etiam
dicis nominâtur, non tamen in vrinis.
lis igitur nominum & verborum vſur-
io impropria aſcriptitiũ aphoriſmum
indicat. atque eo multo magis quòd
aluum ſubpurgari conducere dixit.
que enim ſimpliciter aut temerè, cui
aluum ſtrigmentoſa ſubeunt, ipſum
rgari conducit quemadmodum nec ſic
ectos ſi cibũ ſumpſerint aliqua neceſ-
iò eſt noxa ſequutura. Biliofis enim
euntibus per ventrem ſtrigmentoſa
erni videmus, propter quæ nec qui ſor
iones ſumpſerint omnes offenduntur,
præpurgare aluũ eſt neceſſe, ſiquidẽ
cuatũ iam ſit quicquid bilis inerat: ſed
lto minus etiam ſi cum vrinis veluti
nenta exeant, purgare conueniet. Huc
de quòd difficile ſit diſcernere qualem
mam eſſe velit eorum quæ veluti ra-
nta abeunt cum vrina. Verùm qui ho-
aphoriſmos interſeruerũt ob eam mi-
hi cauſ

hi cauſam tales compoſuiſſe videntur vt confuſior & obſcurior ita reddita oratio tanquàm ænigma nõ paruam inquiſitionem poſtularet & diſceptationem:in qua ſeipſos conſtituentes interpretes eorum quæ his aphoriſmis dicũtur, apud pueros gloriam aucupantur. Nam quòd obſcurè dicta & ſcripta omnia loquacitatis & inanis frigidæque verborum profluentiæ argumentum Sophiſtis præbeant, ex hoc aphoriſmo fiet manifeſtum. Siquidẽ qui ipſum interpretantur, nõnulli negant ſic affectis prohibere Hippocratem ſorbitiones dandas eſſe, ſed ne plures dentur vetuiſſe aiunt quum diceret, Et quo plures dederis eo magis offenderis: quaſi verò cæteri etiam qui ſorbitionibus egeant, earum nimietate lædendi nõ ſint,aut conſequens nõ ſit eum qui dixerit, Quo plures dederis, magis læſeris, paucioribus etiam putare minorem fore noxam. Propter vitioſam tamen & improbandã elocutionem promptũ eſt & facile Sophiſtis ſolutiones & effugia inuenire, præſertim quũ & addere aliquid & adimere & mutare liceat, id quod ſolent facere quum obſcuritatem habet oratio.Veluti hoc ſtatim aphoriſmo nonnulli cõiunctione, &, addita,quod alij ſequẽtis aphoriſmi principium

um ſtatuunt, huius finem faciunt, vt
modo habeat oratio, Si verò nõ pur-
a aluo dederis, magis læſeris, & quibus
da deiiciuntur: quaſi hos quoque ma-
offenſurus ſis, quo plures dederis ſor-
ones. Deinde altero facto orationis
ncipio ſic ſcribunt, Vbi atra bilis ineſt,
lus adſit, maior morbus, ſi minus, mi-
morbus. Maior tamen enarrantium
s aliter interpretantur & ſcribunt, vt
ſcripta habet dictio.

LXVIII.

Ὁκόσα ἂν κάτω ὠμὰ διαχωρέῃ, ὅτι χο-
λῆς μελαίνης ἐνεστιν, ἢν πλείω, πλείων,
ἐλάσσω, ἐλάσσων ἡ νοῦσος.

*Quibus cruda deorſum ſubeunt, ab atra ſunt
:ſi plura copioſiore, ſi pauciora minore.*

Diximus ſuprà eſſe qui aliter etiã ſcri-
t. Vbi enim obſcuritas adeſt, licet pro-
cuique viſum fuerit ſcribere, nulla ad-
rſus eos qui lectionem mutant lege la-
nec propter obſcuritatem ſolùm, ſed
iã quia falſa ſit oratio, propterea adde-
aliquid alterius inuentis aut adimere,
ıt ſcriptionem mutare coguntur: quem-
lmodum hoc etiam aphoriſmo fece-
ınt. cuius dictionẽ primi interpretes vt
Ierophilus bacchius, Heraclides & Zeu
s empirici in hanc ferè ſcribunt ſenten-
tiam

tiam, Quibus cruda ſubeunt, bilis atra adeſt: ſi plura plus, ſi pauciora minus. Verùm quia hæc oratio rei cuiuſdam particularis interpres eſt, vt de vniuerſali tamen enuntiatur, propterea dubitationē attulit. Alioqui ſi ipſius ſpectes dictionē, nullam habet difficultatē eo qui primus eam ſcripſit pronuntiante, Quibus cruda ſubeunt, atræ bilis copia ineſt inſtrumentis ſcilicet coquentibus, per quam refrigerata deterius coquunt, & apepſiæ, id eſt infortunatæ ſeu deprauatæ coctionis ſpeciem efficiunt à cruditate ortam: flaua bile alteram & contrariam faciente, per quam malè cocta nidorulenta euadunt. Non deſunt qui hunc quoque aphoriſmum de vrinis dici arbitrentur.

LXIX.

Αἱ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ χολώδεες, καὶ δυσώδεες πᾶσαι κακαί· ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί· καὶ κατὰ κοιλίην, καὶ κύστιν, καὶ ὅκου ἄν τι ἀποχωρέον στῇ μὴ κεκαθαρμένον, κακόν.

Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, bilioſæ, fœtidæ omnes malæ. Commodè tamen ſi prodeant, bonæ. Per aluum etiam & veſicam & quacunque corporis prodeat aliquid, ſi non purgatum reſtiterit, malum.

Hic

Hic quoque aphoriſmus ſuprà ſcriptus
ſt hoc pacto, Excreationes in febribus
on intermittentibus liuidæ,cruentę,bi-
oſæ omnes malè.Bellè tamen ſi prodeāt,
onæ: vt & quæ per alui deiectionem &
rinas.Si quid verò per hæc loca excerna-
ir quod non conferat, malum. Atque
ſum quarto cōmentario declarauimus.

L X X.

TA' σώματα χρὴ ὅκου τὶς βούλεται καθαί-
ρεσθαι, εὔροα ποιέειν· κἢν μὲν ἄνω βού-
ληται εὔροα ποιέειν, στῆσαι τὴν κοιλίην· ἢν δὲ
κάτω, ὑγρῆναι.

*Corpora qua quis repurgare volet, fluxilia
ciat oportet. Et ſiquidem ſuprà velit,aluus ſi-
enda:ſi verò infrà,laxanda.*

Huius quoque orationis prima pars ſu
rà eſt ſcripta ſine appēdice hac, Et ſiqui-
em ſuprà velit fluxilia facere &c. quam
uum aliquis hoc loco addere vellet, ite-
um aphoriſmum ſcripſit cum interpreta
one propria,vt de ipſius veritate conſta-
et. Quòd autem altera ſit quædā inter-
retatio hac multo verior, vt potè quam
os longa experientia probauimus, quar
commentario oſtendimus.

L X X I.

Υπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ
μετρίου γινόμενα, νοῦσος.

Somnus

Somnus & vigilia modũ ſi exceſſerint morbus.

Et hic aphoriſmus in quibuſdã exemplaribus eſt interiectus, ſuprà dicto per omnia ſimilis, niſi in fine. Hîc enim morbus, illic multo rectius ſcribitur malum.

LXXII.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔσω καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittentibus, ſi externa frigeant, interna vrantur, & febris adſit, eſt mortiferum.

Etiam hic aphoriſmus temerè ſcriptus eſt, melius ſuprà dictus ſine adiectione illa, Et febris adſit. Nunc verò ex abundanti additum eſt, Et febris adſit. Quum enim ipſius aphoriſmi ſtatim initio antè dixerit, In febribus non intermittẽtibus, vanum & ſuperuacaneum eſt ad finem addere, Et febris adſit.

LXXIII.

Ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ῥὶς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ὀφρὺς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢ μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενὴς ἐὼν, ὅτι ἂν τουτέων γένηται, θανάσιμον.

In febre non intermittente ſi labrum aut naſus, aut oculus aut ſupercilium peruertatur, ſi non videat, ſi non audiat, quicquid horum ægro debili acciderit, in propinquo mors.

Suprà

Suprà etiam hic aphoriſmus poſitus eſt
is verbis, In febre non intermittente ſi
abrum aut naſus, aut oculus aut ſuperci
um peruertatur, ſi nõ videat nec audiat,
am debili ægroto quicquid horum acci-
erit, mors eſt propinqua.

LXXIIII.

πὶ λευκῷ φλέγματι, ὕδρωψ ἐπιγίνεται.

Albæ pituitæ aqua intercus ſuperuenit.

Quod dicitur eſt tale, Quibus plurima
a vaſis, totóque corporis habitu aceruata
t alba pituita, his Leucophegmatias hy-
rops ſuperuenit.

LXXV.

πὶ διαῤῥοίῃ, δυσεντερίη.

A diarrhœa dyſenteria.

De communi ſubaudiendum eſt ſuper-
enit verbum, paulatim ſcilicet primùm
eraſis inteſtinis, deinde ipſorum etiam
ofundioribus partibus, atq; ita demum
ceratis. Lõgè verò melius ſuprà ſcribe-
atur in hunc modum, A deiectione ſyn-
ra dyſenteria. quem aphoriſmum enar-
uimus ſexto commentario.

LXXVI.

πὶ δυσεντερίῃ λειεντερίη ἐπιγίνεται.

Dyſenteriæ ſuperuenit lienteria.

Hic etiã aphoriſmus pars eſt aphoriſmi
prà ſcripti hoc modo, Qui lienoſi dy-

ſenteria corripiuntur, his ſuperuenientem longam dyſenteriam aqua intercus excipit aut lienteria,& moriuntur. Hunc autem ſexto declarauimus commẽtario.

LXXVII.

Ἐπὶ σφακελισμῷ, ἀπόστασις ὀστέου.

Ab ſpacelíſmo oßis abſceſſus.

Etiam hîc ſupplendum de cõmuni verbum ſuperuenit. Vtrum verò oſsis corruptionem ſphaceliſmum propriè appellatam eiuſdem abſceſſus ſequatur, an circunſtantis carnis gangrænam non aperuit. Vtrumque tamen verè dici poteſt.

LXXVIII.

Ἐπὶ αἵματος ἐμέτῳ, φθόη, καὶ τοῦ πύου κάθαρσις ἄνω.

A ſanguinis vomitione tabes & puris ſupernè purgatio.

A phthoë fluxio è capite, à fluxu diarrhœa, à diarrhœa ſupernæ purgationis retentio, à retẽtione mors. In compluribus exemplaribus & apud plurimos interpretes ſcriptũ eſt, A ſanguinis vomitu, corruptio. In nonnullis tamen codicibus legitur, A ſanguinis vomitu phthoë, id eſt tabes. Quare videntur hæc quoque malè collecta & congeſta eſſe, atque ex Hippocratis quum multis ſententiis perperam compoſita, tum maximè ex illis aphoriſmis,

ïs, A ſanguinis ſputu puris excreatio & uxio: poſtquam autem ſputum retenum fuerit, moriuntur.

L X X I X.

Ὁκοῖα καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κύστιν, καὶ τοῖσι κατὰ τὴν κοιλίην ὑποχωρήμασι, αὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὰς σάρκας, καὶ ἤν πῃ ἄλλῃ φύσιος ἐκβαίνῃ τὸ σῶμα, ἢν ὀλίγον, ὀλίγη νοῦσος γίνεται· ἢν δὲ πουλὺ, πολλή· ἢν πάνυ ολὺ, θανάσιμον τὸ τοιοῦτον.

Qualia quæ per vrinas & aluum ſubeunt, quæ per carnes abeunt, & ſi qua alia corpus natura recedat ſpectare oportet. Nă ſi parum, ruus morbus eſt, ſi multum, magnus, ſi valdè ultum, iam tale fuerit pernicioſum.

Poſtremus hic aphoriſmus in plurimis cemplaribus ſcriptus inuenitur: in quiuſdam tamen alij etiam aſcribuntur eaem ſorte conſarcinati qua ij quos recenimus ex veris & germanis Hippocra. phoriſmis, adeò vt nõnulli dictione ipſa, lij præter pauxillum quiddam, alij cum reui additione iis ſint ſimiles, qui ab Iippocra. ſunt ſcripti. Vnde ne nos quiem præterea addere voluimus. Neque nim qui nunc propoſitus eſt quicquam mplius habet quàm quod ſæpenumero emonſtratum eſt ab Hippocra. Et alio-

quin ratio ipſa elocutionis in eo eſt manifeſta. Sed illud, Qualia quæ per vrinas & aluum ſubeunt redditione caret. Summa tamen, vt dixi, vera eſt. Nam ſi parùm à naturali ſtatu recedatur, quacunque tandem id parte fiat, paruum morbú: ſi multum, magnum morbum eſſe putandum eſt: quòd ſi valdè magnus à naturali receſſus fiat, perniciosum eiuſmodi morbum eſſe.

*

FINIS.

GVL. PLANTII ANNOTATIONES IN OBSCVRIORES ALIQVOT HIPPOCRATIS APHORISMOS.

*

Fol. 31. IN TENVI victu peccāt ægroti.

NON HOC *loco Hippocra. pleniorem victum tenui præfert in ægrotantibus, ac ne in ſanis quidem: ſed admonet medicum vt in tenui victu, talem morbo poſtulante etiam atque etiam videat ne quid à ſeipſo, aut ab ægroto, aut à miniſtris rebúsque externis committatur erratum. Si quod enim admiſſum fuerit, illud longè grauius fore quàm ſi in pleniore victu accidiſſet. Talem eſſe Hippocr. mentem & ex ſequentibus, & ex ſecundo de morbis acutis licet intelligere. Tametſi Manardus aliter hunc locum cum eius libri locis aliquot in ſpeciem pugnantibus conciliare ſtudeat: nec deſint qui hunc aphoriſmum Hippocra. traditum*

eſſe dicant de eo victu qui morbis longis debetur.

Fol. 40. Acceſsiones verò & conſtitutiones morborum &c.

Ανταποδόσιος dictio in omnibus exẽplaribus græcis reperitur, quam per commutationes reddidimus aut ſi placet viciſſitudines, aut reditiones. Quam lectionẽ non nouit Galenus, ſed legiſſe cõſtat ἐπιδόσιος aut ἀντεπιδόσιος, id eſt acceſſionũ inter ſe accretiones: quæ lectio apertius mihi videtur Hip. mentem oſtendere. Ad vtranque enim victus rationem vniuerſalem ſcilicet & ſingularem conſtituendam quantũ anticipent tardéntve & plus minúsve durẽt, vehementius aut remiſſius affligant ſequentes acceſſiones ſcire medicum oportet. Tametſi idem quoq; præcedens ſignificare poſſit. neque enim de anticipatione aut duratione aut vehemẽtia acceſſionis indicare poſſis, niſi altera acceſſione expectata, quæ nihil aliud eſt quàm præcedentis cõmutatio ſeu viciſſitudo. Adde etiam quòd in multis febribus medici antequàm quicquam ſtatuãt ſecundã expectare acceſſionẽ cogantur. Nos itaq; vtrãq; temperauimus lectionem & in litera Hippocratis reddidimus, Periodorum proportionis inter ſe obſeruatio. & in Gal. commento, Commutationes vertimus.

Fol. 96. Quæ matura coctáque ſunt medicari.

Πέπονα vocat materiam noxiam ad moderationem redactam & à natura coctam & ſub

ſubactam : vnde pituitoſi humores frigidi, ſsi & lenti, & bilioſi tenues, calidi & acres di dicuntur, quorum molienda primum matu- tio per ea quæ calorē natiuum augent : Deinde pus præparandum. Nam alio inquit apho- mo, Corpora quacunque quis purgare volet, fluxilia reddat oportet. Et Gal. ipſe de tuenda letudine eos dicit qui craſſos & lentos humores bent congeſtos, medicandos non eſſe, antequam tenuati ſint & deterſi : quòd purgatio in tali- s tormina adferat & animi deliquia, cum eo òd propter humorum craßitiem & frigidita- n nihil aut certè parum educatur ex corpore. adem de cauſa nec mouere nec lauare eos opor- t qui in primis venis crudorum habent copiam. quidem motus in totum corpus agit, & à me- camento purgante excalfacti & exagitati mores in omnem corporis partem feruntur. eandem cauſam ſanguinem his non mittit in uibus ſuſpicio ſit cruditatis in primis venis. Bi- oſi verò humores nunquam incraſſari debent, d ſi acriores fuerint, eorum obtundenda & fre- anda acrimonia. Nam quòd Galenus in ma- ria calida & bilioſa priùs quàm purgante edicamento vtatur, dat mulſam in qua hyſſo- i nonnihil aut thymi, aut pulegij incoquit, non d humoris bilioſi attenuationem id facit, ſed ad rporis præparationem & vias recludendas per uas purgatio fieri debet. poſteà expeditis ad

excretionem vijs & facibus per Eccoprotica deturbatis ſi ſponte non ſubeant, medicamentũ purgans exhibet pro peccãtis humoris natura. Aduertendum tamen eſt vbi materia ὀργᾷ, id eſt ſua inſtabilitate aut qualitate moleſta ad ſui excretionem ſtimulat, aut ne à parte ignobili in nobilem & principem decumbat metus eſt, tunc citra moram aggrediundum eſſe ad humoris huiuſcemodi vacuationem. Idem fieri debet ad materiæ etiam frigidæ & craſſæ retractionem in magno morbo vt apoplexia tetano, & ad naturæ motum inhibendum vt in fractis & luxatis.

Fol.110. SOMNVS & vigilia modum ſi exceſſerint, malum.

K*Ακὸν ad finem additum & ad σημᾶον & ad αἴτιον referri debet. Siquidem ſomnus immoderatior malus vt ſignum, quia & materiæ copiam & virtutis infirmitatem ſignificat, vt cauſa quia materiæ copiam auget ne ea digeratur prohibens. Sic vigilia mala vt ſignum quia cerebri ſiccitatem indicat: vt cauſa quia eam auget digerendo.*

Fol.112. SPONTANEAE laſsitudines morbos denuntiant.

T*Anta eſt materiæ vel quantitate vel qualitate vel vtraque peccantis copia cum virtutis imbecillitate, vt & viſcera ipſa aggrauet & in partes inter muſculos, & articulos ipſos redundet. Philotheus tenſoriam laßitudinem*

n ortum habere dicit ex flatuoſis ſpiritibus, vlceroſam ex acri & mordaci materia, & tiam (quam ipſe ὀϛεοκοπώδη appellat, quòd eam oſſa ipſa contundi frangíque videan-) ex craſſa & terrena. Laſsitudo quæ legiæ exercitationis terminus eſt citra fatigation, ſola quiete recreatur. Laborioſæ autem laſudines apotherapiam per vnctiones, frictiones balnea deſiderant. vt dictum eſt tertio de enda valetudine. Spontaneæ verò prophylactim ferè poſtulant.

Fol.122. IN FLVXIONIBVS alui, excrementorum &c.

MAla etiam excrementorum fit mutatio cùm perliquida fiunt, albicantia, pallida, umantia, nigra, exigua, glutinoſa, liuentia, perbra, pinguia & valde olida.

Fol.123. VBI fauces dolent, aut &c.

PEr τὰς ἐκκρίσεις ſtercus intelligit & vrinam quæ ſi bilioſiora viſa fuerint obortis in rpore tuberculis aut faucibus dolentibus, argumento ſunt magnæ in corpore talis humoris coæ. Alioqui ſi nihil tale appareat, ſed qualia ſanis viſa fuerint, ſignificatur naturam pauca uadam ad cutim propellere eo modo quo per crim fieri ſolet.

Fol.147. FAMEM thorexis ſoluit.

FAmes quædam eſt animalis totius ſcilicet ventriculi ac potiſsimum oris ipſius appeten-

tia, tum temporis maximè excitata quum exinanita ventriculi capacitate eius in ſeſe conſidunt latera, aut interiores eius receſſus & quaſi rugæ proprio conſumpto humore aruerunt. tum enim ventriculus ſe ſuámque capacitatem replere & ſucci vtilioris quippiam & conuenientis in ſuos ſinus recondere deſyderat: aut ſurſum ex liene per vas inde ad ſuperiorem ventriculi partem pertinens reiecto ſucco melancholico exugi & quaſi conſtringi ſe ſentit os ventriculi. quam rem ars imitata, in cibi faſtidio ad irritandam ſollicitandámque gulam ſimile quiddam & proportione reſpondens illi ſucco melancholico excogitauit, quale acetum, omphacium, arantiorum. granatorúmque ſuccus & ſimilia appetentiæ irritamenta. Atque hæ ſecundum naturam habent animales cibi appetentiæ. Nam ſi ventriculi ſinus illi interiores, frigidis & melancholicis & acidis infarcti fuerint humoribus & ipſius os præſertim iiſdem imbutum, tum deprauata quædam & vitioſa fit appetentia, quam famem inſatiabilem Galen. appellat & medici nonnulli caninam vocant, quæ priùs non ſedetur quàm humoribus illis repurgatus fuerit ventriculus, aut iidem cocti & mitigati fuerint cibariis ventriculi calorem citra adſtrictionem vllam fouentibus & augentibus, quale vinum eſt quod Gal. propinandum eſſe iubet. Nam λιμῶ nomine Hippocrati talem appetentiæ deprauationem

onem appellatam eſſe putat. Altera fames
naturalis quædam appetitio omnium corpo-
partium: cum inanitæ videlicet naturali quo-
n deſyderio refici appetunt. quam quidem
tritione ſola, id eſt ſanguine per corpus partis
uſque effuſo dum in eius ſubſtantiam con-
rtitur ſatiari conſtat inter omnes medicos &
iloſophos. Animalem verò non modò ſanguis
l & quicquid qualitatis cuiuſdam ſuauitate
æditum eſt compeſcit. Quæ cùm ita ſint ſolam
lam deprauationem animalis famis λιμȣ̃ no-
nine hoc aphoriſmo intelligendam eſſe multis
ontendit Gal. quæ eius dicta quanquam ſunt
veriſsima, ſimplicior tamen videretur aphoriſ-
mi expoſitio ſi tam animalem quàm naturalem
ab Hippocra. intellectam eſſe diceremus: vt ex-
emplum quoddam ſit hic aphoriſmus eius quem
ſuprà poſuit his verbis, Facilius eſt refici potu
quàm cibo: idémque vtrobique, ſed hîc particu-
larius, illic vniuerſalius dicatur. Nam ſi Ga-
leno etiam auctore vinum τάχιστά τε καὶ ἀθροώ-
τατα alit, ipſum profectò præſertim generoſius
famem quamcunque promptiſsimè ſedabit. Nec
obſtat quod Gal. hoc loco dicit vinum ijs qui
propter longam inediam, aut largum ſanguinis
fluorem, aut aliam quamuis vacuationem eſu-
riunt, ſi ante alia edulia bibatur, nocentiſsimum
eſſe, vtpote quòd ventriculi os & totum genus
neruoſum lædat conuulſionéſque accerſat & de-
liria

liria. Nam in ijs demum hæc eius dicta locum habent in quibus naturâ ſenſile admodum & infirmum eſt os ventriculi, aut longo morbo debilitatum & acciſum totum genus neruoſum, & vinum quod bibitur ex ijs eſt quæ potentiſſima & vetera habentur & non ſemel atque iterum, ſed ſæpius tale vinum ante alia cibaria præſumitur. Alioqui vinum ſubſtantia craßiuſculum & colore rubrum ijs etiam qui viribus defecti ſunt aut longa dyſenteria debilitati parcè potum profuiſſe experientia notum eſt. Huc adde quòd deprauatam illam appetentiam quam quidam caninam vocant, præſtiterit medicamentis ventriculo expurgando comparatis ſedare quàm tali victus ratione, qualem in ſuis commentarijs Gal. præſcribit. Hæc & huiuſmodi alia faciunt vt aphoriſmum de quauis fame intelligendum eſſe arbitremur.

Fol.172. Qui aduerſa valetudine abundè &c.

QVamquam analepticus eſt Galeno vterque aphoriſmus, præcedens videlicet & præſens, poſterior tamen de ægrotantibus quoque dici poſſe videtur, vt in febre quotidiana correptis & aliis à cruditate & cacochymia febribus vſu venit. Nam ſi quis initio copioſiore cibo vtatur cùm prauis humoribus oppletus ſit, adeò creſcent ciborum additione, vt ventriculi os obtundentes appetentiam tollant, atque in deterius

terius æger abeat, quàm ſi per initia à cibo abſtinuiſſet. In hoc ſiquidem ad ſuperiorem cacochymiam nihil adiungitur, nec ab ea coquenda cibo intempeſtiuo auocatur natura. Hinc tamen excipiendi ſunt qui ex inedia & ſanguinis incipiente corruptione laborant.

Fol. 173. In quouis morbo valere rationem &c.

Q*Vam huius aphoriſmi litera ſententiam primore inſpectione præ ſe ferrre videtur, eam ſequutus Galenus ad facultatem tam animalem quàm vitalem & naturalem aphoriſmum retulit: quaſi Hippocrates diceret, In quo morbo tres illæ facultates integritatem ſuam & robur ſeruant, bene tum de ægri ſalute ſperare, vbi infirmæ inualidæ'que fuerint, malè de ægro ſentire oportere. Verùm ſi quis eam propius inſpectam examinet & quam cum aphoriſmo qui proximè præceſſit conſenſionem habeat conſyderet, is fortaſſe aliud quiddam comperiet ſibi voluiſſe Hippocratem. Primùm enim cum morbi proprium ſit partium actionem lædere, qua læſa earum robur ſeruari nequeat, per febres omnes atque ab intemperie calida & frigida factos morbos integræ perſiſtere non poterunt naturalis vitaliſque facultas, ſed ne animalis quidem interdum illæſa permaneat præſertim ſi intemperies ſit magna. Quo fiet vt organicis ſolùm morbis veluti calculo vtroque & arthriti*

arthritide locum habeat aphoriſmi pars vltima. In his enim facultates illæ duæ firmæ ac robuſtæ poſſunt permanere. Huc adde fallax & naturalis & vitalis facultatis roboris indicium ſumi ἐκ τῆς πρὸς τὰς σιτίων προσφορὰς ἑτοιμότητος, ſed illius longè certius ex vrinis & ſtercore firmitatis aut imbecillitatis ſignum, huius expulſu minimè fallax indicium peti poſſe. Nam phrenitici auidè quicquid appoſitum eſt comedunt ac bibunt, cæteríque quibus non immodicè refrigeratus eſt ſtomachus ad ciborum ſumptionem ſunt prompti. Eodem facit quòd ſuperiore aphoriſmo, ſiue is de ægrotantibus, ſiue de conualeſcentibus ſolùm, ſiue de vtriſque intelligi debeat, illam ad cibum ſumendum promptitudinẽ morbi initio minimè probabat, ſed abſtinentiam potius & inediam, quia ægri facilius ita morbo defungerentur. Senſus igitur quem ex Hippocratis litera elicuimus talis eſt, In quouis morbo valere rationem rectéque ad ea quæ ſumuntur habere bonum, quaſi diceret, Si præterquam quòd initio cibum ſumunt, etiam non diſcernant nec de eius bonitate iudicent (eo enim ſignificatu interdum vox Διάνοια accipitur Græcis auctoribus) ſed heluantis modo ingerant, nihil quod apponatur reſpuentes, tum id mentis malè ſanæ certum erit indicium. Hæc nobis viſa eſt congruere ſententia, non quòd Galeni interpretationem reijciendam putemus, ea enim eruditionis eſt

nis eſt pleniſsima, ſed vt lectori vtram velit eligendi noſtrámne vt loco magis conſentaneam an illius vt doctiorem, ſed minus loco præſenti conuenientem daretur poteſtas. Nos & alteram poſſumus adferre explicationem, In omni morbo τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, id eſt vim animalem ſanam validámque eſſe omnibúſque ſuis muniis rectè fungi: & τὸ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, id eſt naturalem virtutem cibo ſumpto recreari. & meliuſculè habere, non autem ſtatim reuomere aut infernè deiicere, vt in iis ſit quibus propter humorum acrimoniam & morſum venter aut inteſtina vlcerata, aut aliter quouis modo malè affecta cibi contactum non ferunt. non ſtatim incaleſcere & incendi, vt ſit in febribus hecticis. non denique grauius habere, hæc inquam ſi abſint, illa verò adſint in morbis bonũ. Hæc ſimplicior eſt explicatio nec multum à Galeni interpretatione aliena.

Fol. 181. PAVLO peior, ſed ſuauior cibus & potus, &c.

ETſi hoc aphoriſmo aliquid Hippocrates ægrotantibus ad voluptantem indulgere videtur, id tamen in ſpeciem non etiam reipſa facit. Nam quæ libentius & maiore cum voluptate eſitamus, ea etiam ſi paulo deteriorem naturam habeant, facilius coquimus. Quantopere autem ægrotantium interſit ſumptum cibum bene concoqui neminem ignorare puto: ne forte

quiſpiam vt plus quàm par eſt ægrotis obſequatur ex hoc aphoriſmo anſam arripiat quiduis ægrotantium cupiditati indulgendi, etiam cum magno ipſorum detrimento & noxa in poſterũ non facilè ſarcienda, vt ab ipſis videlicet maiorem mercedem accipiat. Nam vt pulchrè quarto in ſextum Epidemion commentario docet Galenus, In ijs ſeruire ægrorum cupiditati ipſiſque morem gerere licet quæ vel ſunt profutura (quod hîc præcipit Hippocra.) vel non multum incommodatura, vel à quibus apportatum damnum poſteà facilè ſarciri queat, ídque ſolum facere oportere τῶν καμνόντων ἐυπειθείας ἕνεκα, *id eſt, vt in cæteris confidentius ſe nobis permittant & obſequantur ægri, in ijs maximè quæ ad eorum ſanitatem magnopere facere videbuntur. Nam quantum ad omnem curationem referat ægrotum habere morigerum & obſecundantem, qui & medicum ſuſpiciat & ei de ſalute ſua fidat, norunt ij qui aliquando non ſolùm morbum ſed ægrum quoque repugnantem & refractarium ſunt nacti. Ne igitur æger ſi quæ vehementius concupiſcit planè denegentur, medicum propterea oderit & auerſetur, aut præſcribentem non audiat, ex ijs quæ vehementer appetit aliquid dandum, ſiquidem id valde non ſit nociturum: cum ea tamen præfatione, vt noxam, quantacunque ea ſit futura, intelligant ægrotantis propinqui & familiares. Se enim ideo ipſi dare morémque*

morémque gerere, vt eandem cum ipſo in reliquis morigerationem paciſcatur & repoſcati. Nonnullos enim inquit Galenus quia accepiſſent in cæteris paruiſſe memini. Sic frigidam idem ait in illis morbis conceſſi, in quibus poſt diem vnum ipſius eſſet vſus tempeſtiuus: in eo ſolùm gratificatus laboranti, quòd peropportunum frigidæ potandæ tempus non expectaret. Sic in balinei, vini & cæterorum id genus vſu feci. Si verò aut omninò, aut poſt vnum diem horum nulli ſit locus minimè tum ægrotanti gratificari conueniet.

Fol.195. QVOTIDIANIS laboribus aſſueti, &c.

ANimaduertendum *Hippocratem voces* πόνος & πονεῖν *diuerſis locis alia atque alia ſignificatione vſurpare, quæ ne multiplici acceptione dubitationem lectoribus pariant, paucis hîc earum homonymiam diſtinguere placuit.* πόνος ἡ βλάβη *læſio, vt* ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον. πόνος *item* ὁ κάματος ὁ κόπος *laſsitudo, quale eſt* ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος ὁκόταν ἄρχηται πονέειν. *Item* πόνος ἡ ὀδύνη, ὡς δύο πόνων ἅμα γιγνομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον. & ἀντὶ τοῦ γυμνασίου, *vt* οἱ εἰθισμένοι τοὺς συνηθέας πόνους φέρειν. *Quo aphoriſmo Hippocrates vt ſequente etiam conſuetudinem quum aliâs ſemper, tum in ratione victus inſtituenda maximè & corporis impe-*

randa exercitatione imprimis ſpectandam eſſe docet, vtpote qua tanquam altera & aduentitia natura tantundem propemodum ac natura ipſa poßit.

Fol. 222. CONTRA verò ſi auſtralis hyems & pluuioſa & tepens fuerit,&c.

Q*Vòd vox ἐνδιῶς accentu in penultima circunflexo ſignificet tepens & clemens & madore blandus & gratus quaſi ἐν δίνωμ tum vocis ipſius etymon, tum dictio ἀλέα quam ſuis in hunc aphoriſmum commentarijs vſurpauit Galenus, ſtatim poſtquàm χειμῶν & ἐνδίας meminiſſet, & ratio denique ipſa ſatis demonſtrare poſſunt. Primùm enim vox ἀλέα Græcis idem eſt quod μέτριος θέρμη, tepor, calor madore blandus & clemens, cuiuſmodi aëris clementia propter imbres & pluuias molles & ſuaues quæ Martio ferè, Aprili & Maio ſiunt accidere interdum ſolet. Deinde quia imbres quos Notus aduehit non omnes moderatè calent ſed frigent interdum, non abs re Hippocrates poſt ἐπομβρος, (qua dictione ſola notatur humiditas) ſubiunxit ἐνδιῶς, quia ſola humiditas ſummas tantum corporis partes humefacit non laxat nec emollit niſi calorem moderatum coniunctum habeat. tum enim non ſolum corporis ſuperficiem, ſed interiores quoque partes laxat, emollit & humectat: qualiter affici corpora*

corpora per hyemem ἐνδιῶν Galenus eſt auctor. Hæc breuiter adnotare viſum eſt propter quoſdam qui alios cauillandi & nominatim etiam magni nominis viros taxandi occaſionem captant ex re qualibet & leuiuſcula. Quicquid enim iſti comminiſcantur & congerant ad rem parum faciens, nunquam tamen conuincere aut probare poterunt hoc loco Hippocrati primùm, deinde Galeno eius interpreti dictionem ἐνδιῶς vſurpatam non eſſe.

Fol. 272. IVVENIBVS ſanguinis expuitiones tabes, &c.

Τῶν νεανίσκων nomine intelligendos eſſe τά τε μειράκια καὶ τοὺς νέους, id eſt adoleſcentes & iuuenes tum rei veritas vtrique ætatis communis, tum Galenus ipſe aphoriſmo 9. lib. 5. & Celſus cap. 5. lib. 2. qui aphoriſmum hunc conuertens adoleſcentiæ & iuuentutis meminit, ſatis indicare poſſunt. Quin Hippocrates ipſe voce vſus hypocoriſtica τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν ſatis oſtendit ſe id nominis ætati vtrique accommodare: vel dicendum, τῶν νεανίσκων nomine adoleſcentes potius intelligendos eſſe, quandoquidem αἵματος πτύσιες καὶ φθίσιες καὶ ἐπιληψίαι adoleſcentiæ ſint morbi potius quàm iuuentutis. Quare rectius mihi facere videntur qui hoc loco τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν adoleſcentibus conuertunt, quod & ipſi eramus facturi niſi commentarium quoque Galeni habuiſſemus con-

uertendum, qui vt intelligatur interpretationem quam ſecuti ſumus requirit, non quam rei veritas poſtulare videatur.

Fol.387. QVIBVS in vrina ſubſident ſabuloſa,&c.

ARenulæ cum vrina excretæ ſæpe in veſica, ſæpiſſimè in renibus, interdum in iecore etiam & venis vitium eſſe ſignificant. Has ſic diſtingues, Quæ propter ſanguinis in iecore aduſtionem cum vrina exeunt ſubtiliores eſſe ſolent raróque ſubſident, ſed ad matulæ hærent latera. Hæ per ardentes febres ſæpe meiuntur, interdum etiam per ſanitatem in quibus iecoris calor eſt feruentior. In pueris & adoleſcentibus ferè ex veſica redduntur arenoſa colore ſubcinericio & punctilis dolor veſicam ſtimulat & vrina intercipitur. Siquidem ſolet ea ætas peculiariter veſicæ calculo laborare. In adultis verò præſertim ſi naturâ ſint aluo adſtricta & denſo corporis habitu, & in ſenibus excernuntur ſabuloſa ex renibus colore rufo, & dolor grauis in renes incumbit, & pro conſuetudine ferè profluit vrina niſi vterque ren lapidem habeat: qui ſi magnus eſt directum crus ferè torpet, & vbi magna ſub ſole corporis fatigatio aut iactatio præceſſit ſanguis meijtur. Omnium vt & lapidum ex ijs concreſcentium eadem tum materia eſt humorum craſſitudo & viſcoſitas, tum cauſa efficiens calor præter naturam. Et qui calculo

culo laboraturi ſunt, ijs primùm vrinæ ſunt aquoſæ quia obſtructis renibus à craſſa materia veluti per tenue aliquod cribrum effluunt: poſteà arenoſæ, qua quandiu perſeuerant non generatur lapis. Siquidem is aliud nihil eſt quàm arenoſorum corpuſculorum eodem congeſtorum & inuicem conglutinatorum multitudo: quæ ſi diſſoluantur tum aceruatim & confertim prodeunt arenæ.

Fol. 408. CALIDVM frequentiore vſu hæc inuehit incommoda &c.

TAmetſi præſens aphoriſmus Hippocrati ſcriptus eſſe videatur maximè de nimio & frequentiore balinearum vſu, quibus plurimum veteres delectatos eſſe & quotidie adijſſe tum eorum declarant ſcripta, tum in hunc vſque diem ductuum & canalium reſtantia veſtigia oſtendunt, per quos in priuatas & publicas ædes deriuabatur tepens aqua ad balneorum vſum: mihi tamen generalius accipi poſſe videtur. neque enim ſola aqua calida enumerata affert mala ſed cætera etiam calida tam ſumpta intrò quàm admota aut corpori occurſantia. Nam vinum frequentiore vſu τὴν νεύρων ἀκράτειαν *&* τῆς γνώμης νάρκωσιν *conciliat. quod hominum vino nimium deditorum tremulæ manus & lippientes tumentéſque oculi indicant. Partium enim tenuitate altius ſubiens neruoſa grauiter offendit, & vaporibus & fu-*

mis in caput ſublatis ipſum neruorũ principium frigefacit & humectat. Quod alia etiam calidiora faciunt. Conſtat quoque fotum corporis nimiũ & veſtes pelliceas natiuum calorem languidiorem reddere & minuere, vnde actiones quoque animales labefactari accidit.

Fol. 425. MVLIER in vtero ferens ſecta vena abortit, &c.

NOn prohibetur hoc aphoriſmo prægnanti venam omninò non ſecandam, affectu phlebotomiam poſtulante, vt angina, pleuritide, ſed temerè id fieri non oportere, minúſque ſanguinis detrahendum eſſe, vltimis præſertim menſibus, quàm ſi vterum mulier non geſtaret. Quin nonnullæ ob ſanguinis copiam non concipiunt, natura expellendi potius quàm retinendi auida, aut ſi concipiant abortiunt: in quibus ſecta vena conceptionem adiuuat, & abortum primis menſibus prohibet, modò vires, corporis habitus, victus præcedens ratio & cœli ſtatus hoc ipſum permittant.

Fol. 470 LAC PRAEBERE capite dolentibus febriculoſis &c.

LAc facilè vaporat & in peccantem vertitur humorem ſi calorem ingentem nanciſcatur, vnde omnibus è capite cauſarijs, comitialibus, vertiginoſis, neruorum vitio laborantibus: omni febri humorali, ſplenicis & hepaticis nocentiſsimum. Renes præterea & dentes offendit

dit, calculum gignit, eius denique vſus parum tutus. pauciſſimóſque reperias qui non male ab eo afficiantur. Probè verò coctum multum nutrit & ſuccum laudabilem præbet corpori, verùm dum coquitur hypochondria attollit & caput tentat. Serum tamen lactis ſale & melle conditum exhibuit Gal. murmurantibus hypochondrijs & profluit ita citata aluo. Tabidis verò citra magnam febrem & præter rationem extenuatis lac præſertim aſininum aut caprinum recens emulctum & cum ſaccharo roſato præbitum conuenit.

Fol. 565. QVIBVS longo coxendicum dolore &c.

D*ICtionis Hippocraticæ proprietas & ratio ipſa ſuſpicionem mihi afferunt aliter interpretandi aphoriſmi. primùm ἡ μύξα propriè eſt* τῆς κεφαλῆς περίττωμα, *id eſt lentus ille & frigidus humor quo per nares cerebrum expurgatur, quíque pueris maximè & ijs qui humidiore ſunt cerebro aſſiduè promanat: impropriè tamen pro quouis phlegmatico humore accipi poſſe non inficiamur. Deinde* ἐπιγίνονται *verbum quo pro ſuperuenire, ſequi & interuenire vtitur, non iam collectam coxæ acetabulo lentam pituitam, ſed colligendam ſignificat. Qui igitur humor qui nondum coaceruatus eſt (quãquam per morbi longitudinem coaceruari potuit) quòd femoris caput coxa excidat, in cauſa eſſe*

potuit? Iam verò ſi longa iſchiade laborantibus iſchion excidat, neceſſe eſt multo antè aliquem in articulum humorem affluxiſſe qui dolorem faceret, & vt femoris caput excidat, lentum ipſum eſſe oportet: ſiquidem emollita ſunt & laxata vincula quæ articulum firmabant. Quomodo igitur ſuperueniet quē antè fuiſſe oportet? quinetiam illud καὶ πάλιν ἐμπίπτει *certè ſuperuacaneum erit: aut ſi hîc neceſſarium exiſtat, in ſequenti quoque aphoriſmo neceſſariò addendum erit. Quæ cùm ita habeant noſtra coniectura eſt in hanc ſententiam explicandum eſſe aphoriſmum. Quibus iſchiade diuturna laborantibus iſchion excidit & rurſum acetabulo recipitur, his humor qui à capite per partes cuti ſubiectas deſcendebat & vincula laxabat per nares expurgatur. Ita enim natura per materiæ auerſionem morbos ex rheumatiſmo pendentes ſæpè per ſe ſanat. Nam facilè vbi nihil omninò influit amplius partis calor quod reſtat concoquit & diſcutit. Qam explicationem ſi recipiamus illud* καὶ πάλιν ἐμπίπτει) *quo verbo Hippocrates tertio de articulis pro ſponte naturæ reſtitui & ſuo loco recipi vſurpat) locum hîc habebit, alioqui ſuperuacaneum vel potius cum rei euidentia pugnans. Quandiu enim laxa & incontenta manebant vincula, articulus firmari & reſtitui in integrum non potuit. Quin totus etiam aphoriſmus erit ſuperuacaneus. Nam ſequenti*

ſequenti continebitur. Vide Galen. ipſe in commento ex ambobus vnum faciendum eſſe iubebat. Ad poſtremum ex noſtra interpretatione modus alter curandæ iſchiadis docebitur per naturæ imitationem: quum ſi alteram explicationem admittas, nullam aut certè paruam eámque ſequenti aphoriſmo comprehenſam vtilitatem habeat oratio.

*

FINIS.

INDEX EORVM QVAE CONTINENTVR IN HOC OPERE.

*

ABORTVS ſine manifeſta occaſione, cauſa. fol. 440
Abortiunt grauidæ præter naturam tenues 438
Abortus quando fiunt. 222. 223 & quare. 425
Abortus quando timendus. 427
Abortus futuri ſignum. 431
Abortus gemellorum quomodo cognoſcatur, vter abortiatur. 432
Abortus cauſæ. 587
Abortus quibus de cauſis fiat. 283
Abſceſſus fiunt in febribus longis. 630
Abſceſſus in articulos quæ vrina liberat. 378
Abſceſſus ſecundũ aures quibus fieri conſueuere. ibid.
Acceßiones & ſtatus morborum quas habeant indicationes. 40
Acceßiones tertianæ exquiſitæ vltra quod tempus non protendantur. 355
Acceßionis magnitudo & vehemẽtia idẽ. 46. & 47
Acceßionis ſecundæ ſupra præcedentem incremẽtum in tribus ſpectatur. ibd.

Acidum

Acidum vinū quādo priſtinā recipiat naturā. 133
Acutarum febrium ſigna mala. 156
Acutæ febres magnis ſiccitatibus fiunt. 212
Acuti morbi ſemper cum febre. 34
Acuti qui vocentur morbi. 568. & 569
Acuti morbi rarò ſine febribus reperiuntur. 140
Acuti morbi periculum. 101
Acutis in febribus frigus partium extremarum malum. 568
Acutis valdè morbis incipientibus quid faciēdū. 295
Acutis morbis ſpirandi facilitas ſaluberrima. 155
Acutiſsimi morbi & exitiales per autumnum fiunt. 215
Acutorum affectuū cum febre quaſi gementium ſuſpiria mala. 559
Acutorum morborum criſis & natura. 159
Acutorum morborum quatuor repentinæ mutationes 153
Acutorum morborum natura duplex. 139
Acutorum morborum non omninò ſunt certæ prædictiones. 140
Acutos morbos ſimplices quos vocet Hippocra. & quos non ſimplices. 155
Aeſtas ſingulis morbis celeritatem, hyems verò tarditatem addere ſolet. 45
Aeſtas ſenibus confert. 248
Aeſtatem ſiccam & aquiloniam, Autumnum verò pluuioſum & auſtralem quæ incommoda ſequantur. 227

Aeſtate

Aeſtate ſuperiorem potius, hyeme inferiorem purgare conuenit. 291
Aeſtate qui morbi graſſentur. 253
Aeſtate qui benè habeant. 247
Aeſtatis initium Vergiliarum eſt ortus. 255
Aetas quæ morbo magis extenuetur. 165
Aetas omnium optima. 247
Aegri qui ad purgationes inepti. 103
Aegris quibus non dandus cibus. 90
Aegris aliquando in cibo & potu obſequendũ. 102
Aegritudo quid. 113
Aegrotantes quando periclitentur in quartanam incidere. 221
Aegrotantibus cur præcipiantur vigiliæ. 107
Affectio tabida maximè per autumnum deprehenditur. 255
Affectiones quæ extenuante victu curantur. 430
Affectiones diuturnæ. 44
Affectus qui inſuppurabiles. 415
Alendi interdum laborantes in morbi vigore. 38
Alica quale alimentum præbeat. 136
Alimenta quæ celeriter nutriunt, citiſſimè quoque excernuntur. 134
Alimẽta craſſa, et lenta hiſque contraria quam habeant naturam. 139
Alimenta tardè nutrientia. 140
Alimenti duplex excrementum. 237
Alimenti pars humida & ſeroſa ad quid apta. ibid.
Alimenti multiplex acceptio. 145. & 146

*Aliment*ạ

Alimento proprio & familiari quaque pars alitur. 128
Alimentum tertium omnium maximè proprium eſt alimentum. ibid.
Alimentum quibus plurimum debeatur & quibus vice verſa paucum. 62
Alui profluuia à quo humore oriantur. 245
Alui excrementum quod ſit optimum. 56
Alui fluores quando potiſſimum fiant. 218.237. & 253
Alui profluuia puerulis quando accidant. 263
Aluum humectari quibus ſignis deprehēdatur. 375
Aluus humecta in iuuentute ſiccatur in ſenectute & è contrario. 141
Aluus exiccatur ab aquilonia tempeſtate. 244
Amaritudo oris cuius ſymptoma exiſtit. 303
Anaxionis morbo laterali laborantis curatio. 50
Angina correpto ſi tumor appareat in collo, bonum. 532
Angina, cynanche & cholera, & tetanus peracuti ſunt morbi. 44
Anginæ quo anni tempore magis fiant. 249
Anginæ autumnales. 255. & vnde 257
Anginæ aßiduis imbribus proueniunt. 237
Anhelatio fit per autumnum. 255. & qua ex cauſa. 257
Animi defectio ab eruptione tuberculorum. 572
Anxietudinem vinum epotũm aqua temperatum ſoluit. 621

Aphor

Aphoriſticum docendi genus quid. 164
Aphthe quid ſint. 256. & 260
Απάγ]ι antiquis quid ſignificat. 93
Apoplexia vnde fiat. 252
Apoplexia morbus acutus abſque febre. 238
Apoplexiam fortem nullo prorſus modo, debilem ægrè curare poteris. 185
Apoplexia quibus familiaris. 280
Apoplexiæ cauſa. 186
Apoplexia quid admiratione dignum habeat. 187
Apoplexiæ quæ hyeme contingunt. 258
Apoplexiæ quando timendæ. 237
Apoplexiæ omnes vnde fiant. 186
Apoplexiæ proxima eſt vertigo. 246
Appetentia cibi in ſenibus minor vnde progrediatur. 145
Apoſitia quid. 303
Aqua quæ leuiſſima. 421
Aqua frigida quos affectus leuat & extenuat. 419
Aqua quo pacto dicatur leuis vel grauis. 421
Aquiloniæ tẽpeſtates cogũt corpora firmantq́;. 245
Aquilonis incommoda auſtrinis longè minus nocentia. ibid.
Aquilonis incommoda. 209
Arcturus ſuo ortu autumno dat initium. 235
Ardentes febres æſtiuo tempere fiunt. 255
Ardores pro febribus à quibuſdã exaudiũtur. 577
Aromatum ſuffitus caput ferit. 423
Aromatum ſuffitus muliebria ducit. ibid.

Arteriarum

Arteriarum humorum venarúmque ad neruos & contrà ſit translatio. 515
Articulorum dolores quando ſiant. 237
Aſcarides & lumbrici in quibus & vnde ortum habeant, quídve ſint. 267
Aſthma quid ſit. 266
Aſthma quibus accidat & quid ſit. 275
Ἄσθμα quid. 92
Atræ bilis indicia. 513
Auditus grauis quibus fiat. 278
Auditum habetant conſtitutiones auſtrinæ. 245
Aurium dolores quo fiant tempore. 253
Auſtri incommoda. 209
Auſtrinæ tempeſtatis incommoda. 245
Autumnales morbi. 250
Autumno qui gaudeant. 249
Autumnus multos æſtiuos morbos creat. 255
Autumnus omnibus ætatibus malus. 218
Autumnus corpora refrigerat, cogit & denſat. 90
B*Albi alui profluuio maximè corripiuntur.* 526
Balborum tria ſunt genera. ibid.
Balbutiei cauſæ. 527
Balbuties in quibus interdum fiat. ibid.
Bilem flauam æſtas copioſiorem generat. 251
Bilem vomunt qui cerebrum habent vulneratũ. 554
Bili atra per autumnum multi vexantur. 276
Bilioſæ deiectiones quando ceſſent. 429
Bilis atra in morbis incipientibus ſi ſuprà vel infrà exierit pernicioſum. 310

Bilis

Bilis ſincera rarò euomitur. 554
Bilis qua ætate ſuperabundet. 272
Bilis atra autumno copioſior generatur. 251
Bilis vomitus vnde fiat interdum. 554
Bilis atra & ſuccus melancholicus differunt. 559
Bilis flaua quam delirationem faciat. 558
Bilis atræ abũdãtis indicia, incõmoda, et morbi. 289
Bilis ante ſeptimum diem criticè in ictero non vacuatur. 355. & cur. ibid.
Boreæ vtilitates. 245
Boreas frigidus & ſiccus. ibid.
Bulimus quid. 150
Bullæ innatãtes in vrinis quid ſigni. & vñ fiãt. 594
Calculi generatio, proprius eſt puerorum morbus. 264
Calculo laboranti ſabuloſa ſubſident in vrina. 388
Calidi ingeniti qualitas ſalubris in pueris exiſtit. 64
Calidi partim dies & partim frigidi quos pariant morbos. 208
Calidum partibus perfrigeratione emorientibus eſt remedio. 416
Calidum quot modis accipiatur. 62
Calidum in quo vlcére pus mouet maximum ſecuritatis indicium. 414
Calor innatus omniũ actionũ naturaliũ cauſa. 78
Calor naturalis quamobrẽ per hyemẽ augeatur. 73
Calor genuinus æſtate diſsipatur. ibid.
Calor innatus quò copioſior eſt, eò magis cibi appetentiam auget. 77

V

Calor ſanorum qualis. 65
Calor innatus ab initio format animal & ad iuſtam magnitudinem perducit, denique ad finem vſque vitæ ſubſtentat. 77
Caloris vi animātium vita cōtinetur & regitur. 71
Caloris genuini ſubſtantia temperata. 65
Calor innatus ne alimenti inutiles reliquiæ retineantur in corpore prouidet. 77
Calor vniuerſus acceſsionum principijs in profundum corporis cogi ſolet. 106
Calor ambiens noſtra corpora non ſolùm quæ inutiliter, ſed etiam quæ ſecundum naturam ſe habent digerit & vacuat. 78
Calor natiuus quibus facilè extinguatur. 191
Calor innatus quomodo nutriatur. 330
Caloris ingeniti ſubſtantia aërea eſt & aquea. 65
Caloris aduentitij ignea eſt ſubſtantia. ibid.
Caloris innati plurimū quæ corpora habeāt. 59. et 61
Caloris genuini ſubſtantia eſt temperata. 65
Caluis non fiunt varices. 529
Caluis ſi varices accidant rurſus fiunt capillati. 530
Cancer fit ab atra bile. 21
Cancri occulti non curandi. 532
Cancrorum curatio duplex. 532
Capitis grauitas calido ſoluitur. 414
Carbones æſtiui. 218
Cardiogmos quid. 303
Cardialgia quid. 362
Cartilago diſciſſa non glutinatur. 508

Cauſæ

Cauſæ fœtus corrumpendi. 446.& 448
Cauſæ abortus euidentes. 440
Caſibus incertis & inopinatis omnium hominum vita eſt ſubiecta. 198
Cephalalgia fit aliquãdo propter ſolũ calorem. 370
Cerebri purgatio ſecundum naturam. 262
Cerebri excrementum per aures deriuare eſt præter naturam. ibid.
Cerebrum vulneratum ſanari ſæpè vidit Gal. 508
Cerebrum pertuſum & perfectum lethale eſt. 508
Cerebrũ infantibus & pueris per aures expurg. 262
Ceruicis rigidæ affectiones tres. 353
Chyli in ſanguinem mutatio & nutricatio qua anni parte fit melius. 74
Cibaria ingerere oportet pro caloris natiui copia. 81
Cibariјs pluribus qui vti poſſunt. 74
Cibi cum voluptate ſumpti quanta vtilitas. 181
Cibi virtus & commẽdatio eſt facilè alterari & immutari. 421
Cibum Hippo. appellat fomitem. 70
Cibum adimere oportet in ipſis exacerbationibus. 39
Cibum qui plurimum appetant & aſſumant. 60
Cibus quando multus & rarò dandus & contrà quando paucus & frequenter. 86
Cibus præter naturam ingeſtus malo eſt. 126
Cibus vires augens 29
Cibus vires conſeruans. ibid.
Cibus vires imminuens. ibid.
Circumſpectione multa religionéque in acutorum

principio purgandum. 102
Coctiones criſis celeritatem & ſalutis ſecuritatem prænuntiant. 55
Coctionis debilis ſignum in pleuritide. 53
Coctionis ſigna ſemper bona. 54
Coctionis ſigna tanto celerius priſtinã ſanitatẽ homini pollicentur, quanto celerius apparuerint. 57
Coctionis ſigna quam habeant naturam. 49
Coma quid. 108
Comatis & ſomni longi differentia. 111
Comitãtiũ ſignorũ duo volumina ſcripſit Praxa. 57
Comitantium morbum ſymptomatum natura. 49
Comitialem morbum quæ victus ratio ſoluat. 192
Comitialis morbi & apoplexiæ differentia. 191
Comitialis morbi & apoplexiæ quis humor effic. 192
Comitialis morbi & apoplexiæ generatio. ibid.
Comitialis morbus vnde & quando accidat. 237
Comitialis morbus quo fiat tempore. 249
Comitialis morbus vnde contrahitur. 251
Comitialis morbus autumno etiam fit. 255
Concepiſſe mulierem maximum indicium. 444
Conceptionis impeditæ cauſæ. 441
Concoctio quo anni tempore fit melior. 73
Conditio morbi quomodo intelligatur & qualis. 41
Coniecturæ ſolertes & artificioſæ fallunt. 288
Conſuetudo vniuſmodi omnis periculoſa. 199
Continuæ febres æſtate fiunt. 253
Conualeſcentes ſi copioſiore cibo vtantur non proficere & quid eius rei cauſa. 115

Conual

Cōuulſione laborās febre ſuperueniēte liberatur. 353
Conuulſiones in acutis febribus malum. 362
Conuulſiones mitigantur calido. 414
Conuulſiones pueris fiunt dentièntibus. 262
Cōuulſioni febrē accedere ſatius eſt quàm cōtrà. 161
Conuulſio & ſpaſmus idem. 353
Conuulſio propter vigiliam mala. 581
Conuulſio & ſingultus vnde fiant. 535
Cordis vulneratio lethalis. 506
Cordis diacope non coaleſcit. 507
Corpora ſoluūt & humectāt auſtrinæ tempeſt. 245
Corpora quādo plus carnis et ſanguinis cumulēt. 79
Corpora concreta omnia ex quatuor elementis ſuam temperationem ſunt ſortita. 67
Corpora humana refrigerat & denſat autumnus, contrà Ver. 89
Corpora humida plus imminuuntur quàm ſicca. 67
Corpora creſcentia cur plurimo egeant alimento. 69
Corpora firmiora, agiliora, & coloratiora auditúque valentiora faciunt aquiloniæ tempeſtates. 244
Corpus ſiccius et terrenū fit quotidiano augmēto. 65
Corpus puerorum minimum in ſe terrenæ ſubſtantiæ obtinet. 67
Corruptio attemperationem petit. 86
Cor antiquis pro ſtomacho nominatum. 361
Cotyledones quæ. 440
Coxendicum dolores autumno fiunt. 255
Craſſi valdè natura breuiore vita fruuntur quàm qui graciles. 190

Craßis quibus venæ amplæ. 191
Criſes bonæ quibus præſignificentur. 372
Criſews indices qui ſint dies. 157
Criſim ſeptimo die futurã quartus dies indicat. 370
Criſima ſigna quæ. 55
Criſima ſigna non ſemper bona. 56
Criſis ſeptimo die futura quo ſigno deprehẽdat. 370
Criſis quid ſit & quomodo fiat. 121
Criſis quibus fit grauior p̃cedẽs nox, ſequẽs leu. ibid.
Criſis ſigna qualia. 56
Critici dies in puerorum morbis. 270
Cruda quid prænuntient futurum. 55
Cruditatis ſigna quæ indicent. 54
Cruditatem quæ vrinæ ſignificent. 374
Cucurbitula quàm maxima ad mammas appoſitæ menſes inhibet. 443
Cutim emollit calidum. 414
DEcolores menſes indicant purgationem neceſſariam. 429
Decretorium & amicum quibus ſit calidum. 414
Defectus adiectionem poſtulat. 86
Deiectiones quæ peßimæ. 307
Deiectiones quibus varientur modis. 141
Deiectiones ſinceræ ſecundum Hippocra. 584
Deiectionẽ paruã ſignificat mictus noctu pluri. 391
Delirio tremores febriũ ardentium ſoluuntur. 514
Deſipientia ex vigilia malum. 581
Deſipientia ab ileo malum. 574
Deſipiẽtia ꝑpter plagã in capite acceptã malũ. 578

Deſipientia ab oſsis vulnere. 584
Deſipientia à ſanguinis profluuio malum. 573
Dentibus frigidum inimicum. 410
Dentitionis tempore morbi. 262
Diacalaminthe peculiariter vtitur Gal.ad tardantes menſes. 430
Diacalaminthe menſes cōmorātes mouet.ibid.et 431
Diacalaminthe incidit & tenuat humorum craſsitiem. 430
Diariæ febres quæ vocentur. 352
Dies quartus. 335
Diætæ vniuerſæ inſtituendæ ſcopi duo. 41
Difficultates inteſtinorum quo tempore fiant. 238
Difficultas inteſtinorū per autumnū quoq; fit. 255
Difficultas inteſtinorū ab inſania bonum. 570
Difficultas inteſtinorū quid. 492
Diuerſæ vrinæ vehementem indicant turbationem. 592.& 593
Doctrinæ aphoriſticæ vis & natura. 69
Dolentibus ab aliqua parte corporis & dolorem non ſentientibus, mens ægrotat. 113
Dolorem inſuppurabilem frigidum facit. 411
Dolorem lenit calidum. 414
Doloribus lateris & pectoris, cæterarúmq; partium quantum ægri differant ſciendum eſt. 494
Dormiēs extrinſecus frigidior fit, contrà vigilās. 108
Dorſali medullæ frigidum inimicum. 410
Ductus rectus quid ſit Hippo. 93
Duplex ex ſomno læſio. 106
Dyſcineſia quando generatur. 246

Dyſenteria ſi ab atra bile incipiat, exitioſa. 313
Dyſenteria à ſincera deiectione, malum. 584
Dyſenteria quî fiat. 313
Dyſenteriæ quibus fiant. 275
Dyſenteriæ quibus & quando fiunt. 224
Dyſentericos cibum faſtidire, malum. 493
Dyſenteriæ curatio. 487
E*Brius ſi derepẽtè obmuteſcat q̃ñ moriatur.* 480. 397
Educenda quo maximè vergunt ducenda. 94
Elleboro poto, corpus mouendum potius quàm quieti tradendum. 301
Elleborum quibus dandum. 299
Elleborum potantibus ſi conuulſio fiat, lethalis. 392
Elleborum citare vel ſiſtere quando volueris quid faciendum. 302
Elleborus ſanas carnes habentibus periculoſus. 302
Elephantiaſis inchoata quomodo curata Galen. 550
Emortuas partes à frigore calidum iuuat. 414
Emproſthotonus quid. 553
Empyi. 407
Ephemera febris. 352
Empyematis & tabis paroxyſmi quando fiant. 44
Epilepſia quando vſque ad mortem comitatur. 399
Eryſipelas ab oßis nudatione malum. 581
Eryſipelas fit à flaua bile. 21
Eryſipelas quando pernicioſum. 438
Eryſipelas non vlceratum frigidum iuuat. 418
Eryſipelas foris intrò conuerti malum. 513
Eryſipelatis ſymptomata. 582

Euacuationis quantitas duo habet indicia. 98
Eunuchi podagra non laborant nec calui fiunt. 517
Eunuchi podagra non laborant. ibid.
Euexia duplex. 23
Euexia athletarũ quæ 19. & quomodo ſoluẽda. 24
Euexiæ athleticæ quî fiat. ibid.
Excrementa quando recte expurgentur. 79
Excrementum alui optimum. 56
Excreationes in febribus nõ intermit. quæ malæ. 345
Exhæmatoſis hyeme & vere melior fieri ſolet. 74
Exquiſitæ tertianæ febris iudicatio. 355
Extenuata corpora quomodo reficere oporteat. 114
Exulceratio veſicæ quibus ſignificatur. 389
Exulcerationem veſicæ quæ indicent. 379
F*Acilitas et difficultas ferendæ inediæ quomodo accipiantur.* 59. 60. & 61
Fame dominante, ab omni agitatione & labore vacandum. 124
Famem caninam vini potio ſoluit. 147
Fames corpora ſiccat. 125
Faucium morbi quid ſignificent. 123
Faſtidium cibi quãdo prægnationis indicium. 459
Febre ardẽte, laborãtẽ rigor ſuperueniẽs liberat. 354
Febres, in quibus certo die rigores repetunt, eodem ſoluuntur. 359
Febres vehementiores quomodo percipiantur. 351
Febres ex bubone. 352
Febres periculoſiores. 341
Febricitantem quæ iuuant. 365
Febricitantibus quando fiant abſceſſus. 321

Febricitantibus valdè lac non dandum.	472
Febricitantibus ſi morbus regius ſuperuenerit ante diem ſeptimum, malum.	358
Febricitãtibus purgãs medicamentum noxium.	102
Febricitantibus lethale ſymptoma.	330
Febricitantibus quæ victus ratio conueniat.	82
Febricitanti collum peruerti, quando lethale.	627
Febricitãti morbũ regiũ accidere quoto die ſit bo.	3[illegible]0
Febricitantis ſpiritus ſi offendat, quare malũ.	365
Febriculoſis lac noxium.	470
Febribus moleſtari qui dicebatur ab antiquis.	376
Febribus longis lac conuenit.	470
Febris quæ iudicium habet difficile.	319
Febris tertiana citò terminatur.	43
Febris tertiana & legitima quæ.	355
Febris ardens quo fiat tempore.	354
Febris non bilioſæ curatio.	602
Febris tertianæ varia appellatio.	358
Febris ardens quo pacto à rigore ſoluatur.	354
Febris tertianæ & febris ardentis differentia.	355
Febris maior citiùs macilentos facit.	289
Febris quid ſit & quem victum requirat.	83
Febris quando ſoleat reuerti.	357
Febrium notæ malæ.	361
Fœmina in coitu ſemen emittit.	296
Fluxiones diuturnæ oculorũ quo pacto ſanatæ.	479
Fœcunditas quibus indigeat.	464
Fœcunditatis & ſterilitatis nota.	456
Fœmina imbecillior mare & frigidior.	480

Femina naturâ mare frigidior. 465
Fœmīæ ſiniſtra vteri parte, mares dextra geſt. 442
Fœtū imbecillū aut valētiorē quid demōſtrat. 444
Fœtū perdituris mulieribus, mām̄æ extenuant. 446
Fœtum non eſſe ſanum quādo impoßibile. 458
Fœtus vnde viuat in vtero. 432
Fœtus maſculus propter temperamentum ab initio calidius generatur. 442
Frigidum cerebro inimicum. 410
Frigidi incommoda. ibid.
Frigidum vt nix & glacies incommodat. 419
Frigido vtendum in his vnde fluit aut fluxurus eſt ſanguis. 418
Frigidum oßibus inimicum. 410
Frigidum aduerſißimum ſedis affectibus. 417
Frigidum neruis inimicum. 410
Frig' aut calor in qua pte corporis ineſt, ibi mor. 339
Frigus partiū extremarū in morbis acutis mal. 570
Fractis oßibus plurimum prodeſt calidum. 414
G*Enæ tenuis particula diſciſſa nō coaleſcit.* 509
Genitalium putredines æſtate fiunt. 253
Gibbi ex aſthmate aut tußi ante pubertatem, ſtatim moriuntur. 545
Gingiuarū pruritus dentitionis tempore fiunt. 262
Glaucomata cur ſenibus accidant. 281
Graciles bilioſi, & qua purgandi. 293
Grauedines & deſtillationes in valdè ſenibus coctionem non admittunt. 183
Grauedines & raucitates quo tempore anni expectandæ. 227.249.& 258

Grauida ſecta vena abortit. 425
Grauidæ vteri os conniuet. 444
Grauidæ q̃ cũ periculo et difficulter ferũt vterũ. 451
Grauidæ quæ abortiant. 438
Grauidæ ſi fiat in vtero eryſipelas, pernicioſum. 438
Grauidæ quando purgandæ & quando non. 283
Grauidã mulierẽ morbo acuto corripi, pniciosũ. 425
Grauidationis notæ. 458
H*Abitus Athletarum ad ſummum plenitudinis perductus lubricus eſt.* 22
Hæmorrhoides diuturnas omnino curanti, tabis aut aquæ intercutis periculum impendet. 501
Hæmorrhoides ſi ſuperuenerint inſanis, inſaniæ fit ſolutio. 511
Hepar regio morbo laborãtib⁹ durũ fieri, malũ. 538
Hepatis purulenti aduſti notæ bonæ aut malæ. 607
Herpetib⁹ exedẽtibus calidũ amicũ & decret. 414
Horror à ſudore non bonum. 570
Humectat corpora quies. 299
Humida ſiccis magis putredini obnoxia. 238
Humida ſubſtantia diſſipabilis. 68
Humiditas in aërem flatuoſum ſine calore mutari non poteſt. 297
Humor quiſq; abundans indicia habet propria. 20
Humor alien⁹ à corpis natura, ipsũ alere nequit. 118
Humorem redundantẽ ex colore licet coniectare. 20
Humores qui & quibus purgandi. 548
Humores raro in aliam atque aliam partem transferuntur & fluunt. 97

Humores qui quoquo verſum feruntur per corpus vacuare oportet. 96
Humores parte aliqua firmatos & impactos mouere non oportet. 283
Hũoris redũdãtis internoſcẽdi peritia vñ petẽd. 287
Humores & ſpiritus cùm fuerint vacuati, celeriter reficere oportet. 114
Hydropici omnes qui vruntur aut ſecãtur ſi pus aut aqua vniuerſim effluxerit, omninò moriũtur. 515
Hydropici autumno fiunt. 255
Hydropicis tuſsis ſuperueniens, malum. 530
Hydropis aquoſi generatio. 297
Hydrops ſiccus & tympanias idem. 296
Hydrops ſiccus vnde fiat. 297
Hydrops ratiõe trãſlatiõis mat. maniæ eſt reme. 571
Hydrops quî fiat. 503
Hydrops quo pacto aliqua curetur. 601
Hyeme qui morbi fiant. 227
Hyeme & vere ſomni longiſsimi. 72
Hyeme in animãtis corpore oĩa rectè geruntur. 79
Hyeme cibi appetentiam maiorem habent homines eiuſdémque concoquendi facilitatem. 72
Hyeme melius concoquimus. 76
Hyeme qui generantur morbi. 258
Hyemi principium Vergiliarum facit occaſus. 235
Hyemis auſtralis & pluuioſæ incommoda. 223
Hyems morbos producit. 45
Hyems ſucco & ſanguine incorrupto corpora noſtra replet. 80

Hyp

Hypochon.elata q͠d & vnde in tumorẽ tollãtur. 375
Hypochondriorum dolor ſine inflammatione à febre ſuperueniente ſedatur. 537
Iecore inflamm. laborãte interuenit ſingult. 455
Iecore inflammato ſingultus malum. 580
Iecoris dolores conſyderandi. 494
Iecoris vulnus lethale. 506
Iecur aqua refertũ habentes quãdo moriuntur. 620
Ieiunium quomodo accipiendum in aphor.lib.j. 62
Ieiunium qui facilè & qui contrà quique mediocriter ferant. 58
Ilei ſymptomata mala quæ. 544
Ileus quis morbus & quando ſeptimo die necet. 540
Impetigines quando frequentius fiunt. 249
Impura corpora. 118
Incrementa paroxyſmorũ quomodo dignoſcenda. 47
Incõtinẽs lingua derepẽtè facta.ſignũ eſt melã. 601
Indicatio ad victus formam conſtituendam. 37
Indicatio humoris vacuandi vnde petatur. 25
Indicationes ſeruandæ in humoribus purgandis. 20
Inedia perpetua quibus ægris & q̃n imperanda. 31
Inflammatio coctu difficilis vnde. 52
Inflamma.denſo operimẽto non tectarũ natura.ibid.
Inguinum tumores cum febre niſi ſit ephemera, omnes mali. 352
Inſanis ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, inſaniæ fit ſolutio. 511
Inteſtina tenuia ſi ſint perfecta lethale eſt. 506
Inteſtini recti inflammationis ſignum. 455
Inteſtinorum exulcerationes pernicioſæ. 316

Inteſtinorum lauitas quid. 483
Inteſtinorũ difficultates vnde & quando fiant. 237
Iſchiadico dolore vexati quando vrendi. 565
Iudicata & quæ iuſtè iudicantur naturæ ſunt permittenda. 93
Iudicatio perfecta & conſummata. 94
Iudicatio ſeu Criſis quid. 121
Iudicatio bonáne an mala ſit vnde dignoſcatur. 41
Iuuenum corpora qualis ſint ſubſtantiæ. 67
Iuuenum morbi. 172

L*Aborare multiplex.* 195
Laßitudo ſpontina triplex. 112
Laßitudo duplex. 113
Laßitudines ſpontaneæ morbos denuntiant. ibid.
Læſiones à ſomno. 109
Lethale nomen quomodo accipiendum. 506
Lethargi in quibus expectandi. 275
Lethargicorum morborum cauſa. 111
Leucophlegmatias ſoluitur à forti diarhœa. 588
Lienoſi qui moriuntur. 538
Lienteria quid. 298
Lienteriæ quibus fiant. 275
Lipothymia in vacuationibus quî capiatur. 101
Lipyrias febris. 347
Longorum morborum cauſa. 140

M*Agnitudo corporis quid.* 201
Medicamẽto purgãte ſæpè vti noxiũ eſt. 276
Medicamento purgante in acutis morbis rarò vti oportet. 101
Medicationes difficulter ferũt qui corpore valẽt. 180

Medicamento poto ſi fiat cōuulſio eſt mortifera. 585
Melancholia duplex. 559
Melācholici morbi quos comitātur et eorū cauſa. 231
Menſtruis deficientibus, ſanguis è naribus profluens bono eſt. 426
Menſtruis abundantibus morbi eueniunt. 453
Mēte cōſtare, quas ptes benè habere ſignificet. 174
Mentem ægrotare quid indicet. 114
Morbi qui generentur aliquando à calore æſtiuo. 83
Morbi plures & grauiores ex humorum fuſione oriuntur, quàm ſint plethorici morbi. 93
Morbi recidiui vnde fiant. 94
Morbi verni. 204
Morbi æſtiui. ibid.
Morbi colligati implicatā poſtulant curationem. 83
Morbi principium quî ſit intelligendum. 49
Morbi manifeſtū incrementū quomodo dignoſc. 47
Morbi longitudo quî cognoſcatur. 628
Morbi longi & breuis indicia. 41
Morbi puerorum mediam ætatem agentium. 264
Morbi celeritas proximam criſim ſignificat. 371
Morbi calidi locis calidis magis generantur & minus ſunt periculoſi. 207
Morbi hyemis proprij. 250
Morbi alij ad alia tēpora benè vel malè ſe hn̄t. 207
Morbi hyemales. 258
Morbi æſtiui cur breues. 160
Morbi diuturni frigidi. 182
Morbi ſenes ad mortem comitantes. ibid.

Morbis

Morbis qui minus periclitentur. 175
Morbis acutis ſi quid grauius aut leuius præter rationẽ acciderit, nec fidere nec turbari oportet. 162
Morbis vigentibus quieſcendum. 168
Morbis quibuſuis incipientibus ſi atra bilis ſuprà infráve exierit pernicioſum. 310
Morbis incipiẽtib⁹ ſi q̃d mouẽdũ videtur moue. 168
Morbo liberatus bellè comedens ſi non proficiat, malum. 170
Morborum ſymptomata & ſigna quid indicẽt. 48
Morbos acutos comitantur febres. 34
Morbũ magnũ aut paruũ impropriè vocãt med. 64
Morbus vnuſquiſque ſimplex peculiarem poſtulat curationem. 83
Morbus qui non tranſcendat ſeptimum diem. 53
Mors Sileni notanda. 591
Morte repentina qui tollantur è medio. 184
Muliebri profluuio ſi conuulſio, aut animi defectus ſuperueniat, malo eſt. 453
Mulier quæ purgari indigeat. 430
Mulier ſi lac habeat nec prægnans aut puerpera ſit, ei menſtrua defecerunt. 56
Mulieri vterũ gerẽti q̃n ſit periculũ ne abortiat. 427
Mulieri ſanguinem euomenti, menſtruis erumpentibus ſit ſolutio. 426
Mulierib⁹ et pueris q̃n imminet mortis periculũ. 221
Muſculorum dorſalium duplex genus. 598
Mutatio paulatim facienda. 198
Mutationes temporum pariunt morbos. 203

Mutationes temporum quomodo intelligendæ. 203
Mutationes temporũ morbos quoſdam ſoluunt. ibid.
Mutos fieri eſt neceſſe ſi cerebrũ fuerit cõcuſſum. 624

NAtura animantium quid. 79
Natura quatuor habet facultates. ibid.
Natura multifariam dicitur. 175
Naturã qñ vacuationis habeamus adiutricem. 94
Naturæ proprium ſignificatum. 205
Naturæ robur in corporibus ſanis ſeruandum non frangendum. 29
Nauſea vnde & cur nauigatione moueatur. 301
Nerui qua ex cauſa redduntur infirmi. 410
Nerui à frigido læduntur. ibid.
Neruorum principium eſt cerebrum. 554
Neruoſum genus facilè replet coitus. 517
Nimium omne naturæ inimicum. 198
Nubecula rubra perrarum eſt ſignum. 372
Nubeculæ albæ frequentiſſimè apparent & coctionis ſunt ſignum. ibid.
Nutritio quid. 76
Noxa mucoſæ pituitæ in longo coxendicũ dolore. 565

OCulorũ humiditates ſenibus cur accidant. 281
Oculorum dolores. 520
Oedema quid. 327
Oedemata quos tumores vocet Hippocra. 475
Oedematis nomen generale. 477
Omentum excidens neceſſario computreſcit. 563
Ophthalmiæ ſiccæ quibus & quando fiant. 231
Opiſthotonus quid. 553
Oris amaritudo ſolius pallidæ bilis ſymptoma. 304

Oſcitationis remedium. 621
Oſſe ægrotante caro liuida, malum. 569
Oſſe capitis vſque ad interiorem ſuperficiem pertuſo fit inſania. 584
PAthognomonica morbi quæ. 49
Pathognomonica ſigna quæ. 57
Paralellus quid. 234
Paroxyſmi pro temporum diuerſitate & pro laborantium temperamentis variantur. 44
Paroxyſmi horam tenere quid conducat. 48
Paroxyſmi quoto recurrant die ſcire oportet. 47
Paroxyſmi morb. morbiq́; natura vñ indicētur. 44
Paroxyſmorum incrementa quomodo noſcenda. 46
Paroxiſ. anticipãs diutiusq́; durãs quid indicet. 48
Partes corporis per ſenectutem ſicciores euadũt. 281
Pericula melancholicorum morborum. 562
Peripneumonia derepentè non ſuffocat. 328
Peripneumonia à pleuritide malum. 575
Phagedænæ quæ. 544
Phlegmones nomen apud veteres. 475
Phlebotomia ad lipothymiam vſque febres ardentes extinguit. 101
Phlegmaſiæ quæ ſint. 34
Phrenitis à peripneumonia malum. 576
Phreniticorum vrinæ quales. 375
Plenitudo morbum facit. 149
Plethorica affectio quo tempore inducatur. 88
Pleuritis à quibus fiat humoribus. 528
Pleuritis, Peripneumonia & Phrenitis ſunt morbi acuti. 44

Pleuritis lōgáne an breuis ſit futura, quid indicet. 41
Pleuritis crudiſſima. 53
Pleuritis diuturna aut exitialis quib' ſignis dign. 55
Pleuritis eſt de genere inflammationum. 53
Pleuritis vt plurimùm quartumdecimum criſews terminum habet. 52
Pleuritidis ſigna mala. 53
Pleuritidis concoctæ quale ſputum. ibid.
Pleuritidis ſumma cruditas. ibid.
Pleuritidis curatio breui futura q̃uo cognoſcatur. 55
Pleuritidis et Phrenitidis quoto die fiăt paroxyſ. 44
Podagra mulier non laborat. 519
Podagra parentum poſteris podagram conciliat. 519
Podagrici morbi intra quot dies ſedata inflammatiône deſinant. 552
Poteſtates quatuor quæque corporis pars habet. 97
Potu facilius eſt refici quàm cibo. 119
Principium noſtri ortus eſt ex humido. 69
Principiũ noſtræ ꝓcreatiõis ſanguis eſt mẽſtruus. 65
Profluuij ſanguinis ſigna mala. 573
Profluuio alui laboranti, ſpontè vomitus ſuperueniens, morbum ſoluit. 513
Profuſionem ſanguinis calidi frequentior vſus inuehit. 408
Pubertatis tempus. 401
Purgandus humor quomodo dignoſcendus. 21
Purgati cur ſitiunt. 305
Purgatio optima. 118
Purgatio q̃n locũ habeat, hypochõdrÿs dolent. 494
Purgatio nõ inſtituitur propter calorẽ febrilem. 102

Purgatio quibus morbis prodeſt. 551
Purgatio præter modum conuulſionem accerſit. 397
Purgatione ſuperna opus eſſe quæ ſignificant. 303
Purgationem quæ præcedere oporteat. 117
Purgationem quæ præcedere debeant. 103
Purgationes quando difficiles. 293
Purgationes quando proſint. 104
Purgationi conuulſio ſuperueniens, malum. 396
Purgationibus qui non idonei. 103
Purgationis finem ſitis indicat. 305
Purgatiõis termin' in pleuritide ab Hip. ſtat. 407
Purgationis bonæ indicia duo. 99
Purgationis infernæ ſigna. 306
Purgari qui debeant verno tempore. 548
Pueri nõ laborãt podagra ante venereorũ vſum. 520
Pueri qui differant temperamento à iuuenibus. 66
Pueri ferunt difficulter inediam: maximè qui ſunt viuidiore ingenio præditi. 58
Pueri quare plurimo egeant alimento. 75
Puerorum corpus plurimum aëreæ & aqueæ ſubſtantiæ obtinet. 68
Pulmonis exulcerationem quid indicet. 406
Purgantia medicamenta ſanum etiã debilitant. 180
Pus vnde fit. 193
Puſtulæ latæ non admodum pruriginoſæ. 499
Q*Vartana correpti non admodum conuulſionibus tentantur.* 481
Quartana longior quotidiana. 43
Quartana febris fit ab atra bile. 21

Quartanarum initia ſæpe cognouit Gale. ipſo primo die. 43
Quartanæ æſtiuæ breuiores ferè quàm quæ fiunt alijs anni partibus. 45
Quartanæ quoque æſtate fiunt. 355
Quartanæ etiam autumno fiunt. 255
Quies eodem ſtatu ſeruat corpus. 301
Quies corporum ſeruat humiditatem. ibid.
Quieſcere morbis vigentibus præſtat. 168
Quotidiana febris fit à pituita. 20
Quotidiana longa eſt. 43
R*Ecidiui morbi quando fieri conſueuerant.* 120
Recipientes ſe ex morbo ſi pars aliqua laborat, eò abſceſſus fiunt. 323. & cur. 324
Regio morbo laborãtibus iecur durũ fieri, malũ. 538
Regio morbo obnoxij perrarò ventoſi fiunt. 361
Regiũ morbũ febricitãti accidere quãto die ſit bo. 360
Repletiones extremæ periculoſæ. 24
Repletio conuulſionem & ſingultum facit. 534
Remedium maximum melancholiæ iam factæ, & futuræ impedimentum eſt hæmorrhois. 315
Renum frigidæ inualetudinis ſignum. 186
Renũ exulceratio quib' ſignis deprehẽ. 379. & 381
Renum venulam eſſe ruptam inopinanter ſanguis mictus indicat. 386
Renum vitia in ſenibus difficulter curantur. 498
Renum dolores ſenes patiuntur. 278
Rigor quo pacto ſoluit febrem. 354
Rigores febriles frigidum adfert. 410
Reſpirationis geminus motus. 365

Ructus acidus quando ſit bonum ſignum. 483
Ructus acidi vnde gignantur. 487
SAlutis ſecuritatem quæ prænuntiant. 55
Sanguinis vomitus curatio. 598
Sanguinis profluuij ſignum malum. 573
Sanguinis expuitiones quibus fiant. 272
Sanguinem ad mammas colligi furorẽ ſignificat. 435
Sanguinem prauum gignunt alimenta praua. 180
Sanguis quando ſuppuret. 510
Sanguis quibus tempore verno mittendus. 617
Sanguis menſtruus humidus natura. 65
Sanies, Græcis ἰχώρ, qualis reſudet in quibuſdam inflammationibus. 52
Sanitas quid. 113
Sanitas ſtatim futura quibus ſignis in pleuritide percipiatur. 55
Scirrhus morbus eſt diuturnus. 359
Secundæ deturbantur per ſternutatoria. 443
Sedimẽta bilioſa ĩ vrinis qñ morbũ acutũ ſignifi. 592
Sedimenta vrinæ craſſiorem farinam referentia, longam fore inualetudinem indicant. 591
Semen in quibus copioſum. 468
Semen non inflammatur. 469
Semitertianæ mediæ inter καυσώδης & τυφώδης. 43
Seminis ſubſtantia magis eſt aërea et humida quàm terrea. 63
Senes quibus morbis corripiantur. 278
Senes cur acutis febribus rarò corripiantur. 70
Senes qui & qui non facillimè ferant inediam. 61

Senes facillimè ferunt inediam. 58
Senibus ſupra modum purgatis ſi accidat ſingultus, non bonum. 602
Senibus acutæ febres nō fiunt ſimiliter ac in iuue. 62
Senibus acutæ febres lethiferæ & quare. 71
Senili ætati apoplexia familiaris. 280
Senilis ætatis peculiares affectus. 177
Senilis calor habet cibos pro fomite. 71
Senum corpus frigidum. ibid.
Senſum vigilantem quid committere ſoleat. 111
Seroſum & humidum alimenti excrementum vtile diſtributioni. 237
Sicciores naturâ quibus excrementis careant. 491
Signa criſima & decretoria. 54
Signa exitialia mortem ſemper minitantur. ibid.
Signa comitantia morbum. 57
Signa duplicia. 55
Signa comitantia pleuritidem quæ. 57
Signa cruditatis primo morbi initio conſpiciūtur. 49
Signorum decretoriorum & coctionis natura. 55
Simplex naturâ & doctrinâ eſt prius cōpoſito. 235
Singula medicamina familiarē ſibi trahūt hum. 97
Singultum ſternutatio ſoluit. 502
Singultus propter iecoris inflammationē, malū. 580
Singultus ab ileo malum. 574
Singultus à vomitu malum. 569
Singultus fit à repletione. 534
Siticuloſis lac malum. 470
Sitientibus admodum obdormiſcere, bono eſt. 422

Somni

Somni quando vtilitas maxima. 108
Somni læſio duplex. 105
Somni cur longiores hyeme. 74
Somnus quo tempore proſit aut noceat. 109
Somnus plurimũ cõfert ad functiones naturales. 74
Somnus mortem quando portendat. 108
Spinæ vertebrarũ cõcuſſio, quæ affe. in. 624. et 625
Spirandi difficultates fiunt ſenibus. 278
Splenicis quando fiant paroxyſmi. 43
Splenis alimentum. 308
Spontaneæ vacuationes quæ dicantur. 503
Spumæ materia. 187
Spumoſorum excrementorum cauſæ. 589
Spumoſus ſanguis vnde ſpuatur. 600
Sputum ſtatim apparẽs in pleuritide quid oſtẽdit. 49
Sputum ſanguinis pus ſequi, malum. 578
Sputum in doloribus pulmonis & coſtarum qualem eſſe oporteat. 56
Sputum quando perfectæ coctionis eſt ſignum. 53.
Sputum quando nimiam cruditatem ſignificat. ibid.
Status morbi ex quibus coniectetur. 49.
Statũ & conditionẽ in morbis cognoſci eſt neceſ. 46.
Sterilis ne an fœcunda ſit mulier quibus noſcatur indicijs. 209
Sternutamenti affectus. 614
Sternutamentum quo fiat pacto. 613
Sternutatio ſuperueniẽs difficulter parienti, bo. 428
Stomachus quid. 536
Stranguriæ & diſuriæ differentia. 609.

Strumæ vnde originem habeant. 268
Subſtantiæ aëreæ & humidæ plus defluit è corpore quàm terrenæ. 67
Subſtantiam noſtri primigeniam ſpiritus, ſanguis & ſeminalis humiditas abſoluunt. 76
Succum bonum generat lac. 473
Sudor multus quomodo vacuandus. 629
Sudor multus per ſomnũ factus quid ſignificet. 629
Sudorem ſi horror ſtatim ſequatur, non bonum. 572
Sudores in febribus quando ſpectandi. 212
Sudores cur præter naturã ſint ſecundũ Dioclem. 78
Sudores febricitantibus qñ boni & quãdo mali. 333
Sudores mortem ſignificantes. 336
Suppuratio à diuturno dolore partium ad ventrem attinentium mala. 583
Surditate ſuperueniẽte bilioſæ deiectiones ceſſãt. 291. 317
Suſpiria quæ mala in morbis acutis cum febre. 359
Symptomata pathognomonica cũ morbo inuadũt. 49
Symptomata qua ratione ſigna decretoria appel. ibi.
Symptomata decretoria. 54
Symptomata qñ imbecilliora & quãdo fortiora. 168
Symptomata & ſigna quid proſit cognoſcere. 48
Syderatũ quibus eſt cerebrum intra tres dies pereũt, niſi hos ſuperauerint. 611
Tabes quibus per hyemem conciliatur. 231
Tabi obnoxios ſuprà ne purgato. 294
Tabidis autumnus nocuus. 216
Tabidi dupliciter dicuntur. ibid.
Tabifici morbi quando fiant. 237

Tanto

Tanto magis corpora impura lædes, quanto plus nutries. 124
Tempeſtates auſtrinæ vertiginē oculis adſerūt. 245
Tempora anni multùm conferunt ad victus rationem conſtituendam. 72
Tēpori, regioni, ætati, & cōſuetudini aliquid cōdo. 85
Temporum ordo. 235
Tertiana exquiſita. 355
Tenaſmus. 587
Tetanus quid. 353
Tertiana alio atque alio tēpore citius terminatur. 45
Thorexis famem ſoluit. 147
Thorexis quid. ibidem
Theophraſtus cōpoſuit librū de calido & frigido. 63
Thoracis muſculi cur in apoplexia moueantur omnibus aliis muſculis ſtupentibus. 186
Tormina vnde fiant. 256
Tuſſes Vere fiunt. 249
Typhodes febres quæ ſint. 43
VAcuatio quibus conuenit. 549
Vacuatio humorum quibus fiat viis. 123
Vacuatio ad lipothymiam vſque in maximis doloribus præſens remedium. 101
Vacuationes multitudine non metiendæ. 97
Vacuatio immodica non minus quàm immoderata repletio periculoſa. 26
Vacuationes ad extremum non ducendæ. 23
Vacuationibus commoda loca. 95
Vacuare ad lipothymiam vſque in quibus affectibus

conueniat. 99
Vehemẽtia vnius doloris alterius ſensũ obſcurat. 192
Venæ ſectio quibus proſit. 549
Venena frigida ſine certa quantitate incommodare non poſſunt. 128
Venter vnde habeat retentricem imbecilliorem & fortiorem expultricem. 143
Ventres hyeme & Vere naturâ calidiſsimi. 72
Ventriculo perſecto lethale eſt. 506
Vẽtriculus & cæteræ partes corporis quõ alãtur. 138
Verborum improprietas in arte medica præcipuè cõmittitur. 64
Ver aperit & laxat corpora. 89
Ver magnam cœli temperiem habet. 215
Ver adoleſcentibus optimum. 249
Ver ſaluberrimum. 215
Vere & hyeme vẽtres naturâ calidiſs. & quare. 72
Veris partes tres differentes. 81
Verni tẽporis proprij morbi vacãt omni periculo. 252
Vertigo quid. 303
Vertigo affectio ꝓxima epilepſiæ & apoplexiæ. 246
Victus tenuis in morbis longis ſemper vitandus. 28
Victu tenuiſsimo quo morbi tempore vtendum. 36
Victus quomodo dandus. 73
Victus ſalubris indicationes vnde ſumendæ. 82
Victus tenuiſsimus quibus conueniat. 85
Victus rationem tempeſtati reſpondentem tenere debemus. 83
Victus tenuis ꝗbus morbis cõueniat & quib. nõ. 28

Victus

Victus ſummè tenuis. ibid.
Victus tenuis. ibid.
Victus tenuitatis terminus. ibid.
Victus præſcribenda ratio ad tres ſcopos omnis eſt referenda. 41
Victus triplex. 29
Victus *humidus quibus conueniat.* 82
Victus ratio tenuiſsima. 33
Victus tenuiſsim⁹ qualis, quãdo & qbus cõueniat. 35
Victus plenior quando & quibus detur. ibid.
Victus forma ꝑ morbi tẽpore quomodo variãda. 36
Vigilia ſenilis ætatis eſt propria affectio. 281
Vigilia & ſomnus quî fiant. 110
Vigiliam nunquam intra modum conſiſtere, & ſomnum ſemper ſymmetrũ eſſe quidã dixerunt. 111
Vigiliæ cauſæ. ibid.
Vigor morbi proximus futurus quî noſcatur. 48
Vigor morbi quandiu duret. ibid.
Vigilia ægrotis cur imperetur. 107
Vina acerba famem non ſanant. 148
Vina aquoſa quæ. 120
Vinum quo pacto ſanet conuulſionem. 398
Vinum calidũ temperamẽto promptè penetrat. 397
Vires ægroti quomodo deprehendat medicus. 41
Vires in morbis longis retinere & tueri oportet. 30
Vires in ægrotantibus raro fit vt maiores reddamus, quàm inuenerimus. ibid.
Vires æſtate diſſolui, hyeme roborari. 160
Viribus colligendis humidũ eſt optimũ remediũ. 119

Virium

Virium magnitudo teneri poteſt. 42
Virium laborantium habenda ratio. 38
Virium defectio fit à tuberculi introrſum eruptione. 572
Vlcera circumglabra maligna. 248
Vlcera in hydropici corpore nõ facilè ſanantur. 497
Vlceratis frigidum mordax. 413
Vlcus factum in ſenibus ægrè ſanatur. 280
Vnumquodque alteratur & immutatur promptius à ſui ſimili. 198
Vomitus ſpontaneus longũ alui profluuiũ ſoluit. 503
Vomentes ægrè infernè purgandi. 293
Vomitio fit à tuberculi introrſum eruptione. 572
Vomitus ſanguineus menſtruis erumpentibus ſoluitur. 426
Vomitus ſanguinis curatio. 598
Vrgentia magis priùs curanda. 411
Vrgere quid. ibid.
Vrina guttatim reddita quo pacto ſanetur. 609
Vrina pinguis ex adipis fit colliquatione. 594
Vrina in qua ſubſident ſabuloſa, veſicam & renes calculo laborare demonſtrat. 387
Vrina optima quæ & qualis 55. *& quid indicet futurum.* 56
Vrina craſſa & furfuroſa veſicam ſcabie laborare indicat. 384
Vrina quando criſim prænuntiat. 371
Vrinæ pellucidæ & albæ malæ, præſertim in phreniticis. 374

Vrinæ albæ maximam oſtendunt cruditatem. ibid.
Vrinæ lympidæ & albæ ſunt omnino aquoſæ. ibid.
Vrinæ nubecula alba coctionis eſt ſignum. 371
Vrinæ quando plus habeant ſedimenti. 79
Vrinæ difficultatem phlebotomia ſoluit. 531
Vrinarius canalis quid. 390
Vteri os durum vnde fiat. 450
Vtero calidum eſt amicum. 414
Vteri corpus denſum & durum ad conceptionem eſt ineptum. 457
Vterus temperatus ad conceptionem aptus eſt. 460
Vterus ſi extrorſum ſuppurauerit, emmotis medicamentis neceſſariò curatur. 441
Vtilitas à purgatione maior eſſe debet, quàm detrimentum à medicamentis. 113
Vulnera praua quæ dicenda. 478
Vulneribus magnis ſi tumor non appareat, ingens malum. 477

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE